

20,000

LOGICA

RATIONALIS,

PER QUÆSTIONES, ET ARTICULOS
divisa, juxtamentem Div. Thom.

AUTHORE

R. A. P. M. Fr. Froylano Diaz, Legionensi, filio Conventus Sancti Pauli Vallis Oletani, quondam in Insigni D. Gregorij Regente, & modo Primarium Cathedram D. Thom. Moderante, in Vniversitate Complutensi, & in Collegio S. Thomæ eiusdemurbis Regente.

Suarez

Anno 1741.

MH 621
P. 958

CUM PRIVILEGIO.

Ex Typographia Regia apud Viduam JOSEPHI A RUEDA, in Via de Samano.



FIRMISSIMO

DOCTRINÆ SANCTORUM MURO; AQUINATIS CLYPEO AVREO, PALLADIS, & Minervæ lucifero: Sapientiæ floriſsimo Campo, virtutis, & obſervantiæ ſpeculo, meritorum fama, & hominum gloria Prælatum, Illm.o ac R.mo Domino

D. Fr. ANTONIO DE SANJURXO.

EPISCOPO ASTVRICENSI, LÆTITIA INenarrabili publicato, & acclamatione publica præclecto.

QVod quidem terra *lætabitur deſerta, & in via, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lylium.* O felix Patria præſuli condecorata maiori *dilata locum tentorij tui, & Pelles tabernaculorum tuorum extende*: Antiſtitem namque pacis Principem *videbis, & afflues, & mirabitur, & dilutabitur cor tuum nec enim quidquam mutavit fortunæ amplitudo*: O quam libenter Patris tui Dotes altiſsimas tibi canerem, ſi præceptum ſilendi non haberem. Sed quid inde? Quando quidem *non poteſt Civitas abſcondi ſupra montem poſita*: & lux altiſsima fati occultum nihil eſſe ſinit, latebraſque per omnes intrat, & obſtruſos implorat fama receſſus: ſatis aptè Poeta.

Quis genus Æneadum, Troyæ quis neſciat urbem?

Adhuc tamen lachrymæ ſunt me ſcribente profuſſæ, & humida fletu litera facta meo, dum reticere cogor.

Ad pedes veſtræ Illuſtriſsimæ, ac Reverendiſsimæ dominationis.

Fr. Froylanus Diaz.

Iſaiæ 35.

Iſaiæ 45.

Iſaiæ 60.

Plin. in Pagneg. veſp.

Æneid. 1.

LICENCIA DE N.M.R.P. PROVINCIAL.

EL M.to Fr. Domingo Perez, Cathedratico de Prima de la Universidad de Salamanca, y Provincial de la Provincia de España, Orden de Predicadores, aviendo remitido à personas Doctas, Graves, de esta nuestra Provincia, un Libro, cuyo titulo es: *Logica rationalis per quæstiones, & articulos divisa*; que ha compuesto el R. P. M. Fr. Froylan Diaz, Cathedratico de Prima, de la Universidad de Alcalà, y Regente de nuestro Colegio de Santo Thomàs: Por la presente, y authoridad de nuestro Oficio, damos licencia à dicho R. Padre Maestro para que le pueda imprimir, conformandose en todo con los Estatutos Pontificios, y Regios, que se deben guardar en la impresion de los Libros. En fee de lo qual lo firmè, y mandè sellar con el Sello menor de nuestro Oficio, y refrendar de nuestro Compañero, Secretario. Dada en nuestro Convento de San Estevan de Salamanca, en 3. de Diziembre de 1692.

Fr. Domingo Perez,
Prior Provincial.

Por mandado de su P. M. R.

Fr. Francisco Garcia Olivares,
Compañero, y Secretario.

APRO-

APROBATIO RR. P P. Fr. EMMANUElis Ron Insignis Collegij S. Thomæ Rectoris, & R. admodum P. Mag. Fr. Dominici Perez Vespertinæ Cathedræ præclari Moderatoris, & ejusdem Collegij Regentis, & Regij Concionatori.

LIbenter obtemperantes mandato R. A. P. N. Mag. Fr. Dominici Perez Primariæ Cathedræ in Vniversitate Salmantina dignissimi Moderatoris, & Provinciæ Hispaniæ Ordinis Prædicatorum Provincialis, Præclara commentaria in Aristotelis Logicam, quæ Angelico præeunte Doctore Sapientissimus ac RR. Pater Mag. Fr. Froylanus Diaz in hac Complutensi Academia Primarius, & huius Collegij Div. Thomæ Regens complevit fœliciter, non semel legimus; nam ex prima ejus lectione orta jucunditas in sui iterum meditationem suaviter compulit dum vehementer attraxit. Quid in tanto viro minimum, si ens rationis, seu non ens, per ejus doctrinam accrescit in maximum? De tenebris, de umbra scilicet entis talis, facit lucem splendescere, qua scientia scientiarum Cahos abyssum exuat, induat byssum: & teneris etiam se permittat aspectibus, quæ nec aquilinis cedebat obtutibus. Mirabamur in luce promptitudinem, qua facta est, vix innuente Domino quod fieret; at hoc viso opere, & si non cessaret admiratio, prælia, quibus tantus Magister adest semper invictus, requiem invenit, qua ad hæcima Logicalia descendens ima possit conjungere summis. Vis videbatur Logicam posse intendere; cum ecce lumen; sed quæ non illico splendescet materia, ubi lux imperium, & imperium lucem ministrat? Vidimus lucem quod esset bona, & quam omnes appetent, statim ac videant; nam ex his, quæ ipsi debentur, nec deest apex, nec jota superest: Si enim, teste Div. Thoma lucis actus est tenebras illuminare, vias dirigire, latibula manifestare, & differentias rerum ostendere; in hoc opere Sapientia nitet, quæ dum in proœmialibus vias dirigit, & in prædicamentis rerum differentias ostendit, latibula secundarum

intentionum in universalibus, & prædicabilibus manifestat; ut tota entis rationis tenebrositate illustrata, in posterioribus exhibeat ad oculum, ut ajunt, demonstratum, quod hucusque jacebat sine luce confussum. Nec propterea hanc lucem existimes solum, licet enim ex sole prodeat, & illum, ut ab ungue leonem, demonstret, brevis tamen reputanda est scyntilla, quæ à rutila decidit sui Authoris sphæra. Plura diceremus, si satis essent plurima: sed dum tanti Magistri gloria cedit in nostram, ad injunctam nobis per R. A. P. N. Magistrum Fr. Dominicum Perez in Vniversitate Salmantina Primarium, & hujus nostræ Provinciæ Hispaniæ Ordinis Prædicatorum Provincialem Dignissimum properamus obedientiam: Judicantes hoc præclarum opus nil continere fidei adversum, moribus dissonum, aut nostri, & Ecclesiæ Doctoris Div. Thomæ menti non aptum: Quapropter in ipsius Angelici Præceptoris laudem, & communem Thomisticæ Scholæ utilitatem posse, & debere prælo mandari. Sic censemus, salvo, &c. in hoc Div. Thomæ Complutensi Collegio.

Fr. Emmanuel Ron.
Præs. & Rector.

Fr. Dominicus Perez,
Mag. & Regens.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Doctor Don Juan Caldera, Proto-Notario Apostolico, Oficial Toledano, y Vicario General en la Audiencia, y Corte Arçobispal de esta Ciudad de Alcala de Henares, y en todo el Arçobispado de Toledo, &c. Por la presente, y por lo que à Nos toca, damos licencia para que se pueda imprimir, è imprima un Libro manuscrito, compuesto por el Reverendissimo P. Maestro Fray Froylan Diaz, Cathedratico de Prima de Santo Thomàs en su Collegio de la Universidad de esta dicha Ciudad, que se intitula, *Logica rationalis per quæst. & artic. divisa.* Atento à que por nuestro mandado ha sido visto, y examinado por el Padre Rector, y Colegio del Carmen Descalzo de esta dicha Ciudad, y nos consta no aver en èl cosa contra nuestra Santa Fè Catholica, y loables costumbres. Dada en Alcalà à tres dias del mes de Julio de mil seiscientos y noventa y tres años.

Doct. Caldera.

Por su mandado

Custodio Valentin.
Notario.

CEN-

CENSVRA ILLVSTRISSIMI, COllegij, toto Orbe celeberrimi, & numquam satis laudati Carmelitarum Discalceatorum Civitatis Complutensis.

DE comissione, & mandato D. Doctoris Don Joannis Caldera, Archiepiscopatus Toletani in Vrbe Complutensi Generalis Vicarij. Præclares hos in Aristotelem commentarios à Reverendissimo, & Sapientissimo P. M. Fr. Froylano Diaz, quondam in Insigni Collegio D. Gregorij Vallis Oletani Regente, & nunc in hac Vniversitate Complutensi Primariæ Cathedræ D. Thomæ moderatore summo studio, ac cura elaboratos; à curatissima diligentia perlegimus, & attentamentis indagatione lustravimus; ac tandem post quam diligenter, & sedulo omnia rerum, & verborum pondera, quibus mirum in modum decorantur, examinassemus, nihil in eis invenire potuimus, quo quomodo fidei Catholicæ dogmatibus, bonis moribus, ac Religioni Christianæ candori, veritati, sinceritatique doctrinæ contrarium, aut devium: immo potius opus insigne experdimus insignique doctrina judicamus ad studiosos ne dicamus Tyrones, sed etiam valde provectos erudiendos aptissimum: doctrinam, in omnibus, solidam sapit, quæ solum sua eget commendatione, ut mens capiatur, si quæ tantus Magister exibet, Lector cbibat, & magna cum aviditate degustet.

Statim namque, ut volumen istud rerum Logicalium ad nostras prevenit manus, auribus etiam hoavit illud Ezechielis: *Comedet volumen istud.* Quod in gentem aviditatem commedentis præfert a radice *Acal* hebraici fontis, ubi legitur, *achol*, & *hamegilach hazoht.* Eo genio quo ignis; qui tam avide omnia depascitur, ut frequenter in Scriptura explicatur: *Flammæ ignis devorantis.* Ex quo deducimus, quod qui volumen istud terit, & mentis oris versat, ac deglutit, magna aviditate traicit, ingenti ardore, ac cupiditate relambit; nen secus

Ezech. 2. 1.
Ijaiæ. 26.

cus ac ignis obvia quæque depascitur : *Dum colloquium illius quasi ignis exardescit.* Eccli. 9.

Quid igitur tot inter prunas dicemus, si non effundimus plene, quod capimus altè ab aridítate sermonis ad affectum tranleamus cordis: *Sed neque enim satisfacit* (ut cum Gilberto loquamur) *vèl sermo affectus, vèl affectus fidei; sed nec fides sufficit, qua nec plene reficit; capaciores nos faciat nostra cupiditas, fit enim quod fides persuadet prævolavit affectus.* Dicamus enim, quod omnia, fœlici quadam reconditæ eruditionis amœnitate, dispossui Sapientissimus Magistèr superiori sapientia: *ergo in mensura, & numero, & pondere.* Consequentia probatur hoc suo dialectico volumine, non quia scientia tanti Magistri sit ex genere eorum quæ mensurantur, numerantur, ponderantur; quia neque mensuram, neque numerum, neque pondus (ut in alijs concipiuntur rebus) habet; sed quia inter horrentes dumos, Paliantes glebas acerrime pungentis, dialecticæ disciplinæ, adeo terminant format, & ordinat omnia Theoremata Logicalia cum mensura sine mensura, cum numero sine numero, & cum sine pondere pondere, ut qui inter spinosos disciplinæ saltus, ac vepres spirabant; inter vernantes veluti illius silvas, ac viridaria Pommonæ non in elegantiæ flore, qua parte picta habitantes respirarent. Gil. Abb. Differt. 2. de Cõtemp. Sap. 11.

Sic enim ea dispossuit, *ut mensuram, numerum, & pondus haberent* (hoc est) *modum speciem, & ordinem*: Ita tradidit Magnus Parens Aug. quod explicans Magistèr noster Angelus Aquinas: inquit: *Modum* esse commensurationem ad causam habentis limitem ab illa: *Speciem ipsam.* Formam, sine causam formalem effectus; *Ordinem* perfectionem accidentalem, quatenus hæc ordine quodam ex forma sequitur. Nunc igitur videsis obiecramus limitem subtilitatum Dialecticarum in hoc volumine ad metam usque per suas proprias causas pertingentium: nam si animum advertes, si lustres hoc, mente, volumen, si oculos in illud intendas sine ulla dubitatione intuebis occeanum in verbis, & rationibus, flammam in sensibus, pondera in argumentis, in tota denique ædificij constructione, & fabrica fir- N. Ang. 4. de Genes. ad lit. cap. 3. & lib. de Natur. Boni cap. 3. D. Thomæ 1. p. q. 3. art. 5.

firmitatem, ac robur, acris demum ingenij aciem acutam oculis usurpabis manifeste: *Ecce modum, ecce mensuram sine mensura.*

Videbis illico formam, seu pulcritudinem magna cum gravitate disposicam: Philosophorum Antiquorum, testimonijs, Sanctorum Patrum: authoritatibus sacræ denique scripturæ locis gravitèr delucide, ac profunde examinatis, nec non firmissimis de novo excogitatis argumentorum ponderibus, soli de, ac nervo se difficilis difficultatibus, veluti præciosissimis gemmis, atque lapilis adamante rubino saphiro ad miraculum exornatam, à Fabræ cœlatam, ac variegatam; ita ut liceat canere.

Virgil. Æneid. 3.

Quæcumque in foliis descripsit
Digerit in numerum, atque antra secluſa relinquit.
Illa manent immota locis, neque ab ordine cedunt,
Ecce speciem ipsam, ecce numerum sine numero.

Videbis tandem perfectionem accidentalem, in qua mirum est quantum emineat claritatis, ac dispositionis methodus, quantum indefessa veritatis indagandæ diligentia splendeat, quantum in disputando acri ingenij subtilitas refulgeat: & in eligendis opinionibus maturitatis mentis inveniatur splendor, nec non in rationum momentis, totiusque structuræ operis firmitate mirabilis quædam, ac secura fortitudo, ita ut

Dominus Bonav. in Laudem suæ Philosoph.

Vltimus ecce licet, primus caput elevat inter,
Inter, & antiquos tollit ad alta caput
Æsipus hic Logices simul, ac sophismata pandit,
Pandit, & ambiguos detegit arte Logas.

Ecce ordinem, ecce sine pondere pondus: vèl in compositione partium, vèl in concinitate vocuum, vèl in brevitate cum summa comprehensione omnium, quæ præ manibus versat: & comperies illico totum spiritum Præceptoris Angelici in hoc parvo ebulire volumine, ut merito quod olim Poeta magna cum voce proclames.

Major in exiguo regnat in corpore virtus.

Nec ab hac voluminis parvitate tenuas præciositatem; nam illi ipsi antiqui quo latiùs imè se profundecunt in scriptis, in non magno fere volumine gloria re-

gu-

tulerunt : Magnus Auguſtinus, ſed in libello de retractionibus ſe ipſo maior : Magnus Tertullianus, in pallio tamen, & apologetico ſe ipſum ſuperat ; origines magnus, ſed in pauciciſsimis quibuſdam victor ſtetit ; quaſi negatum eſſet in magnis magnum eſſe, aut nefas ſuperiorem in multis ſtitiſſe Magnus quidem Magiſter noſter Froylanus virtute, Religione, Doctrina, & Magiſterio, & neſcio, an non unus in omnibus magnus, ſed in his Metaphiſicis ſpeculationibus ſe ipſum vincit, & omnes, quaſi ſi in hoc parvo volumine plus eius luxurietur gloria : denſeturque fortius puſilo in corpore honor, quam in late, difuſſoque labor.

Quomodo igitur non approbavimus (parum diximus) venerabimur Diajecticam, ſeu Philoſoficam doctrinam, quam multis ab hinc ſæculis ab illa Cherubica Doctrice, ab illa iniquimus (ut ipſa ſale, gratiaque multoties jucundiſsime ajebat) Diminica in Paſſione Sanctiſsima Parente noſtra. Thereſia, cujus, & nos paſsio Dominicæ ſummus, approbatam, ore quaſi propherico agnovimus : dum igitur cuidam fiati ſuo conſilia de educatione filiorum præberet Doctrix Cherubica inquit : *Leen Filoſofia, y Theologia en Santo Thomàs* (ſcilicet Patres Dominicani in Conventu Div. Thomæ Civitatis Abulenſis, ubi Jubenes Philoſophiam, & Theologiam docent : *Que no ay que ſalir de alli para Virtud, y Eſtudios*. Vbi ut vides Santiſsimæ Religioni Dominicæ aſtruit, nedum rudimenta virtutis, verum, & culmina virtutis, & veritatis ; nec dum in moralibus, verum, & in Philoſopicis, itaque ait : *No ay que ſalir de alli para Virtud, y Eſtudios* : Scilicet ab hac Sanctiſsima Dominicana Familia, ex qua velut è monte elevate, & excelſo omnia lex, & vera Doctrina.

S. Thereſ. in tom. Epiſt. Epiſt. 30.

Celebris in Sacris annalibus mons Moris, in quo ad umbratam invenis hujus familiæ Doctrinam : nam modtium nomine Sentiſsimæ Religionis plumantur, inquit Gregorius, & de Monte Moris Hyeronim. *quod illuminans interpretatur, & lucens : atteſtor* : in vertice illius Magiſter Froylanus aſtruitur, *ut non abſcondatur Civitas ſupra montem poſita* : ergo dum Froylanus : lucerna parens, & lucens, in hoc monte apparet, mos Domi-

ni-

nicanus valet transferibi : pulcre quidem ; sed pulchrius de hoc burgensis affirmat ; quod interpretatur *doctrina, seu doctrix.* Sumptum à radice *Iarach, quod est descendere, ob id ait* (Olealter) *quod ex eo monte descensura, & prodituræ essent doctrinæ, & leges* ; unde tanti Magistri pulcrum accipite Panegyricum : ex Dominicano monte, in quo fodinæ sapientiæ ditissimos Thesauros recondites : qui nesciunt, dignoscunt, Froylanus descendit ut lux, ut illuminet tot, & quasi ex ungue, leonem ; hujus montis sapientia aprime dignoscatur ex foliis.

Bene ad hoc arridet hyacinti fabella, qui Phœbi prosequutus amore redditum redamando solvebat : amorem nostris, eatum meministis, displicemus mysterium dum amorem sui nominis immutatus a Poeta concinitur ;

Ovid. 1. metamorph.

Talia tum vere memorantur Appollinis ore,
Ecce cruor, qui fusus humi signaverat herbas,
Desinit esse cruor ; Tyrioque nitentior ostro.
Flos oritur, formamque capit, quam Lylia si non,
Purpureus color his argenteus esset in illis.

Et quid inde? Quod ab ipsa sui nominis flore quasi honore laureatus in æternum perdurat : Fatur Poetithes.

Non satis hoc fœbo est (is enim fuit author honoris)
Ipse suum gemmitus foliis inscribit, & hya,
Flos habet inscriptum, funestaque littera aucta est.

Mirabilisutique flos, quæ plena litteris, & vocem parturiens tibi ipsi venatur honorem. Unde pro Magistro Froylano flore Dominicana adumbratio subsistit, nam omne Philosophicæ flores pro suo vociferantur honore, dum ab ipso nova plumantur pulcritudine.

Maximis laudibus, & encomijs arbitramur mactandas : Ideo jure non solum judicamus dignas esse, quæ typis mandari debeant, imo utiles, quæ merito legantur eo veritas alat, & ipsa æternitas intuetatur, ne studiosorum utilitas, Philosophiæ Magistrorum commoditas, incredibilis Authoris labor propria sibi jure op-

ti-

timo debita mercede : tàn insigni opere silentij tenebris involuto privetur. Ita iudicamus salvo, &c. In hoc nostro Collegio Divi Cyrilli Complutensi Carmelitarum Discalceatorum, tertio idus Maij, anno Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio.

Fr. Franciscus à Santo Thoma, Rector.

Fr. Petrus à Conceptione, Lector Primarius Theologiæ.

Fr. Ildefonsus à San Antonio, Vespertinæ Cathedræ Moderator.

Fr. Ildefonsus à Martiribus, Theologiæ Mystt. & Scrip. Lect.

SUMA DEL PRIVILEGIO.

TIENE Privilegio el Padre Maestro Fr. Froylan Diaz, Cathedratico de Prima, en su Colegio de Santo Thomàs de la Universidad de Alcalà, por tiempo de diez años, para que pueda imprimir este Libro, intitulado: *Logica rationalis per quæstiones, & articulo divisa*, como consta del dicho Privilegio. Dado en Madrid à 17. de Junio de 1693. años.

AT PAULINA DEL SEñOR NUNCIO DE su Santidad, para que ninguna persona pueda imprimir, ni hazer imprimir esta Logica sin licencia del Convento de San Pablo de Valladolid. Dada en Madrid à 22. de Junio de 1693.

APRO-

APPROBATIO R. A. P. M. Fr MATHÆI Caro, & Montenegro, quodam Diſinitoris Provinciæ, & Conventus S. Mariæ Regalis de Atocha, ſimul atque iterum Prioris Virtute, & Sapientia approbatiſsimi viri.

IVcunde legi veſtræ celſitudinis juſſu in lucem editam Logicæ Ariſtotelicæ lucem, vias ſequente, ſolisque Aquinatis currente veſtigia, à SS. P. M. Fr. Froylano Diaz. Univerſitatis Almæ Complutenſis lumine Primo, & Angelici Div. Thomæ Muſæi ſtudiorum Regente: Cujus etſi ingenij acumen ad ſydera tollat tanti Magiſtri opus quodvis, ſophiamque proclamet, univerſumque mundum riget claritate ſuprema, & ſcientiam ſicut cinerem per totum orbem ſpargat, ut ſuam legenti Phyſicam perpicue parebit; teſtè quippè Philone: *Nullum ſapientiæ opus eſt exignum*: Præſens de demonſtratione labor hoc clarè demonſtrat. In illo quidem non obſtanti ipſius nocte, veterique nigrore, perſuadendi nerbum proponendi oſculatur chryſtallum, & reſolvendi profunditas ſecintum commitatur probare: quin ſub his floribus præſumptionis anguis lateſcat nec aliquis ſit erga ſententias contemptus rejectas, ſed potius modeſtia lyram reſonat ſonoram, & humilitatis ſmaragdus doctrinam uſque ad ſuperos venit, ſequens in hoc Author lucis Angelicæ vias, ut ipſam plene exhauritam eſſe demonſtret à diſcipulo, doctrinam, & Mores Magiſtri docente cuntos, coſque his perfectionis pollis rectum finem firmante; fatens ſe, ne vellit erroris apud omnes haberi Magiſtèr, veritatis Diſcipulum, qui in omnibus orbis Magiſtèr in opere apparet: amplectens jugitèr alterius fulgentiſsimi ſolis Eccleſiæ Hyeronimo documentum, *ut docerem*, ſcribentis, *quod didiceram non à me ipſo ideſt à præſumptione peſſimo Præceptore, ſed ad Illuſtribus viris præſtiti*. Quapropter adhoc attendens, operiſque reſpiciens tyronibus utilitatem, & augmentum profectis, & quod ex hoc tamquam ex pulcherrimo viridario Minervæ quillibet, & ſi doctus metet fragantiſsimas flores; ideo poſſe prolo mandari affirmo, imo, & deberi, aureis characteribus opus tam præcioſum gravari, literiſque marmoreis in eribus ſempiternis ſculpi; ut in perpetuam ſcientiam roret, clari-

ta-

ratem respiret ; & dulci lacte proceres Aquinateos ; sit que gloria totius sęculi nostri Sic judico, sic salvo meliori, censeo, Et sic Matriti subscripto, in hoc regali Conventu Beatissimæ Virginis sub cognomento de Athocha. Die 13. mensis Junij, Anno Domini 1663.

Fr. Matheus Caro Montenegro,
Magist. & Prior dicti Conventus.

Tassa.

YO Joseph Francisco de Anguiriano, Secretario de Camara del Rey nuestro Señor, de los que en su Consejo residen: Certifico, que aviendose visto por los Señores de él, un Libro intitulado: *Logica rationalis per quæst. & artic. divisa*, que se ha sacado luz por el Padre Maestro Fray Froylan Regente del Colegio de Santo Thomàs, Orden de Predicadores; por dichos Señores se tassò el dicho Libro à seis maravedis cada pliego, à el qual precio mandaron se vendiesse, y no à mas, como mas largamente consta, y parece del decreto original de dichos Señores del Consejo, que queda en mi Oficio, à que me remito; y para que conste donde convenga lo firme en Madrid à veinte y seis dias del mes de Junio de mil seiscientos y noventa y tres años.

Joseph Francisco de Anguiriano.

ERRATAS SIC CORRIGE.

FOL. 22. col. 1. lin. 35 ſimpliciter operandum, leg. ſimpliciter ad ſimpliciter operandum, fol. 78. col. 2. lin. 9. in artiſice, leg. in articulo, fol. 190. col. 2. lin. 1. connito, leg. conita, fol. 230. col. 1. lin. 17. impoſsibile, leg. impoſsibilis, fol. 225. col. 2. lin. 1. creaturam, leg. creaturarum, fol. 310. col. 1. lin. ult. in eſſe, leg. inter ſe, fol. 594. col. 1. lin. 21. dictant, leg. diſtant. fol. 613. col. 1. lin. 17. concluſus, leg. concluſionis, fol. 614. col. 1. lin. 21. quæ, leg. quia, fol. 615. col. 1. lin. ult. eſſentiendi, leg. aſſentiendi, fol. 617. col. 2. lin. 16. quantud, leg. quantum, fol. 638. col. 1. lin. 10. y lin. 34. hæcceitatem, leg. hæſitationem.

PROE

PROOEMIUM.

AUxiliante Domino, qui rerum principium eſt, dux, ſemita, terminus idem, qui rector eſt Poli, & Cœlorum influxus, opere diſpenſat Olympi; dedimus iam Philoſophiam naturalem, quæ canit errantem lunam, ſoliſque labores, mobilium genus, pecudes, undè imber, & ignes: modo autem in ardorem belli tranſimus, dùm Logicam offerre paramus. Illa namquè verſuta dolis, arguto calida ſenſu, laborioſa parvulis, caſtris gratiſsima noſtris, vires humanas urget, difficilior exiſtit, vivit clandeſtina, diſcurrit inquieta, lucem inſinuat, nebulam rorat, & faber eſt intentionum ſecundarum, quibus induitur ſeries longiſsima rerum, & rursùs ad alias ſcientias animum vocat; operoſa tamen limina parat, quoniam veſtita

figmentis, & ſuis aſpera ſignis, vias non habet planas, & congerit umbras; ideòque ſola ipſa poteſt exercere viros, quæ ſola magnos gravat, parvoſque fatigat, ſæpèque prævalet armis, fallacibus habitata ſophiſmis. Intèr hæc tamen nectar, & ambroſiam ſpirat, & cuncta decorat, nam modum ſciendi præſtat, inſtrumenta miniſtrat, notat omnes laqueos, & retia parantes, & oſtendit inſidias illorum arte latentes, & ſi ſemèl, & iterum nubibus involvitur altis, ſtatim ſurgit roſeis aurora quadrigis, reguliſque bonis dirigit occulta, & eſt ianua ſemper aperta, & tándem dulcis ſonat, & ſonora cantat, quando aſtuta nimis, artificioſa ſatis, intellectus vella, ſinuſque regit, ingenijque præmit citharam, lyramque ſonoram.

Verum quia clamat Auguſtinus, quod *ſicut cæcus ſine ductore, ſic homo ſine Doctore viam rectam vix graditur.* Et de ſe ipſo olim aiebat Bernardus: *Tunc ſecurè, & ſine metu diſcurrere, quando Ambroſium, vèl Auguſtinum habebat doctrinæ ſuæ, & mentis ducem ac commitem.* Propterea, ut in opere noſtro ædificemus felicitèr, & procedamus veracitèr, adiuvent Doctores noſtri Paradyſi flumina ſimùl magnus Logicus Auguſtinus, & Logicus Angelicus Thomas qui ſicut Tygris, & Euphrates miſcentur dulcibus aquis, & uno ſe fonte reſolvunt. Singulari tamèn protectione aſsiſtat nobis mundi lucidiſsimus

Pha-

Pharo, Phebus Aquinatis Apollo, qui solis imperio rigat tenebras, fugat turbas, & totius orbis cunctas illustrat Ecclesias. De cujus doctrina sit.

LIBER PRIMUS.

Et in eo præambula, ætherogenea quæstio prima Proœmialis, de Appetitu ad Logicam, & illius necessitate.

ARTICULUS PRIMUS.

Vtrùm in homine detur Appetitus naturalis ad Logicam?

§. I.

Quibusdam suppositis statuitur prima conclusio.

LOgicam esse facultatem intellectualem lumini naturali superadditam, docentem diffinire, dividere, & argumentare in quacumque materia, & modum firmum indagandi veritatem, artificioseque disponentem instrumenta sciendi, & cæteris ministrantem, & propterea directivam intellectus, ut in operibus suis faciliter, & ordinatè, & sine errore procedat. 1. *Metaph. lect.* 1. & 1. *post cap.* 1. docuit Ang. Doct.

Prædictæ facultatis originem, & existentiam multi tra-

dere, ſed doctrina nimis utilis non eſt, nec nova pagina digna; & ideo ad difficilia oportet tranſire, & ipſius Logicæ ſpeciem inveſtigare; in limine tamèn quæſtionem præambulam bipartitam ponimus, & qualitèr Logica ad alias ſcientias neceſſaria ſit, articul. ſequenti examinamus; in præſenti verò qualitèr intellectus illam appetat inquirimus. Pro quo.

Primò notandum eſt: quod in præſenti unum ſupponimus, & aliud inquirimus, ſupponimus quidem Logicam non eſſe homini neceſſariam per modum propriæ paſsionis: quia propria paſsio reperitur in omnibus habentibus eandem naturam; ſed Logica non in omnibus hominibus: ergo homini neceſſaria non eſt tanquam propria illius paſsio. Inquirimus autem, utrùm illi neceſſaria ſit tanquam terminus naturalis inclinationis; vèl an in homine ſit appetitus, & inclinatio nat talis ad Logicam conſequendam.

Secundo notandum eſt: duplicem eſſe appetitum innatum videlicèt, & elicitum. Appetitus naturalis eſt propenſio, & inclinatio naturæ in propriam perfectionem ipſius, quæ antecedit omnem cognitionem perfectionis, ad quam terminatur appetitus, & propterea talis inclinatio dicitur innata, id eſt, in ipſa natura data, vèl cum ipſa congenita; & tàm rebus animatis, quàm rebus innanimatis communis eſt. Undè lapis ex propria natura tendit in locum deorſum, & ignis ex propria natura inclinatur ad locum ſurſum.

Appetitus elicitus, ille eſt, qui ſequitur formam apprehenſam, actus videlicèt ſecundus diſtinctus à potentia appetente, & ab ea procedens; ideoque ſupponit cognitionem perfectionis ad quam tendit, & elicitus appellatur; & de utroque appetitu prædicto difficultas noſtra procedit, in qua ſit.

§. II.

Prima Concluſio.

In homine datur appetitus innatus ad Logicam.

CConcluſionem iſtam probant aliqui ſequenti ratione: in homine datur appetitus innatus ad alias ſcientias: ergo etiam datur in homine appetitus innatus ad Logicam, quia in quocumque ſubjecto datur appetitus ad finem, datur appetitus ad media conducentia, ad finis conſecutionem; Logica verò eſt medium ad alias ſcientias conſequendas, & ideò ſi in homine datur appetitus innatus ad allias ſcientias, dabitur etiam ſimilis appetitus ad Logicam.

Verum ratio hæc in forma

ma prædicta efficax esse non potest, quia ex appetitu ad aliquem finem non benè infertur appetitus ad media, tantum secundum quid necessaria ad finis consequtionem; & ideo, qui vult adire Matritum, non tenetur necessario appetere equum, qui tantum est medium secundum quid, & sine quo potest Matritum addire, & Deus amans necessario suam bonitatem, non necessario, sed liberè vult creaturas, quia bonitas divina sine creaturis potest esse, & conservari, quod totum *1. part. quæst. 19. artic. 3.* docet Angel. Doct. sed Logica est medium tantum secundum quid necessarium ad alias scientias consequendas, ut ostendimus infrà cum communiori doctrina: ergo ex appetitu ad alias scientias non benè infertur appetitus ad Logicam.

Secundo impugnatur ratio prædicta: quia intellectum appetere Logicam est certissimum in doctrina Div. Thom. & Logicam esse medium simpliciter necessarium est tantum in via Div. Thom. probabile; sed probare conclusionem certissimam per principium solum probabile; non est efficacitèr, & bene probare, siquidem quotiescumque arguitur à probabili ad certu consequens petit magis ad sui veritatem, quam antec. & ideo bona conseq. non est. Ergo ratio prædicta efficax esse non potest. Qua propter aliter

Conclusionem probamus primò ex Philosopho in principio Metaph. asserente, quod *omnes homines natura scire desiderant.* Ubi Angelic. Doct. addit, quod *naturaliter unusquisque desiderat scientiam, sicut materiam formam:* & ex his intulit Aristotel. quod quærere scientiam non est vanum, cum naturale desiderium vanum esse non possit, & quod inter omnes sensus maximè ab omnibus diligitur visus, quia talis sensus inter omnes magis facit nos cognoscere, & plures differentias rerum nobis demonstrat; sed Logica est verè scientia. Ergo in homine datur appetitus innatus, & inclinatio naturalis ad Logicam.

Respondebis: conseq. in ratione nostra contentam non esse bonam, quia procedit à superiori ad inferius affirmativè, videlicèt à scire, ut sic ad scire particulare, vèl ad scientiam Logicæ.

Contra tamen est: quia in ratione nostra non arguitur à superiori ad inferius affirmativè; sed potiùs à subalternante ad subalternatam, quæ quidem semper est bona consequent. ergo nulla est data solutio. Probatur anteced. nam propositio Aristotel. est doctrinalis, & idem ac si deceret, omnes homines naturaliter appetere omnes scientias, qua propter ex propositione illa Aristotel. deduxit hominem naturaliter ad Metaphisic. inclinari, ut cuicum-

que textum legenti constabit; sed arguere ex appetitu ad omnem scientiam, appetitum ad Logicam, est procedere à subalternante ad subalternatam. Ergo ita arguimus in ratione præcedenti, & non à superiori ad inferius affirmativè.

Contra rationem prædictam instabis: quia ex appetitu naturali innato ad scire non benè infertur appetitus innatus, ad quamlibet scientiam. Ergo ratio facta nititur falso principio. Probatur anteced. ex appetitu naturali innato ad bonum in communi non benè infertur appetitus naturalis ad quodcumque bonum, siquidem omnis homo appetitu naturali innato appetit bonum in communi, & tamen non appetit bonum apperens, quod quandoque est malum morale, quod non potest terminare naturalem inclinationem: ergo ex appetitu naturali innato ad scire non bene infertur appetitus ad quamlibet scientiam.

Respondetur tamen facile: hominem non appetere appetitu innato bonum in communi, prout abstrahit à bono vero, & à bono apparenti; eo quod appetitus iste est ab Authore naturæ, qui non potest dare appetitum, & inclinationem ad bonum, prout sic abstrahit; alias posset tribuere inclinationem ad malum: vndè solum appetit homo appetitu innato bonum verum in communi.

Dices: ergo appetit homo appetitu innato bonum verum in communi, & tamen ex tali appetitu non infertur appetitus innatus ad quodcumque bonum verum, alias homo appeteret naturaliter bonum supernaturale, quod est verum bonum: ergo ex appetitu ad scire ut sic, non infertur benè appetitus ad omnem scientiam.

Respondetur: ex appetitu innato ad aliquam rationem communem solum inferri appetitum ad rationem particularem proportionatam cum potentia appetente; cumque bonum supernaturale proportionatum non sit cum homine, & illius intellectu, suis viribus relicto; benè tamen sit proportionata Logica; inde fit, ex appetitu ad bonum ut sic non inferri appetitum innatum ad bonum supernaturale; & ex appetitu innato ad scire ut sic, inferri benè appetitum ad Logicam.

Secundo respondetur sicut supra: nos in præsenti non probare appetitum innatum ad Logicam, & ad alias scientias ex appetitu innato ad scire ut sic, sumptum in communi, vèl ad rationem communem scientiæ; sed solum ex appetitu innato ad scire, doctrinaliter acceptum; quod est probare ex appetitu ad omnem scientiam, appetitum ad scientiam particularem.

Secundo probatur con-

clu-

cluſio noſtra ratione, quam *loco citat.* Metaphiſic. habet Angelic. Doct. quia quælibet res appetitu innato appetit ſuam perfectionem ſibi proportionatam, & connaturaliter convenientem, ſicut lapis appetit centrum, & ignis alcendere ſurſum; ſed Logica eſt perfectio homini proportionata, & ipſius propria, connaturaliter potens convenire, ut perſe manifeſtum eſt: ergo homo appetitu innato debet appetere Logicam: ſicut propter eandem rationem appetitu innato appetit intellectus omnem ſcientiam naturalem, tanquam propriam perfectionem, cum qua intellectus meliùs ſe habet, quam ſi illa careret.

Reſpondebis: rationem hanc efficacem non eſſe ad ſuadendum intentum; quia cognitio falſa eſt perfectio intellectus, & actus peccaminoſus eſt perfectio voluntatis, quando quidem vterque actus propriam potentiam reducit de actu primo ad ſecundum, & de potentia ad actum, quod non poteſt non eſſe perfectio potentiæ proximè operativæ; & tamen nec intellectus appetit cognitionem falſam appetitu innato, nec voluntas actum peccaminoſum: ergo idem dicendum de intellectu in ordine ad Logicam.

Sed ſolutio nititur falſo principio: quia cognitio falſa eſt malum, & imperfectio intellectus, & actus peccaminoſus malum eſt, & imperfectio voluntatis, & uterque actus procedit contra naturam rationalem, quæ naturaliter inclinatur ad verum, & ad bonum conforme Legi, & rationi. Ergo falſum eſt dicere, actum falſum eſſe perfectionem intellectus, & actum peccaminoſum perfectionem voluntatis.

Sed inſtabis contra rationem iſtam: quia centrum eſt perfectio propria gravis; & tamen non omne grave naturaliter inclinatur ad centrum: ergo ex quo Logica ſit perfectio propria hominis, illique proportionata, non infertur, quod homo naturaliter inclinetur ad Logicam. Probatur min. Gravia, quæ ſunt viventia non inclinantur naturaliter ad centrum; eo quod nullum grave vivens poteſt eſſe connaturaliter in centro, ſed potiùs extra illud connaturaliter conſervatur: ergo non omne grave naturaliter inclinatur ad centrum.

Confirm. quia principium indifferens ad unum exercitium, & oppoſitum illius, non poteſt appetitu innato magis unum, quam oppoſitum appetere; ſed grave indifferens eſt ad centrum, & ad carentiam illius, & cum utroque exercitio poteſt coniungi: ergo non poteſt naturaliter appetere centrum.

Reſpondetur: negando minor. nam in gravibus viventibus

bus reperitur inclinatio naturalis ad centrum; quæ tamèn inclinatio naturalis ſubditur alteri inclinationi ſuperiori, & prædenominanti, quam habet vivens ad conſervationem vitæ, & ita non oportet explere inclinationem ad centrum; ſed potius propter inclinationem oppoſitam, non poteſt grave vivens eſſe connaturaliter in centro. Ex quo non infertur, inclinationem ad centrum eſſe fruſtraneam, quia non conſecutio centri deſervit finiſuperiori, ut, videlicèt, vitæ, & proprietates viventium conſerventur, & conſtituantur in loco apto, videlicèt, in ſuperficie terræ, vbi ſolum poteſt corruptio, & generatio viventium congruè exerceri.

Ad confirmat. facile dicitur: majorem eſſe veram de principio indifferenti indifferentia elicentiæ, & etiam inclinationis, grave verò, & ſi ſit indifferens indifferentia quaſi elicientiæ; non tamen eſt indifferens indifferentia inclinationis; ſed potiùs ad centrum naturaliter inclinat; ſicut voluntas indifferenter poteſt elicere actum vitioſum, actum bonum; & tamen ſolum ad actum bonum naturaliter inclinat, & actus vitioſus eſt contra ipſam naturam.

*** *** ***
* * *

§. III.

Argumentis contra concluſionem occurritur.

COntra concluſionem noſtram arguitur primo: ſi in homine eſſet appetitus innatus, & inclinatio naturalis ad Logicam, homines illi, qui non conſequerentur Logicam eſſent violenti; ſicut quia in lapide datur inclinatio naturalis ad centrum quicumque lapis extra centrum violenter exiſtit: ſed hoc non eſt concedendum: ergo in homine non datur appetitus innatus, & inclinatio naturalis ad Logicam.

Confirm. ſi in homine daretur inclinatio naturalis ad Logicam, non indigeret habitu, ad cognoſcendas veritates, quæ in Logica demonſtrantur; ſicut quia homo naturaliter inclinatur ad bonum honeſtum in communi, non indiget habitu ſuperaddito ad illius volitionem, ut 1. 2. *quæſt.* 18. communiter docetur à noſtris; ſed hoc etiam concedendum non eſt: ergo in homine non datur appetitus innatus, & inclinatio naturalis ad Logicam.

Reſpondetur ad argumentum negando majorem: quia ad violentum requiritur, actionem, vèl motum non eſſe à principio intrinſeco; ſed ſolum ab extrinſeco

seco principiò, & non consecutio Logicæ non est ab extrinseco, sed potiùs ab intrinseco, & quia homo liberè non vult se ad Logicam applicare propter difficultatem, & laborem, qui reperitur in ejus consecutione. Instantia est in peccato, quod est contra naturalem inclinationem naturæ rationalis; & tamen violentum non est, quia procedit ab intrinseco, & à libera hominis voluntate. Ex quo fit, non esse contra inclinationem eliciam, quamvis sit contra inclinationem innatam, & primum erat necessarium ut peccatum esset violentum: quod idem contingit in Logica, & hæc est secunda solutio.

Ad confirmat. negatur etiam maior. quia inclinatio hominis ad Logicam est incompleta, & imperfecta; non tamen inclinatur intellectus ad Logicam perfectè, & absque ulla difficultate, sed potius manet difficilis in consecutione ipsius, & ita indiget habitu; nam habitus datur ad vincendam difficultatem: sicut etiam voluntas indiget virtutibus moralibus, quamvis naturaliter inclinetur ad illarum objecta: eo quod talis inclinatio perfecta non est. De exemplo autem in confirmatione adducto dispar est ratio, quia voluntas ad bonum proprium, & beatitudinem in communi perfectam, & toraliter expeditam inclinationem habet, sicut lapis ad centrum, & ideò habitu superaddito non indiget.

Sed instabis: nam ad minus non poterit intellectus assuefieri ad exercitia incomposibilia cum adquisitione Logicæ; sed hoc est falsum: ergo falsum etiam est, intellectum ad Logicam naturaliter inclinari. Probatur mai. quia ad oppositum naturalis inclinationis non potest dari assuefactio habitualis, sicut lapis non potest assuefieri ad ascensum, eo quod ad descensum naturaliter inclinatur: ergo si intellectus naturaliter inclinatur ad Logicam, non poterit assuefieri ad exercitia incompossibilia cum adquisitione Logicæ, quod falsum esse experimur in plurib.s, qui otio indulgent, & in ludis occupantur, & hujusmodi alijs, quæ Logicæ consecutionem impediunt.

Facile tamen respondetur: quod quando inclinatio naturalis ad terminum perfecta, & completa est, non potest ad oppositum assuefieri potentia: sicut lapis non potest ad ascensum assuefieri, quia perfectè, & expeditè ad descensum inclinat, sed non sic inclinat intellectus ad Logicam, ut dictum est solutione præcedenti. Instantia est in voluntate creata, quæ naturaliter inclinat ad virtutem; & tamen sæpè numero assuefit actibus vitiosis, habitum generantibus.

Secundo arguitur: appe-

titus

titus naturalis innatus reperitur in omnibus ejusdem naturæ, quia talis appetitus est cum natura genitus, & indistinctos ab illa quoad propriam entitatem; sed appetitus ad Logicam non in omni homine reperitur: ergo in homine non datur appetitus innatus ad Logicam. Probatur minor: si talis appetitus daretur in omni homine, in pluribus frustraretur; sed appetitus innatus frustrari non potest, quia est à natura, & ab authore naturæ, & Deus, & natura nihil faciunt frustra: ergo talis appetitus non in omni homine datur. Probatur maior. appetitus, qui non consequitur terminum, est frustraneus, si quidem non consequitur illud, ad quod datur à natura; sed appetitus ad Logicam non consequitur talem terminum in pluribus, nam plures sunt, qui Logicam non adiscunt: ergo si talis appetitus daretur in omni homine, in pluribus frustraretur.

Respond. distinguendo maior. ultimam: qui in nullo individuo consequitur, concedo maior. & concessa minor. negatur consequent. Quia appetitus innatus, quem homo habet ad Logicam, est appetitus specificus, qui ad formam specificam consequitur, & sicut forma specifica est eadem formaliter in omni homine, ita etiam appetitus consecutus ad illam, in omnibus individuis est idem formaliter, & ideo sufficit, quod in aliquibus consequatur terminum Logicæ, ut frustraneus non sit, nam si semel consequitur in aliquibus, & est idem in omnibus, iam erit verum, appetitum illum consequi terminum proprium. Instantia argumenti invenitur in materia, quæ naturaliter inclinatur ad animam rationalem, quæ tamen inclinatio frustranea non est, quia licet non omnis materia proveniat ad animam rationalem, aliqua tamen materia animam rationalem consequitur. Et appetitus, quem habet mulier ad conceptionem prolis, non frustratur, quamvis aliquæ capaces non sint concipiendi, quia in alijs consequitur terminum proprium, & idem in omnibus est.

Sed instabis: ut appetitus iste sit frustraneus sufficit, quod in aliquo individuo non consequatur terminum proprium: ergo si in aliquibus non consequitur, frustraneus est. Probatur anteced. primo: appetitus, qui in omnibus consequitur terminum, in nullo frustratur. Ergo ut sit frustraneus in aliquibus, satis erit, quod in aliquibus terminum non consequatur.

Secundo probatur anteced. ut intellectus agens sit frustraneus in aliquo individuo, satis est, quod in illo propria operatione careat. Undè 3. *part. quæst. 9. artic. 4.* probat. Angel. Doct: intel-

intellectum agentem forè frustraneum in Christo, si in illo propria operatione careret. Ex quo inferunt Thomistæ, intellectum agentem in Christo habuisse exercitium abstrahendi species à phantasmis, & consequenter in ipso fuisse scientiam per se, & ex genere suo adquisitam. Ergo pariter vt appetitus in aliquo individuo sit frustraneus satis erit, quod in illo non consequatur terminum proprium.

Respond. ad replicam ne gando anteced. & ad primam probationem negatur consequent. quia si appetitus in omnibus consequitur suum terminum iam pervenit ad illud, ad quod datur à natura, & ità in nullo individuorum frustratur: si vero in aliquibus non consequitur, non propterea frustraneus erit, dummodo consequatur in alijs, quia appetitum esse frustraneum, est, nullo modo consequi suum terminum, & cum hic appetitus sit formaliter idem in omnibus: indè fit, quod si consequitur in aliquibus, iam est verum talem appetitum absolutè consequi terminum, & ideo frustraneus non est. Et instantia est supra facta ad principale argumentum.

Ad secundam probationem anteced. distinguo anteced. quando, ubi, & quomodo oportet cum operatione coniungi, concedo anteced. absolutè, & ex terminis, nego anteced. & consequent. Ut enim *loco citat.* §. *Ad primum*, asserit Caietan. Frustra est potentia, quæ non reducitur ad actum, quando, vbi, & quomodo oportet, nam unumquodque est propter suam operationem, & cum frustra sit, quod non assequitur finem, ad quem à natura destinatur, quando illud assequi debet, frustra etiam erit potentia, non conjuncta cum operari, quando, vbi, & quomodo oportet; cumque anima Christi, corpori mortali conjuncta, fuerit capax abstrahendi species à phantasmatibus, & hoc fuerit illi maximè connaturale; indè est, quod si intellectus agens non haberet talem operationem in Christo esset in illo frustraneus: verum tamen frustra non est potentia, vèl appetitus, si non reducuntur ad terminum, vèl ad actum, quando, & vbi non oportet, & non oportet, quod omnes homines consequantur Logicam, sed potius necessarium est, quod plures homines occupentur in exercitijs, quæ compati non possunt cum adquisitione scientiarum, ut possit debitè tota species hominum conservari. Instantia invenitur in intellectu Adami, & animæ separatæ, & in potentia generativa Christi Domini, quæ proprium actum non habuerunt; & tamen non fuerunt frustra, quia non oportebat, intellectum agentem Adami abstrahere species, sed habe-

bat

bat illas insuſſas, nec in anima ſeparata, quæ non eſt corpori, nec phantaſmatibus conjuncta, nec opportebat, Chriſtum generare, ut præberet exemplum caſtitatis.

Dices: quod appetitum eſſe fruſtraneum explicatur per iſtam propoſitionem: *Appetitus non conſequitur ſuum terminum, & finem*; ſed ut hæc propoſitio vera ſit, ſufficit, quod appetitus in aliquibus non conſequatur ſuum terminum: ergo appetitus, qui in aliquibus non conſequitur fruſtraneus eſt. Probatur minor. quia ly *appetitus* in prædicta propoſitione non ſupponit diſtributivè, ſed potius propoſitio illa eſt indefinita, ſicut hæc, homo non diſputat: ergo ſicut hæc vera ſit, ſatis eſt, aliquem hominem non diſputare, ita ut altera vera ſit, ſatis erit, quod appetitus in aliquibus non conſequatur ſuum terminum, & finem.

Reſpondet. negando minor. & ad probationem diſtinguo anteced. diſtributivè formaliter, concedo anteced. æquivalenter, nego anteced. & conſequent. Quia licèt appetitus in prædicta propoſitione non ſit formaliter diſtributus, eo quod non afficitur aliquo ſigno univerſali; æquivalenter tamen appetitus in illa propoſitione ſupponit diſtributivè pro appetitu omnium individuorum. Cuius ratio eſt, quia propoſitio prædicta continet diffinitionem appetitus fruſtranei, & conſequenter eſt in materia naturali, & cum in materia naturali indefinita æquivaleat univerſali, ſit conſequens, illam propoſitionem eſſe æquivalenter univerſalem, & diſtribuere pro appetitu cujuſcumque individui, & ita ut vera ſit, requiritur, quod appetitus in nullo individuo conſequatur terminum proprium. De alia vero propoſitione: *Homo non diſputat*: diſpar eſt ratio, quia illa eſt in materia contingenti, & non æquivalet univerſali, conſequenterque ut vera ſit, ſatis eſt, aliquem non diſputare.

Tertio arguitur: in homine non datur appetitus naturalis innatus ad omnes ſcientias: ergo non datur talis appetitus ad Logicam, nam Logicæ, & aliarum eadem ratio eſt. Probatur anteced. Appetitus innatus ad impoſsibile terminari non poteſt, & propterea in corpore non eſt appetitus innatus ad animam, ut reuniendam, quia reunio animæ ad corpus naturaliter impoſsibilis eſt. Et quidem ſi terminus appetitus eſt impoſsibilis per naturam, appetitus erit fruſtraneus, & ipſa natura fruſtra habebit appetitum, quando quidem natura non poteſt illum ad terminum proprium perducere, ſed adiſcere omnes ſcientias eſt naturaliter impoſsibile; eo quod ſcientiæ ſunt plures, & vita hominis brevis, & occupaciones multæ, &

ſcias

ſenſus, à quibus pendet cognitio labore fatigantur, &. continuè miniſtrare non poſſunt: ergo in homine non dátur appetitus naturalis innatus ad omnes ſcientias.

Reſpondet quidam Thomiſta, quod ſicut ut appetitus ad Logicam non ſit fruſtraneus, ſufficit, quod in aliquibus conſequatur ſuum terminum; ita ut appetitus ad omnes ſcientias non ſit fruſtra, ſufficit, quod aliquas conſequatur.

Sed hæc ſolutio vera non eſt: quia ſi intellectus naturaliter appetit omnes ſcientias, omnes illæ erunt terminus appetitus, & non medietas, vèl aliqua pars illarum, conſequentèrque appetitus ille, qui aliquas conſequitur, & alias non conſequetur partem aliquam ſui termini, non tamen terminum totum, ac proinde erit ſaltim partim fruſtraneus, quamvis totaliter fruſtraneus non ſit; ſed implicit appetitum innatum eſſe partim fruſtraneum, & pro altera parte non ergo implicat data ſolutio, & ideo illa relicta, aliter.

Reſpondetur ad argumentum primo: negando anteced. & ad probationem diſtinguo maior. Ad impoſsibile, tàm Phyſicè, quam moraliter, concedo maior. Impoſsibile moraliter tantum, nego maior. & ſub eadem diſtinctione minoris, negatur conſequent. Licèt namque appetitus undequaque perfectus, qui ſupponit in natura virtutem completam, & expeditam ad terminum conſequendum, non poſſit ad terminum moraliter impoſsibilem terminari. Appetitus tamen incompletus, & imperfectus poteſt terminari ad moraliter impoſsibile, quamvis non ad terminum impoſsibilem Phyſicè, & licèt addiſcere omnes ſcientias ſit moraliter impoſsibile, & gratiam ſpecialem requirat Dei, ut Authoris naturæ, Phyſicè tamen impoſsibile non eſt; ſed potiùs poteſt haberi per virtutem Phyſicam intellectus, ſuperaddita tantum gratia ſpeciali morali, & ut ipſe appetitus non ſit fruſtra, ſatis eſt, terminum illius de facto, & in re haberi poſſe per hanc gratiam ſpecialem, quæ tamen eſt gratia intra ordinem naturæ; Ex quo conſtat, quid dicendum ſit ad exemplum reunionis animæ cum corpore, quæ etiam Phyſicè eſt impoſsibilis per naturam. Inſtantia argumenti invenitur in appetitu naturali, quem habet homo ad beatitudinem naturalem, quæ tamen eſt moraliter impoſsibilis per vires naturæ; quia includit obſervantiam totius Legis, quæ ſine gratia ſpeciali moraliter impoſsibilis eſt.

Secundo reſpondet. Intellectum appetitu innato non appetere omnes ſcientias collectivè,

vè, ſed ſolum omnes ſcientias diviſivè, quomodo poteſt addiſcere omnes ſcientias, quia nulla eſt, quam addiſcere non poſit, licèt ad omnes ſumptas collectivè poteſtatem non habeat: ſicut materia appetit omnes formas, quia licet non poſsit recipere omnes formas collectivè, nulla tamen eſt, quam recipere non poſsit, & ideo poteſt omnes diviſivè recipere. Quæ ſolutio probabiliſsima, & facilis eſt.

Gratia tamen doctrinę, aliter reſpondemus: hominem appetere omnes ſcientias, non ſecundum totum, ſed ſolum ſecundum animam, ex quo infertur, non appetere illas, ut cognoſcendas pro omni ſtatu, ſed ſolum pro ſtatu ſeparationis, & ita argumentum ſolum probat intellectum poſſe cognoſcere omnes ſcientias in ſtatu ſeparationis, in quo nulla implicatio invenitur; ad eum modum quo Angel. Doct. 2. *Contra gentes, cap. 79 numer.* 4. probat animam eſſe immortalem, quia homo ſecundum animam appetit eſſe perpetuum, & ita in aliquo ſtatu debet ſemper vivere; cumque ſtatus iſte de Lege ordinaria non poſsit eſſe niſi ſtatus ſeparationis, dicendum eſt hominem in tali ſtatu poſſe perpetuo durare; & ſicut hoc ſatis eſt, vt ſecundum animam appetat eſſe perpetuum, ita ut ſecundum animam appetat omnes ſcientias, ſatis erit, quod in ſtatu ſeparationis poſsit omnes illas habere.

§. IV.

Secunda Concluſio.

Datur etiam in homine appetitus elicitus neceſſarius quoad ſpeciem in ordine ad Logicam.

APpetitus elicitus in ordine ad aliquem terminum poteſt eſſe, vèl liber, vèl neceſſarius: appetitus elicitus liber eſt actus voluntatis, qui tendit ad objectum cum indifferentia propoſitum, ſicut quando libere amamus aliquem hominem, quem poſſumus non amare. Appetitus verò elicitus neceſſarius eſt ille, qui tendit ad objectum cum determinatione, & non cum indifferentia, alius tamen neceſſarius eſt quoad ſpecificationem, & exercitium, ſicut appetitus beatorum ad amandum Deum, nam ipſi ſemper ſunt, & non poſſunt non eſſe in ipſo exercitio amandi. Alius vero neceſſarius eſt quantum ad ſpeciem, ſed non quoad exercitium, ſicut appetitus intellectus ad verum, & voluntatis ad bonum, nam eo ipſo quod intellectus tendat ad verum, debet eſſe per aſſenſum, & eo ipſo quod voluntas tendat ad bonum debet eſſe per amorem, quamvis intellectus poſsit carere exer-

exercitio assentiendi, & voluntas exercitio amandi. Quo præintellecto.

Probatur conclusio nostra ratione: quia in homine habente Logicam non est dabilis aliquis actus circa illam, qui non sit actus amoris: ergo appetit Logicam appetitu elicito necessario, quantum ad speciem actus, nam illam appetere prout sic, nihil aliud est, quam non posse circa illam versari, nisi per actum specie determinatum amoris. Anteced. probatur: Nam homo habens notitiam Logicæ non potest odio Logicam habere: ergo in tali homine non est dabilis actus aliquis circa Logicam, qui non sit actus amoris. Anteced. probatur: Non potest homo odio habere propriam perfectionem, & bonum; nam bonum est, quod omnia appetunt, & revera si homo haberet odio propriam perfectionem, & bonum, haberet odio se ipsum, quando quidem haberet odio illud, quo ipse bonus, & perfectus sit; sed Logica est bonum hominis, & propria illius perfectio: ergo homo habens notitiam Logicæ, non potest odio illam habere.

§. V.

Solvitur argumentum contra conclusionem istam.

COntra conclusionem istam arguitur: quod appetitur necessario, quantum ad speciem, non potest odio haberi; nam objectum aliquod necessario appeti quantum ad specificationem, nihil aliud est, quam quod si voluntas circa tale objectum prorrumpat in actum, ille actus debet esse amor, & non potest esse odium; sed plures homines odio habent Logicam, ut experientia teitatur: ergo non datur in homine appetitus elicitus necessarius quo ad speciem.

Respondetur disting. minor Logicam ratione sui, nego minorem. Ratione laboris, & difficultatis repertæ in ejus adquisitione, concedo minorem. Quia homines odio habent Logicam ratione laboris, qui reperitur in ejus adquisitione; non tamen odio habent Logicam secundum se sumptam, & quatenus est perfectio intellectus humani, sed prout sic appetunt illam necessario quantum ad specificationem: nec novum est, aliquod objectum necessario sic appeti; & odio haberi ratione laboris adjuncti; nam homines necessario quoad speciem appetunt virtutes, & tamen ratione laboris nolunt vi-

vivere virtuosè, & omnes appetunt vitam necessario quoad speciem, & tamen aliqui odio vitam prosequuntur propter labores, & angustias, quæ in vita reperiuntur; sicut patet in illis, qui se ipsos interimunt.

Sed instabis primò: quod appetitur necessario quoad speciem, nec ratione alterius potest odio haberi: undè beatitudo in communi nec ratione sui, nec ratione alterius potest odio haberi, quia necessario quantum ad speciem amatur; sed plures homines odio habent Logicam ratione laboris, ut concedimus: ergo non appetunt illam necessario quoad speciem.

Secundo instabis: nullum bonum particulare potest quantum ad speciem necessitare voluntatem nostram: Sicut 1. 2. *quæst.* 54. *art.* 8. docet Angelic. Doct. & ex eo constat, quod necessitas quantum ad speciem provenit ex eo, quod nulla imperfectio, vèl ratio mali reperitur in objecto, & in omni bono particulari creato reperitur aliqua reperitur aliqua ratio mali, vèl imperfectio aliqua; eo quod nullum bonum creatum est bonum ex omni parte; sed Logica est bonum particulare intellectus: ergo non potest homo appetere Logicam necessario quoad speciem.

Tertio instabis: Logica etiam secundum se potest odio haberi: ergo nullo modo appetitur necessario quoad speciem. Prob. anteced. quando cum bono per se conjungitur malum, etiam bonum secundum se odio habetur, & ideò homo habet odio introductionem novæ formæ, quia quamvis talis introductio sit bona Physicè materiæ, per se tamen conjungitur cum aliquo malo, videlicèt cum morte, quæ non amatur ab homine; sed Logica per se conjungitur cum aliquo malo, videlicèt cum labore, qui reperitur in ejus consecutione: ergo etiam secundum se poterit odio haberi.

Respondetur ad primam: distinguo maior. necessitate perfecta, concedo majorem: imperfecta, nego major. & concessa minor. negatur consequent. Illud namque quod appetitur necessario quantum ad speciem necessitate perfecta, & totali, non potest odio haberi, & hujus generis est beatitudo in communi, quæ solum importat rationem boni satiantis, & quietantis appetitum voluntaris, & non habet aliquod malum conjunctum, ratione cujus possit terminare odium, & ita perfectè necessitat; Logica vero non est perfectio, & bonum undequaque perfectum, sed laboribus, & difficultatibus adjunctum, & ideò non perfectè necessitat, sed ratione laboris, quem admittit, potest odium terminare. Instantia est in vi-

ta,

ta, quæ ſæpè habetur odio ratione laboris.

Ad ſecundam reſpondetur: bonum particulare creatum non poſſe neceſsitare voluntatem quantum ad ſpecificationem neceſsitate perfecta; bene tamen neceſsitate imperfecta: ſicùt vita propria, quæ eſt bonum particulare, tali modo appetitur neceſſario.

Ad tertiam inſtantiam reſpondetur: quod quando malum conjunctum deſtruit ſubjectum, vèl affert illi maximam diſconvenientiam, poteſt bonum odio haberi, & huius generis eſt introductio novæ formæ, quæ ſubjectum deſtruit, & deſtructio ſubjecti præponderat ſupra bonum, quod introductio novæ formæ affert reſpectu materiæ: verum tamen labor repertus in adquiſitione Logicæ, parvam diſconvenientiam affert, & perfectio, quam Logica communicat, multum præponderat ſupra laborem prædictum, & ideo non obſtante labore, poteſt Logica ſecundum ſe neceſſario appeti.

Sed inſtabis: labor repertus in adquiſitione Logicę, quamvis parvam diſconvenientiam afferat, poteſt odio haberi: ergo etiam poterit odio haberi Logica ſecundum ſe ſumpta. Probatur conſequent. Quia appetitus, & inclinatio ad Logicam, per ſe connectitur cum appetitu ad laborem: ergo ſi labor iſte poteſt odio haberi: Logica etiam poterit non amari. Probatur anteced. Appetitus, & inclinatio ad finem per ſe connectitur cum appetitu ad media conducentia ad conſecutionem finis; ſed labor ille eſt medium ad Logicam conſequendam: ergo appetitus ad Logicam per ſe connectitur cum appetitu ad laborem.

Reſpondetur negand conſequent. & ad probationem diſtinguo anteced. Ad laborem ut medium utile, concedo anteced. Ad laborem ſecundum ſe, nego antecedens, & conſequent. Quia appetitus ad finem ſolum per ſe connectitur cum appetitu ad media, quatenus conducentia, & utilia ad conſecutionem finis: non tamen cum medijs ſecundum ſe. Ex quo infertur, quod qui appetit Logicam, debet appetere laborem, ut utilem, & conducentem, ad Logicam conſequendam; non tamen quod debeat appetere laborem ſecundum ſe, & quatenus ſenſus fatigat, & malum hominis eſt, ſed prout ſic odio habet laborem, ſicut qui appetit virtutem, odio habet laborem neceſſarium ad ſalutem inſpectum ſecundum ſe, & quatenus malum eſt, quamvis laborem diligat, ut utilem ad virtutem conſequendam.

Addimus: hominem appetentem Logicam etiam appetere laborem, per ſe requiſitum ad Logicam conſequendam, illum, videlicèt, qui in hominibus boni

ingenij, & rebus non occupatis necessarius est, ad Logicam addiscendam: cum quo benè stat, odio habere alios labores, qui tantum per accidens requiruntur ad Logicam consequendam, quales sunt labores illi, qui patiuntur homines rudes, & tradditi vitijs, vèl in alijs ocupati, sine quibus per se potest Logica haberi. Quæ, quia materia facilis est, de illa dicta sufficiant.

§. Ultimus.

Corollaria ex dictis.

EX dictis in artic. discursu colligitur primo: homines secundum appetitum individualem inæqualitèr appetere scientias; nam aliqui propter suam individualem conditionem magis inclinantur ad Logicam, alij ad arismeticam, alij ad medicinam, prout unusquisque indicat sibi convenire ad bonum particulare individui: secundum verò appetitum specificum, & ad formam specificam consecutum, magis appetere homines scientiam illam, quæ perfectior est.

Ratio autem ea est, quia homo appetit scientiam, ut per ipsam perficiatur; sed scientia magis perfecta, magis etiam perficit hominem, & illius intellectum: ergo loquendo de appetitu specifico, magis appetit homo scientiam illam, quæ perfectior est.

Confirmatur: nam homo naturalitèr appetit bonum proprium, & consequentèr majus bonum magis naturalitèr appetit; sed scientia perfectior est maius bonum hominis majorq; perfectio illius: ergo naturalitèr appetit magis scientiam, quæ perfectior est.

Sed instabis: quod appetitus ad scientias est idem realitèr: ergo non potest esse maior in ordine ad perfectiorem, nam idem realitèr appetitus nequit esse maior, & minor. Anteced. probat. Appetitus ad omnes scientias est idem realitèr cum potentia, vèl intellectu appetente: ergo in se ipso est idem realitèr, nam ea, quæ sunt eadem vnitertio, sunt eadem realitèr inter se.

Respondetur appetitum ad omnes scientias esse eundem realitèr, & ita non posse esse maiorem, vèl minorem entitativè, vèl in esse entis; posse tamen esse maiorem, vèl minorem virtualitèr terminativè, quia ad scientiam perfectiorem magis inclinatur, & propendit ipsa natura intellectus, ad quod sufficit distinctio virtualis à parte rei, & formalis per rationem in ipso appetitu, ut terminatur ad unam, & alteram scientiam magis, vèl minùs perfectam.

Secundo instabis: quod materia æqualitèr appetit omnes formas: ergo intellectus æqualitèr debet appetere omnes scientias, quia sicut intellectus appetit scien-

ſcientiam tanquàm ſui perfectionem, ita materia appetit formam.

Reſpondetur negando conſequent. Quia materia appetit formas ſecundum rationem communem formę amiſsibilitèr informantis, in qua ratione omnes formæ conveniunt æqualitèr; intellectus vero appetit ſcientias ſecundum rationes particulares, & ideo magis appetit perfectiorem: ratio autem doctrinæ ea eſt, quia materiæ appetitus datur ab Authore naturæ, ut ſalvetur univerſi pulchritudo, quæ conſiſtit in varietate formarum, media generatione, & corruptione advenientium, & ideo talis appetitus tendit ad formas ſecundum rationem communem, & non ad illas ſecundum rationes peculiares; alias dum materia eſſet ſub forma perfectiori non appeteret minùs perfectam, & ita deficeret generatio; quæ doctrina in intellectu non militat, qui ſolum appetit ſcientias, ut per eas perficiatur, conſequenterquè magis debet appetere perfectiorem.

Secundo ex dictis infertur: intellectum magis appetere alias ſcientias, quam Logicam, quia ſcientia perfectior, perfectiorem terminat appetitum, & aliæ ſcientiæ perfectiores ſunt, eo quod habent perfectiora objecta, de quo alibi dicemus.

Sed inſtabis: intellectus magis odio habet carentiam Logicæ, quam carentiam aliarum ſcientiarum, quia ex carentia Logicę infertur aliarum carentia: ergò magis appetit Logicam, nam intellectus magis debet amare illam perfectionem, cuius carentia peior eſt, & magis odio habetur.

Confirmatur: quia Logica habet maiorem proportionem cum intellectu hominis: ergo magis appetit illam. Probatur antecedens primo. Quia Logica eſt priùs adquirenda: ergo eſt magis proportionata, nam objectum prius cognitum debet eſſe illud, quod eſt magis proportionatum.

Secundo probatur anteced. Logica eſt magis diſcurſiva, quam aliæ ſcientiæ, & propterea ſcientia rationalis appellatur: ergo eſt magis proportionata cum intellectu, cuius ultima differentia eſt eſſe diſcurſivum, & rationalem.

Reſpondetur ad argumentum, diſtinguendo anteced. Carentiam Logicæ per accidens, & ratione alterius, & quatenus ex illa infertur carentia aliarum, concedo anteced. per ſe, & proptèr ſe, nego anteced. & conſequent. Vel negamus abſolutè anteced. quia carentiam Logicæ odio habet intellectus propter carentiam aliarum ſcientiarum primò, & principalitèr, & ideo magis odio habet aliarum ſcientiarum carentiam, nam proptèr quod unumquodque tale; & illud magis.

Ad confirmationem ne-

gatur antecedens. & ad probationem negatur consequentia. Nam ut aliquod prædicatum, vèl aliqua perfectio sit prior in executione, sufficit, quòd secundum quid sit magis proportionata, non tamen requiritur esse magis proportionatam simpliciter; & ita ex quo Logica prior sit in adquisitione, non infertur esse magis proportionatam simpliciter.

Ad secundam probationem distinguo antecedens. Magis discursiva secundum quid, concedo antecedens; simpliciter, nego antecedens. & consequentia. Quia Logica solum secundum quid, & ex parte materiæ est magis discursiva, quatenùs docet conficere demonstrationem, & passiones de discursu demonstrat, & dirigit intellectus operationes; non tamen est magis discursiva simpliciter, sed potius hoc habent cæteræ scientiæ, quæ discurrunt circa entia realia, & passiones illorum demonstrant, & ideo comparativè ad intellectum perfectiores sunt, & non solum secundum se, sicut status separationis secundum se perfectior est, non tamen comparativè ad animam rationalem, cui tanquam parti institutæ ad componendum connaturaliter, & perfectior est status conjunctionis cum corpore.

Dices: quod aliæ scientiæ sunt discursivæ dependenter à Logica: ergo Logica est magis discursiva simpliciter.

Respondetur, distinguendo antecedens. Dependenter à Logica quantum ad regulas, & modum discurrendi, quem Logica tradit, concedo antecedens. Quantum ad principia discursus, nego antecedens. Sed potius habent perfectiora principia, à quibus substantia, & esse simpliciter discursus accipitur.

ARTICULUS II.

Vtrùm Logica sit ad alias scientias simpliciter necessaria?

§. I.

Quibusdam suppositis statuitur negativa conclusio.

GRavis est difficultas, quam in præsenti agredimur explicandam, & pro ejus intelligentia oportet notare primo: duplex esse necessarium, unum videlicèt simpliciter, & aliud secundum quid; illud dicitur simpliciter necessarium ad finem, sine quo finis ipse nullo modo consequi potest, sicut lux requiritur ad videndum, & cibus est necessarius ad conservationem vitæ. Necessarium verò secundum quid est illud, sine quo absolutè potest consequi finis, melius tamen cum illo, quam sine illo consequetur, sicut equus requiritur ad iter agendum, quia quamvis sine equo iter

ter facere posimus, melius tamen cum equo iter facimus.

Secundo notandum est; in multiplici statu posse scientiam considerari, in statu videlicèt imperfecto substantialitèr, quando quis habet scientiam vnius, vèl alterius conclusionis, & in statu substantialitèr perfecto, ut cum quis habet scientiam ferè omnium conclusionum, quæ in illa demonstrantur. Potest insuper considerari scientia in statu imperfecto accidentalitèr, quando, scilicèt, habet quis scientiam plurimarum conclusionum, vèl omnium illarum, non tamen scit eas defendere ab argumentis contrariorum. Et etiam potest scientia considerari in statu accidentalitèr perfecto, sicut cum quis habet scientiam conclusionum, & scit eas resolvere in sua principia, & regulas disserendi, & veritatem deffendere, & eos, qui contradicunt arguere.

Tertio supponendum est: difficultatem non procedere de Logica naturali, quæ est ipsum lumen naturale intellectus, sine quo certissimum est, neminem posse scientificè cognoscere veritatem: undè solum difficultas est de Logica artificiali, quæ tradit regulas ad scientificè discurrendum in quacumque materia, & specialitèr circa passiones entis rationis, quod respicit ut objectum, illasque de tali objecto demonstrat. Quid autem de Logica præceptiva sentiamus; constabit ex dicendis, & quidem si Logica præceptiva sit intellectus percipiens vim, & efficaciam syllogismi clarissimi, & benè constructi, ea sine dubio simplicitèr necessaria est; si autem Logica præceptiva sit intellectus actuatus omnibus regulis, & præceptis, quæ in dialectica tradduntur, ea non est simplicitèr necessaria, quia intellectus bene dispositus, & regularum ignarus, potest evidenter cognoscere præmissas claras, & bene dispositas in syllogismo de Barbara benè inferre conclusionem.

Quarto supponendum est: Logicam artificialem esse necessariam simplicitèr ad alias scientias in statu perfecto accidentali consequendas, quia scientiam habere perfectam accidentalitèr, non solum est cognoscere conclusiones pertinentes ad illam, sed etiam scire regulas universales, & modum faciendi demonstrationes, & evitandi fallacias, & facilitèr argumentis satisfacere contrariorum, vèl saltim sine speciali difficultate, quæ omnia sine Logica non possunt haberi, consequentèrque erit illa simplicitèr necessaria ad alias scientias perfectè accidentalitèr consequendas.

Sed instabis contra suppositionem prædictam: quia si Logica simplicitèr necessaria est ad alias scientias perfectè accidentalitèr consequendas, ad hunc sta-

tum habendum erit habitus Logicæ ſimpliciter neceſſarius, & non ſolum ſecundum quid, vèl ad melius eſſe, aut modi facilitatem: ſed habitum Logicæ non eſſe ſimpliciter neceſſarium, ſed ſolum ſecundum quid, & ad modi facilitatem, infra dicemus: ergo Logica ſimpliciter neceſſaria non eſt ad alias ſcientias perfectè accidentaliter conſequendas.

Confirmatur: ſi ad ſcientias perfectè accidentaliter conſequendas eſt neceſſarius ſimpliciter habitus Logicæ, & non ad illas ſubſtantialiter adquirendas, erit habitus prædictus neceſſarius ad vincendam difficultatem materialem, ſupponentem ſubſtantiam ſcientiæ, & victam difficultatem formalem: ſed habitus non requiritur per ſe ad vincendam difficultatem materialem: ergo Logica nequit eſſe ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias perfectè accidentaliter conſequendas.

Reſpondetur diſtinguendo minor. ſimpliciter neceſſarium ad ſubſtantiam ſcientificæ cognitionis, concedo minor. Ad perfectionem accidentalem ſcientiæ, nego minor. Quia infra tantum dicemus habitum non requiri ſimpliciter operandum, & agendum; non tamen non requiri ſimpliciter ad facilitèr agendum, & ad perfectionem accidentalem, ſed potius effectus facilitatis eſt effectus formalis habitus, & ſine illo impoſsibilis eſt.

Ad confirmationem reſpondetur: habitum Logicæ per ſe primo tantum requiri ad vincendam difficultatem formalem repertam in Logica, quia tamen difficultas Logicæ formalis debet vinci, ut aliæ ſcientiæ habeant ſtatum perfectum accidentalem, propterea habitus Logicæ ex conſequenti requiritur ad vincendam illam difficultatem materialem in quacumque altera ſcientia.

Tandem ſupponendum eſt: ad alias ſcientias etiam ſubſtantialiter conſequendas, eſſe Logicam ſecundum quid neceſſariam, & ad melius eſſe, quia ea ſcientia ſecundum quid, & ad melius eſſe neceſſaria eſt, quæ tradit modum adquirendi alias ſcientias; ſed Logica tradit modum adquirendi alias ſcientias; eo quod docet diffinire, dividere, & argumentare: ergo ſaltim ſecundum quid eſt ad alias neceſſaria, & ut ipſæ magis facile conſequantur: propterea que Logica adquiritur ante alias, & ex propria natura exigit, quod ſit in executione, vèl ad quiſitione prima, quam difficultatem levitèr attingimus, quia illam in quæſtionibus diſputatis dialecticè latiſsimè proſequemur.

His ergo prælibatis: ad neceſsitatem ſimpliciter talem, & in ordine ad ſcientias ſubſtantialiter habendas, reducitur difficultas, in qua parte affirmant aliqui

qui Logicam artificialem esse simpliciter necessariam ad quamcumque scientiam etiam substantialiter consequendam. Ita Mag. Soto *quæst.* 3. *Proœmiali.* Illustris. Araujo 2. *Metaphisic. quæst.* 3. *articul.* 3. Sapient. Mag. Navarrete, ex Conventu Div. Pauli Vallis-Oletani scientia, & virtute clarissimus, Parra, & Lerma cum alijs.

Secunda per oppositum defendit, Logicam non esse simpliciter necessariam ad alias scientias substantialiter consequendas, ita eruditissimus Masius, venerandi Complutenses. Reverendissimus à Sancto Thoma. Lince cum alijs, & frequenter extra scholam D. Th. cum quibus sit.

§. II.

NOSTRA CONCLVSIO.

Ad alias scientias substantialiter consequendas non est Logica simpliciter necessaria.

CONclusionem istam probamus primò: ex Angelic. Magist. 9. *Metaph. lect.* 7. specialiter in fine asserente: *Sed & in ipsa ratione, naturaliter præsunt quædam semina, & principia scientiarum, & virtutum, virtute quorum potest homo aliqualiter exire in scientiæ, & virtutis actum, antequam habeat habitum scientiæ, & virtutis, quo adepto, operatur perfectè.* Et paulo ante dixerat Angel. Doct. quod addiscens artem operatur opera artis sine arte, licèt non faciat opus artis perfectè, sicut ille, qui iam habet artem. In quibus expresè docet, intellectum sola virtute naturali posse exire in actum scientiæ, & virtutis. Et aliundè generaliter docet, posse aliquem operari effectum artis sine arte, sed Logica, in ordine ad alias scientias, concurrit cum intellectu per modum habitus artificialiter adjuvantis intellectum: ergo intellectus, solo lumine naturali, & sine habitu Logicæ, potest actum scientificum elicere in quacumque scientia, & demonstrationem facere.

Ratione vero probant aliqui extra scholam Div. Th. Quia intellectus solo lumine naturali potest evidenter cognoscere Deum esse, quia si lumine naturali non posset cognoscere evidenter Deum esse, possent plurimi homines invincibiliter ignorare Deum existere; cum tamen Deum esse non possit invincibiliter ignorari, alias posset homo inculpabiliter ignorare Deum verum, & sine culpa adorare Deum falsum, quod admitendum non est; sed Deum esse solum potest evidenter cognosci per discursum, & veram demonstrationem, sicut 1. *part. quæst.* 2. communiter docetur à Theologis: ergo potest

deſt intellectus ſolo lumine naturali veram demonſtrationem efficere, & per illam adquirere ſcientiam.

Hæc tamen ratio vaniſſima eſt: quia ſi probaret, convinceret etiam omnes homines, quantumvis rudes, poſſe veram demonſtrationem efficere, & adquirere ſcientiam, ſiquidem nullus homo quamvis incultus, & rudis poteſt Deum invincibiliter ignorare.

Præterea impugnatur ratio iſta: quia ad tollendam ignorantiam invincibilem, neceſſaria non eſt cognitio evidens, & demonſtrativa Dei, ſed ſufficit cognitio probabilis, vèl quæ habetur per relationem aliorum, & eorum inſtructionem, qualis eſt v.g. cognitio, quæ nullum hominem latet de eo, quod in hoc univerſo perfectè diſpoſito debet eſſe ſupremus aliquis gubernator, cui parendum eſt, & quem unuſquiſque tenetur inquirere, quiſnam ſit, & qua ratione colendus: ergo, &c. Ergo ratio prædicta nititur principio falſo. Probatur anteced. Illa cognitio ſufficit ad tollendam invincibilem ignorantiam, quæ poteſt eſſe principium operationis practicæ moralitèr honeſtæ, ſed cognitio probabilis poteſt eſſe principium operationis practicæ honeſtæ moralitèr, ut per ſe conſtat: ergo cognitio prædicta ſufficit ad tollendam invincibilem ignorantiam, & cognitio evidens neceſſaria non eſt.

Secundo concluſionem probant alij intra Scholam Div. Thom. quia actus ſcientificus producit habitum ſcientiæ in virtute potentiæ intellectivę, cuius ſola virtute, poteſt actus ſcientificus producere habitum univerſalem: ergo potentia intellectiva, ſola ſua naturali virtute, & independentèr ab habitu ſcientifico Logicæ, poterit quemcumque alium habitum ſcientificum producere.

Sed hæc ratio plures patitur inſtantias: quia phantaſma in virtute intellectus agentis producit ſpecies intelligibiles, & potentia generativa in virtute ſubſtantiæ producit aliam ſubſtantiam, & idem in pluribus aijs; & tamen nec phantaſma, ſe ſolo, poteſt producere ſpecies intelligibiles, nec potentia generativa, ſe ſola, poteſt producere aliam ſubſtantiam: ergo ex quo actus ſcientificus in virtute intellectus producat habitum univerſalem, minimè infertur, intellectum, ſe ſolo poſſe producere talem habitum. Qua propter tali ratione relicta.

Probatur efficacitèr concluſio noſtra ratione: quia habitus philoſophiæ poteſt adquiri ſolo lumine naturali, & independentèr à Logica artificiali, & idem dicendum de habitu cuiuſcumque alterius ſcientiæ, nam omnium eadem ratio eſt: ergo Logica non eſt ſimpliciter neceſſaria

saria ad alias scientias substantialiter consequendas. Probatur anteced. Facillima veritas philosophiæ potest cognosci solo lumine naturali demonstrativè evidenter; sed per demonstrationem prædictam adquiritur habitus, si non supponatur antecedenter productus: ergo habitus philosophiæ potest adquiri solo lumine naturali, & independenter à Logica scientiæ. Probatur maior. Si semèl veritas difficilior potest cognosci solo lumine naturali demonstrativè evidenter, etiam veritas facilis eiusdem ordinis poterit solo lumine naturali cognosci evidenter demonstrativè; sed facillima veritas philosophiæ non ita difficilis est, sicut veritas, quæ primò demonstratur in Logica, & hæc secunda veritas cognoscitur evidenter solo lumine naturali: ergo etiam facillima veritas philosophiæ poterit cognosci solo lumine naturali demonstrativè evidenter. Minor. patet quantum ad utramque partem; quoad primam quidem: quia veritas, quæ primo demonstratur in Logica, est passio entis rationis, & passio entis rationis difficilior est in cognosci quam passionem entis realis sensibilis, quæ in phifica demonstrantur, & passiones cuiuscumque alterius entis realis in difficultate excedit; unde Logica inter omnes scientias difficilior est. Et quantum ad secundam partem constat similiter min. Quia ante primam demonstrationem Logicæ non præcedit aliquis habitus scientiæ, & consequenter veritas, quæ primò demonstratur in Logica cognoscitur evidenter solo lumine naturali.

Mai. verò in qua difficultas est probatur primò: quia veritas difficilior robustiores vires desiderat in potentia cognoscente, ut ex terminis est manifestum: ergo si veritas difficilior potest cognosci solo lumine naturali, & absque habitu superaddito scientiæ, etiam veritas, quæ magis facilis est poterit solo lumine naturali cognosci demonstrativè evidenter.

Secundo probatur maior. nam modus ille arguendi procedit à majori, ad minus intra eundem naturalem, & hic modus arguendi efficacissimus est: unde in doctrina Thomistarum 1. 2. *quæst.* 109. *artic.* 2. Si voluntas sine gratia speciali superaddita posset ad opus difficile intra ordinem naturæ, posset etiam ad opus facile sine superaddita gratia: ergo si veritas difficilior potest cognosci solo lumine naturali, etiam veritas facilis poterit solo lumine naturali cognosci demonstrativè evidenter.

Confirmatur ratio prædicta, quia ut aliquis assentiatur scientificè conclusionem, & per talem assensum adquirat habitum scientiæ, sufficit cognitio exercita bonitatis consequentiæ; sed

hæc

hæc poteſt haberi ſine Logica: ergo Logica ſimplicitèr neceſſaria non eſt ad ſcientias ſubſtantialitèr conſequendas. Minor patet in prima demonſtratione Logicæ, qua Logica generatur, in qua quidem cognoſcitur bonitas conſeq. exercitè ſine Logica, eo quod tales demonſtratio ipſam Logicam præcedit.

Reſpondent adverſarij in prima demonſtratione Logicæ exercitè cognoſci bonitatem conſequent. ſine Logica formali; non tamen ſine Logica virtuali, nam in prima demonſtratione, qua Logica generatur, demonſtratur ipſa bonitas conſequent. & infertur pro concluſione, cumque concluſio virtualitèr contineatur in præmiſsis, & ut ſic virtualitèr præcedat, indè fit, bonitatem conſequentiæ prout ſic præcedentem exercitè poſſe cognoſci ſolo lumine naturali, & ut ſic cognitam dirigere intellectum, ut aſſentiatur ſcientificè concluſioni; quod tamen non contingit in alijs demonſtrationibus, in quibus pro concluſione non infertur ipſa bonitas conſequentiæ.

Efficacitèr tamen impugnatur iſta ſolutio: quia intellectus etiam in alijs demonſtrationibus poteſt evidentèr cognoſcere concluſionem contineri in præmiſsis, & benè ex illis inferri, ſi ſolutio vera eſt; ſed talis cognitio ſufficit, ut intellectus aſſentiatur ſcientificè conclutioni: ergo poteſt intellectus ſolo lumine naturali ſcientificè cognoſcere concluſionem independentèr à Logica. Probatur mai. primò: bonitas conſequentiæ, quæ infertur pro concluſione in prima demonſtratione, eiuſdem rationis eſt in ratione concluſionis illatæ, cum qualibet alia concluſione, quatenus concluſio eſt, & ex præmiſsis infertur; ſed in prima demonſtratione Logicæ cognoſcit intellectus ſolo lumine naturali bonitatem conſequentiæ eſſe contentam in præmiſsis, & ex illis inferri pro concluſione: ergo etiam in alijs demonſtrationibus poterit intellectus ſolo lumine naturali cognoſcere concluſionem, in præmiſsis contineri, & bene inferri ex præmiſsis.

Secundo probatur maior. ideo intellectus in prima demonſtratione Logicæ cognoſcit bonitatem conſequentiæ contineri virtualitèr in præmiſsis, & benè ex illis inferri, quia cognoſcit præmiſſas eſſe rectè diſpoſitas; ſed etiam in alijs demonſtrationibus poteſt intellectus cognoſcere præmiſſas eſſe rectè diſpoſitas, ſiquidem recta diſpoſitio præmiſſarum in prima demonſtratione Logicæ, & in alijs demonſtrationibus eſt eiuſdem rationis: ergo poteſt intellectus in alijs demonſtrationibus evidentèr cognoſcere concluſionem in præmiſsis contineri.

Se-

Secundo impugnatur data ſolutio : bonitatem conſequentiæ eſſe concluſionem illatam, de materiali ſe habet, ut intellectus aſſentiatur ſcientificè concluſioni : ergo ſicut in demonſtratione, qua Logica generatur, poteſt intellectus ſcientificè cognoſcere concluſionem ; ita etiam in alijs demonſtrationibus, in quibus non infertur pro concluſione ipſa bonitas conſequentiæ contenta in præmiſſis non eſt id, ratione cujus intellectus aſſentitur concluſioni : ergo bonitatem conſequentiæ eſſe concluſionem illatam, de materiali ſe habet, ut intellectus aſſentiatur ſcientificè concluſioni. Probatur anteced. bonitas conſequentiæ eſt concluſio, cui aſſentitur intellectus ; ſed concluſio, cui intellectus aſſentitur debet eſſe diſtincta à forma, ratione cujus intellectus aſſentitur concluſioni, alias cognoſceretur idem per idem : ergo bonitas conſequentiæ contenta in præmiſſis non eſt id, ratione cujus intellectus aſſentitur concluſioni.

Tertio impugnatur ſolutio : nam ideo Logica ſcientia eſſet neceſſaria ad alias demonſtrationes, quia deberet præcedere dirigendo ; ſed ſi ſolutio vera eſt, Logica ſcientia non debet præcedere dirigendo : ergo non eſt ſimpliciter neceſſaria. Probatur minor. Cognitio virtualis bonitatis conſequentiæ, quæ habetur in prima demonſtratione Logicæ non præcedit dirigendo : ergo Logica non debet præcedere dirigendo. Probat. anteced. Cognitio virtualis bonitatis conſequentiæ in prima demonſtratione eſt cognitio expreſſa, & directa præmiſſarum ; ſicut cognitio expreſſa cauſæ in quantum talis eſt cognitio virtualis effectus ; ſed nulla cognitio poteſt ſe ipſam dirigere, ſicut nulla cognitio poteſt ſe ipſam cauſare : ergo cognitio virtualis bonitatis conſequentiæ non præcedit dirigendo intellectum, ut aſſentiatur præmiſſis, & cognoſcat illas continere concluſionem.

Tandem impugnatur data ſolutio : quia prima demonſtratio, qua Logica per ſe generatur, non poteſt eſſe de bonitate conſequentiæ : ergo ſolutio datur falſo principio. Probatur anteced. Prima demonſtratio Logicæ debet probare aliquam paſſionem modi ſciendi in communi ; ſed bonitas conſequent. non eſt paſſio modi ſciendi in communi, ſed ſolum unius partis videlicèt demonſtrationis, nam diffinitioni, & diviſioni non convenit : ergo prima demonſtratio, qua Logica per ſe generatur, non poteſt eſſe circa bonitatem conſequentiæ. Min. cum conſeq. conſtat, & maior. probatur. Nam quælibet ſcientia per ſe primo demonſtrare debet paſſionem aliquam ſui objecti ſpecificativi, &

inter-

inter passiones primam, nam demonstrationes, quæ versantur circa reliquas proprietates, non sunt per se primæ, sed solum per accidens; sed obiectum specificativum Logicæ est modus sciendi inco mmuni: ergo Logica in prima demonstratione passionem aliquam modi sciendi in communi probare debet.

Secundo probatur ratione nostra conclusio: habitus adquisitus non datur ad posse simpliciter, sed ad faciliter operandum, & propterea habitus adquisiti non habent modum potentiæ, sicut habitus infusi, qui non solum præstant facilitatem, sed etiam ad ipsum actum quantum ad substantiam simpliciter requiruntur; sed habitus Logicæ est habitus adquisitus: ergo aliæ scientiæ possunt adquiri simpliciter, & absolutè sine Logica, licèt non ita facilitèr.

Confirmatur: assensus scientificus philosophiæ magis dependere debet ab habitu Philosophiæ, quam ab habitu Logicæ, siquidem ab habitu Philosophiæ dependet tanquam à principio proprio, & elicitivo illius; à Logica vero solum dependet tanquam à principio directivo, & quasi ministeriali, quæ est minor dependentia; sed assensus scientificus Philosophiæ non pendet essentialiter ab habitu Philosophiæ: ergo nec ab habitu Logicæ potest essentialiter, & simpliciter dependere.

Respondebis: Logicam non esse simpliciter necessariam ad substantiam actus, vèl ad absolutè discurrendum intra ordinem naturę; sed solum ad modum actus, vèl ad discurrendum scientificè, quod non destruit naturam habitus adquisiti, & distinctionem illius ab habitu infuso, qui non solum simpliciter necessarius est ad intelligentiam tali modo in ordine supernaturali, sed etiam ad intelligendum absolutè, undè lumen gloriæ non solum concurrit ad differentiam visionis beatæ, sed etiam ad rationem intellectionis in visione repertam.

Sed contra est: quia quamvis verum sit, etiam admissa necessitate simpliciter habitus adquisiti, illum ab infuso aliqualiter distingui, non tamen salvatur debita distinctio, nec debita constitutio illius, nam proprium est habitus adquisiti non concurrere ad substantiam, sed ad modum, & ideo dicitur, esse proprium habitus facilitate potentiam; sed esse scientificum non est modus, sed substantia operationis, & illius essentialis differentia: ergo si salvetur debita distinctio habitus adquisiti ab infuso, non debet habitus adquisitus esse necessarius simpliciter ad discurrendum absolutè, sed solum ad faciliter discurrendum. Probatur minor. Cognitio essentialiter dividitur in cognitionem scien-

ſcientificam, & probabilem: ergo eſſe ſcientificum non eſt modus, ſed ſubſtantia operationis, & illius eſſentialis differentia, quia modus non diſtinguit rem eſſentialiter ab illa, ſed illam diſtinctam ſupponit, & illi adjacet, & ad ſpeciem illius reducitur.

Reſpondebis ſecundo: nullum habitum adquiſitum eſſe neceſſarium ad primum actum, quo habitus generatur, poſſe tamen habitum adquiſitum eſſe ſimpliciter neceſſarium ad alterum actum eſſentialiter dependentem ab actu, quo ipſe generatur, & ita habitus Logicæ eſt ſimpliciter neceſſarius ad actum Philoſophiæ dependentem eſſentialiter ab actu, quo Logica generatur, à cognitione videlicet demonſtrativa bonitatis conſequentiæ, ſicut habitus primorum principiorum ſimpliciter requiritur ad habitum ſcientiæ conſequendum, quia primus actus cujuſcumque ſcientiæ eſſentialiter ſupponit cognitionem principiorum.

Sed contra eſt: quia actus quo Logica generatur eſt ille, quo demonſtratur bonitas conſequentiæ; ſed hic actus ſimpliciter neceſſarius non eſt ad adquirendas alias ſcientias: ergo aliæ ſcientiæ non dependent eſſentialiter, & ſimpliciter ab actu, quo Logica generatur. Probatur minor. Ut Intellectus in materia Philoſophiæ aſſentiatur ſcientificè concluſioni, ſufficit cognitio quidditativa ipſius demonſtrationis: ergo actus quo demonſtratur ipſa bonitas conſequentiæ ſimpliciter neceſſarius non eſt ad alias ſcientias conſequendas. Conſequent. bona videtur, & anteced. conſtat ex eo, quod ſi intellectus cognoſcit quidditative demonſtrationem, cognoſcit etiam præmiſſas eſſe certas, cauſalque concluſionis, & aliter ſe habere non poſſe, quod ad aſſenſum ſcientificum ſufficit. Inſuper etiam probatur: Quia aſſenſus ſcientificus nedum pendet à cognitione demonſtrationis, ſed etiam à cognitione aliorum inſtrumentorum, videlicet propoſitionis, diffinitionis, & diviſionis, quæ omnia in demonſtratione exercentur; ſed ut intellectus aſſentiatur ſcientificè concluſioni, ſufficit quidditativè cognoſcere inſtrumenta prædicta: ergo ſufficit etiam cognitio quidditativa ipſius demonſtrationis.

Explicatur eadem doctrina: Sicut demonſtratio manifeſtat concluſionem, ita deffinitio manifeſtat diffinitum; ſed ut quis per diffinitionem cognoſcat diffinitum, ſuficit cognitio quidditativa diffinitionis, quæ poteſt haberi ſolo lumine naturali, nam per diffinitionem cognoſcere diffinitum pertinet ad lumen principiorum: ergo ut quis per demonſtrationem cognoſcat concluſionem, ſatis eſt cognoſcere quid

quidditativè demonſtrationem, & neceſſarius non eſt alius actus, quo bonitas conſequentiæ demonſtratur.

Tertio probatur concluſio: Ad aſſenſum ſcientificum in materia Philoſophiæ, & in quacumque altera ſcientia ſufficit intellectum evidenter cognoſcere veritatem præmiſſarum, & bonitatem conſequentiæ; ſed veritas præmiſſarum lumine naturali cognoſcitur, cum ſit veritas immediata, & pertineat ad habitum principiorum, ut per ſe manifeſtum eſt, & bonitas ipſa conſequentiæ etiam lumine naturali cognoſcitur, & independenter à Logica: ergo Logica ſimpliciter neceſſaria non eſt ad alias ſcientias conſequendas. In minori quantum ad ſecundam illius partem eſt difficultas, & probatur. Quia bonitas conſequent. eſt de eſſentia conſequentiæ: ergo poteſt cognoſci ſolo lumine naturali, nam eſſentiæ rerum lumine naturali cognoſcuntur independenter à ſcientia. Anteced. probatur primò: bonitas conſequent. nihil aliud eſt, quam concluſionem in præmiſſis contineri; ſed continentia concluſionis in præmiſſis eſt de eſſentia conſequentiæ: ergo bonitas conſequentiæ eſt de eſſentia conſequentiæ. Probatur minor. Eſſentia conſequentiæ conſiſtit in illatione conſequentis ex præmiſſis; ſed hæc illatio, vel eſt continentia ipſa conſequentis in præmiſſis, vel talem continentiam eſſentialiter ſupponit: ergo continentia concluſionis in præmiſſis eſt de eſſentia conſequentiæ.

Secundo probat. anteced. Recta diſpoſitio præmiſſarum eſt de eſſentia conſequentiæ, nam prædicta diſpoſitio non poteſt verè de conſequentia demonſtrari; ſed recta diſpoſitio præmiſſarum non poteſt intelligi abſque bonitate conſequent. Siquidem diſpoſitio recta conſiſtit in coordinatione præmiſſarum, taliter quod benè inferant, in quo conſiſtit bonitas conſequentiæ: ergo bonitas conſequent. eſt de eſſentia conſequent.

Tertio probatur anteced. Concluſionem inferri ex præmiſſis, eſt idem, quod benè inferri; ſed concluſionem inferri ex præmiſſis eſt ipſa eſſentia conſequentiæ, quod negabile non videtur: ergo bonitas conſequentiæ eſt de eſſentia conſeq. Probatur maior. concluſionem non bene inferri, eſt non inferri abſolutè, nam conſeq. mala non eſt abſolutè conſequentia, ſiquidem quod male infertur, non infertur abſolutè: ergo concluſionem inferri, idem eſt, quod benè inferri, ſicut eſſe hominem abſolutè, idem eſt, atque eſſe verum hominem, & eſſe aurum, idem eſt, atque eſſe verum aurum, nam ſi verum non eſt, non eſt abſolutè aurum, nec homo, qui verus non eſt, abſolutè dicitur homo.

Con-

Confirmatur ratio prędicta. Intellectus ſolo lumine naturali poteſt cognoſcere connexionem concluſionis cum præmiſsis: ergo ſolo lumine naturali, & indepenſdenter à Logica poteſt aſſentire ſcientificè concluſioni in materia Philoſophiæ, & in quacumque altera ſcientia. Probatur anteced. Intellectus ſolo lumine naturali poteſt cognoſcere ea, quæ ſunt eadem unitercio, eſſe eadem inter ſe: ſed extrema, quæ ſunt eadem unitertio, eſſe eadem inter ſe, eſt connexio concluſionis cum præmiſsis, nam præmiſſæ important identitatem quartum extremitatum cum medio, & concluſio importat identitatem extremitatum inter ſe: ergo intellectus ſolo lumine naturali poteſt cognoſcere connexionem concluſionis cum præmiſsis.

Explicatur præfata doctrina: hæc propoſitio ſi homo currit, movetur: & altera, ſi homo eſt albus, eſt coloratus important connexionem antecedentis cum conſequenti, & lumine naturali cognoſcuntur; ſed ſi fiat ſyllogiſmus, v. g. omne, quod currit, movetur; ſed Petrus currit: ergo movetur. Et alter: quidquid eſt album, colorem; ſed Petrus eſt albus: ergo habet colorem; magis exprimitur, vel expreſſatur connexio: ergo in ſyllogiſmis prædictis ſolo lumine naturali poterit cognoſci connexio concluſionis cum præmiſsis. Et certè quis poterit perſuadere connexionem concluſionis cum præmiſsis non cognoſci evidenter ſolo lumine naturali in ſequenti ſyllogiſmo: omne totum eſt majus ſua parte; ſed domus eſt totum: ergo eſt major quacumque parte ipſius determinata: quam connexionem ſolus homo ratione perfecta carens poterit non videre.

Reſpondent adverſarij ad rationem ſuprà factam: bonitatem conſequent. non eſſe de eſſentia conſequentiæ; ſed proprietatem illius, & ita ſolùm poſſe evidenter per demonſtrationem cognoſci; non tamen ſolo lumine naturali.

Sed hæc ſolutio antecedentibus ſatis impugnata manet, ex quibus facillimè aliis poterat impugnari, ſed gratia doctrinæ concedamus bonitatem eſſe paſſionem conſequentiæ; ſed adhuc hoc admiſſo, vel conceſſo, non infertur indè, bonitatem conſequentiæ non poſſe ſolo lumine naturali evidenter cognoſci: ergo poteſt evidenter cognoſci ſolo lumine naturali, etiam conceſſa doctrina ſolutionis. Probatur minor veritas eſt paſſio propoſitionis, & non illius eſſentia; & tamen veritas aliquarum propoſitionum eſt cognoſcibilis ſolo lumine naturali, ſicut patet in propoſitionibus per ſe notis, quarum veritas explicatis terminis ſtatim cognoſcitur, & ideò per ſe

e notæ dicuntur, quatenus per se, & independenter ab aliquo medio cognoscitur connexio prædicati cum subjecto, & illius convenientia: ergo etiam concesso, bonitatem consequentiæ esse passionem consequentiæ adhuc non infertur indè non posse cognosci evidenter solo lumine naturali.

Secundo impugnatur data solutio: concesso bonitatem consequentiæ esse passionem illius, adhuc poterit intellectus lumine naturali cognoscere essentiam consequentiæ, quamvis non bonitatem; sed prædicta cognitio sufficit ad assensum scientificum conclusionis: ergo quod ad talem assensum requiritur, poterit cognosci solo lumine naturali. Probat. min. si intellectus solo lumine naturali cognoscit essentiam consequentiæ eoden lumine cognoscit, conclusionem necessariò connecti cum præmissis, in quo necessario concedendum est consistere bonitatem consequentiæ; sed prædictæ connexionis cognitio sufficit ad assensum scientificum, ut per se manifestum est: ergo sufficit ad assensum, scientificum cognoscere essentiam consequentiæ.

Respondebis: etiam ipsam essentiam consequent. non posse cognosci solo lumine naturali: quia est essentia involuens discursum vel in illo consistens, discursus autem non potest cognosci solo lumine naturali.

Sed contra est: quia quæcumque essentia, sivè discursus, sivè alterius non habet causam, per quam probetur, & consequenter est veritas immediata; sed omnis veritas immediata pertinet ad lumen principiorum: ergo quæcumque essentia etiam ipsius discursus est cognoscibilis solo lumine naturali.

Respondebis: absolutè ita esse, loquendo de illa signatè; non tamen loquendo de illa exercite, quia licet intellectus lumine naturali cognoscat, essentiam consequentiæ consistere in connexione conclusionis cum præmissis; quod tamen in hoc syllogismo determinatè, sit talis connexio, & essentia, non cognoscit intellectus lumine naturali.

Sed contra est: quia esse rationale est de essentia hominis, non solùm cognosci intellectus lumine naturali, hominem esse rationalem, sed etiam hunc hominem, v. g. Petrum habere talem essentiam: ergo non solùm essentiam consequentiæ in communi cognoscit intellectus solo lumine naturali, sed etiam cognoscit, illam reperiri in hoc determinato syllogismo.

Secundo impugnatur data solutio: non solum consequentiæ in communi, sed etiam huic syllogismo determinatè convenit immediatè essentia consequentiæ, quando quidem respectu hujus non habet medium per quod

quod probari posit, eo quod est eius essentia, & species; sed propter istam rationem essentia consequent. in communi est cognoscibilis solo lumine naturali: ergo quod conveniat huic syllogismo, & determinatæ consequentiæ solo lumine naturali potest intellectus cognoscere, sicut ea, quæ sunt eadem uni tertio, esse eadem inter se, etiam in particulari, cognoscit intellectus solo lumine naturali, & hoc totum particulare esse malus sua parte explicatis terminis, solo lumine naturali intellectus cognoscit.

§. III.

Argumentis contrariorum occurritur.

COntra conclusionem nostram arguitur primo ex Div. Aug. *lib. 2. de Ordine, cap. 13.* dicente: *Quod sola Logica docet docere, & sola scientes facere potest.* Cui consonat D. Thom. *1. posteriorum cap. 1.* dicens: *Ars quædam necessaria est, quæ sit directiva ipsius actus rationis, per quam scilicèt homo in ipso actu rationis faciliter, & ordinatè, & sine errore procedat; & hæc est ars Logicæ, ideſt rationalis scientia.* Et ibidem etiam asserit: non posse iudicium certum haberi de effectibus, nisi per resolutionem ad prima principia. Et *opuscul. 70. quæst. 1. ad 3.* dicens: Quod in addiscendo incipimus ab eo, quod magis facilè, nisi necessitas aliud requirat. Et Paulo infra: *Oportet in addiscendo à Logica incipere non quia ipsa sit facilior cæteris scientiis, habet enim maximam difficultatem, cum sit de secundo intellectis: sed quia aliæ scientia ab ipsa dependent, in quantum ipsa docet modum procedendi in omnibus scientiis*: ergo sine Logica nemo scit, sicut dicitur in prima; nec intellectus potest procedere sine errore, ut habetur in secunda; nec judicium certum formare, nec adquirere aliquam scientiam ante illam, à qua omnes aliæ dependent, & consequentèr Logica simpliciter necessaria est.

Respondetur tamen facilè: solam Logicam facere scientes perfectè accidentaliter: ex quo solum infertur esse simpliciter necessariam ad alias scientias quantum ad statum perfectum accidentaliter, & hoc solum intendebat August. ut utilitatem Logicæ, & eius necessitatem commendaret.

Secundò respondetur: solam Logicam docere discere, quia sola tradit modum sciendi, & adquirendi alias scientias, signatè, & expressè; defendimus tamen sine tali modo sciendi signate, & expressè cognito, alias scientias adquiri posse.

Ad secundam respondetur: Logicam esse necessariam secun-

dum quid, & ad melius esse, ut intellectus sine errore procedat; non tamen esse necessariam simpliciter. Et ad alia dicimus, resolutionem in prima principia, vel in causam à priori sufficientem posse haberi sine Logica, licet non ita facilitèr; nam Physica docet, hominem esse risibilem, quia rationalis est, licet signatè non cognoscat iuxta regulas, quarè rationalitas sit ut medium assumenda.

Ad ultimam respondetur: alias sciencias dependere secundum quid, & ut facilius adquirantur à Logica ipsa, & ideò docet D. Thom. incipientes iuxta ordinem doctrinæ à Logica primo debere procedere.

Sed instabis: D. Thom. docet, Logicam esse necessariam ad procedendum sine errore; sed sine errore procedere simpliciter requiritur ad scientificum assensum: ergo Logica simpliciter necessaria est.

Respondetur: Logicam esse necessariam secundum quid, & ut homo facilius sine errore procedat; non tamen esse necessariam simpliciter, nam sicut Logica est necessaria ad sciendum, ita medicina requiritur ad sanandum; & tamen 1. *part. quæstion.* 17. *articul.* 1. docet Angelicus Doct. posse naturam absolutè, & simpliciter sine medicina artificiali, adquirere sanitatem.

Sed instabis: quod Logica dirigit operationes intellectus, ne errent circà cognitionem veri; sed directio illa simpliciter necessaria est ad assensum scientificum: ergo etiam Logica est simpliciter necessaria. Prob. min. sicut Logica dirigit operationes intellectus, ne errent in veritatis attingentia, ita prudentia dirigit actus morales, ne debient à recta ratione, sed directio prudentiæ simpliciter necessaria est, ut actus moralis evadat rationi conformis: ergo etiam directio Logicæ simpliciter necessaria est, ut actus evadat rectus.

Respondetur negando minor. quia directio Logicæ solum secundum quid, & ad melius esse necessaria est; non tamen simpliciter requiritur, ut actus evadat rectus. Et ad probationem negatur conseq. quia actus non potest esse conformis rectæ rationi, nisi reguletur per dictamen prudentiæ, & ideò licet non habitus, actus tamen prudentiæ, & illius directio simpliciter necessaria est ad omnem actum virtutis; ut actus verò sit scientificus, satis est, quod intellectus cognoscat naturam demonstrationis, & bonitatem consequent. quod totum potest intellectus cognoscere solo lumine naturali, & ideò directio Logicę simpliciter necessaria non est, ut intellectus scientificè, & sine errore procedat.

Sed instabis: influxus causæ uni-

universalis simpliciter necessarius est, ut causa particularis producat effectum, nam causa particularis subordinatur universali in agendo, & propterea corpora sublunaria non agerent absque influxu corporis cœlestis; sed directio Logicæ se habet tamquam influxus causæ universalis, siquidem Logica per modum causæ universalis dirigit ad omnem assensum scientificum: ergo directio Logicæ simpliciter necessaria est.

Respondetur tamen: influxum causæ universalis principalis, cui soli correspondent aliquod prædicatum speciale repertum in effectu, sicut Cœlo correspondet ratio corporis, esse simpliciter necessarium ad effectum; verum Logica solum se habet per modum causæ instrumentalis, vel ministerialis adiubantis intellectum, & facilius possit consequi veritatem in alijs scientijs, & ita directio Logicæ simpliciter necessaria non est; sicut medicina est causa universali, qua iuvatur natura ad consequendam sanitatem; non tamen ad illam consequendam, simpliciter necessaria est.

Secundo arguitur: ad habendum assensum firmum, & absque ulla formidine requiritur necessario Logica: ergo ad omnem assensum scientificum simpliciter necessaria est probatur anteced. intellectus ignarus Logicæ scientiæ facilè potest dimoveri ab assensu conclusionis, si proponatur illi aliquis paralogismus: ergo ad habendum assensum firmum Logica scientia simpliciter necessaria est.

Confirmatur: sine Logica scientia nequit intellectus discernere demonstrationem ab argumento fallaci, eo quod intellectus sine Logica non cognoscit defectus, qui possunt in syllogismo contingere ipsumque vitiare: ergo sine Logica non potest assensum firmum ellicere.

Explicatur: intellectus nequit facere demonstrationem nisi sciat, quomodo, & ex quibus principis, qualique dispositione sit facienda demonstratio; sed hæc omnia non potest intellectus cognoscere sine Logica: ergo Logica simpliciter necessaria est ad quamcumque demonstrationem, & assensum scientificum veritatis.

Respondetur ad argumentum, negando anteced. & ad probationem distinguo anteced. facile per se, & ex meritis objecti, neg. anteced. per accidens, & ratione subjecti, concedo anteced. & negatur consequent. Quilibet namque assensus scientificus per se, & ex meritis objecti firmus est, ex eo quod medium demonstrandi, & assentiendi convincit plenè intellectum; per accidens tamen, & ratione subjecti firmus non est in essendo, sed facile potest deficere;

eo quod ſubiectum ſine Logica non percipit ſatis modum reſiſtendi fallatijs, & erroris vitandi, quod non tollit aſſenſum ſecundum ſe eſſe firmum, & abſque ulla formidine. Inſtantia eſt in homine pravæ inclinationis, vel male diſpoſitionis, in quo facile deperditur virtus. Et in habitu fidei, qui in aliquibus amittitur facile; cum tamen virtus, & fides per ſe, & ex natura ſua ſint habitus difficile mobiles à ſubiecto.

Secundo poterat dici: hominem prædictum ſemèl convictum circa aliquam veritatem ſi ſit boni ingenij, & ſufficientis intelligentiæ, non facile dimoveri ab aſſenſu veritatis, quod non impedit, quod ipſe non poſſit argumentis contrariorum reſpondere; nam etiam ruſticus fidelis non ſcit reſpondere argumentis contra fidem, & tamen ſi benè diſpoſitus eſt, non poterit facile à fide ſeparari.

Ad confirmationem reſpondetur: quod licet homo ſine Logica, non cognoſcat ſignatè, & in univerſali naturam demonſtrationis, nec naturam ſyllogiſmi fallacis; cognoſcit tamen exercitè ſyllogiſmum hunc in particulari evidenter concludere, & concluſionem evidenter inferre, quod eſt exercitè diſcernere inter demonſtrationem, & ſyllogiſmum fallacem: & hoc ſufficit ad aſſenſum firmum habendum.

Ad explicationem reſpondetur: diſtinguendo maior. niſi ſciat exercite, concedo maior. ſignate, & expreſſe, nego maior. & ſub eadem diſtinctione, negamus minor. & conſequent. Nam ut intellectus poſſit demonſtrare veritatem, non requiritur ſignatè ſcire modum, & diſpoſitionem faciendi demonſtrationem; nec regulas artificioſe docere, quod ſolius Logicæ munus eſt; ſufficit tamen modum, & diſpoſitionem demonſtrandi exercitè cognoſcere, ideſt præmiſſas hic, & nunc evidenter inferre, & concluſionem aliter ſe habere non poſſe. Inſtantia eſt in eo, qui regulas grammaticæ non cognoſcit ſignatè; & tamen loquitur ſermone congruo, & qui rethoricam ſignatè non cognovit, quandoque loquitur eodem ornatu, quem rethorica docet.

Sed inſtabis effectus artificialis ſolum per artem, & non naturaliter fieri poteſt; ſed demonſtratio eſt effectus artificialis: ergo ſolum per habitum Logicæ artificialis fieri poteſt, & non per virtutem ſolam naturalem intellectus.

Secundo inſtabis effectus ſcientificus ſolum poteſt procedere ab intellectu, ut ſcientifico formaliter: ergo ſolum poteſt procedere ab intellectu, mediante habitu Logicæ ſcientiæ; nam intellectus ſolum eſt principium ſcientificum formaliter quatenus

conſ

constitutus per habitum scientiæ, & ante primam demonstrationem in Philosophia : v. gr. aut altera scientia solum potest supponi habitus scientificus Logicæ. Anteced. probatur : actus moralis non potest procedere à principio morali formaliter, ut per se constat: ergo effectus scientificus solum potest procedere ab intellectu, ut scientifico formaliter.

Ad primam replicam respondetur : effectum artificialem terminativè, & in actu secundo solum posse fieri per artem; nam artificium, quod est tale in actu secundo denominativè ab arte terminat exercite, & in actu secundo actionem ipsius artis, effectus tamen artificialis, qui est talis in actu primo, idest, capax ut terminare possit actionem artis potest fieri in actu secundo sola virtute naturali intellectus, sicut oratio ordinata potest in actu secundo fieri sine rethorica, quamvis ex se ipsa capax sit, ut etiam per rethoricam fiat.

Et si dicas : demonstrationem esse in actu secundo artificiosam, & in actu secundo involuere dispositionem præmissarum: ergo solum potest fieri per artem.

Respondetur : demonstrationem non esse in actu secundo artificiosam denominativè, & accidentaliter, idest quod talis denominetur ab arte ; sed solum esse artificiosam essentialiter, & in esse rei, quatenus habet formam artificialem eiusdem rationis, & speciei cum illa forma quæ producitur per artem.

Ad secundam replicam respondetur : distinguendo antecedens ut scientifico formaliter exercitè, concedo antecedens, formaliter signatè, nego anteced. sicut namquè ut actus sit moralis formaliter, sufficit, quod procedat à principio morali formaliter exercitè, idest, à subiecto exercitè subdito regulis morum, & in exercitio operanti iuxta illas, quamvis signatè, & expresè morale non sit, eo quod signatè potest non cognoscere, quænam sint regulæ moralitatis, ut contingit in hominibus indoctis ; ita sufficit, quod actus scientificus procedat ab intellectu ut exercitè operante iuxta regulas scientiæ, quamvis illas signatè non cognoscat.

Tertio arguitur : lumen naturale non sufficit ad assensum scientificum conclusionis : ergo Logica scientia ad talem assensum simpliciter necessaria est, Prosatur antecedens primo. Per assensum scientificum producitur habitus scientificus ; sed lumen naturale non sufficit ad habitum scientificum generandum, sed ab illo distinguitur essentialiter : ergo non sufficit etiam ad assensum scientificum conclusionis

Secundo probatur anteced. Ad assensum scientificum requi-

ritur, quod intellectus cognoscat se scire, alias non erit certus, sed cum formidine de assensu conclusionis; sed non potest cognoscere solo lumine naturali se scire: ergo lumen naturale non sufficit ad scientificum assensum. Probatur minor. Ut intellectus cognoscat se scire, debet cognoscere demonstrationem generare scientiam; sed hoc non potest sine Logica scientia cognoscere, quia demonstrationem generare scientiam, est passio demonstrationis, & de illa demonstratur in Logica per ipsius definitionem: ergo non potest intellectus cognoscere se scire solo lumine naturali.

Tertio probatur anteced. natura demonstrationis non potest cognosci solo lumine naturali: ergo lumen naturale non sufficit ad assensum scientificum conclusionis. Probatur antece. natura domus non potest cognosci solo lumine naturali, sed solum benè percipitur per artem docentem domificare: ergo etiam natura demonstrationis non potest cognosci solo lumine naturali.

Respondetur ad argumentum: lumen naturale licet cum aliqua difficultate sufficere ad assensum scientificum, & ad habitum generandum, quia lumen naturale virtualiter est scientificum, & habet in se semina scientiarum, ut sæpè docet D. Thom. nec hoc impedire potest distinctio essentialis illius ab habitu scientiæ: nam ab habitu Logicæ essentialiter distinguitur, & à primo assensu scientifico, & tamen lumen naturale sufficit ad utrumque.

Ad secundam probationem respondetur: intellectum non posse signatè cognoscere se scire, & demonstrationem generare scientiam; hæc enim signatè in Logica demonstrantur, posse tamen intellectum exercite prædicta cognoscere solo lumine naturali quia dum cognoscit præmissas benè inferre, & de illatione convincitur, cognoscit exercite se scire, & demonstrationem generare scientiam.

Et si dicas: ergo frustra laboramus in salvando bonitatem consequent. esse de essentia consequent. siquidem quamvis sit passio poterit cognosci exercite solo lumine naturali, & hoc satis erit ad assensum scientificum conclusionis.

Negatur tamen consequent. quia bonitas consequent. debet cognosci signatè, eo quod est id, ratione cuius immediatè convincitur intellectus ad assensum conclusionis, & ideò debet cognosci signatè quod non potest salvari, nisi asserendo bonitatem esse de essentia consequentiæ; cognoscere verò se scire non est ratio proxima, & immediata assentiendi, sed in aliis includi-

tur.

tur, & maximè in bona illatione, & ita satis est quod exercitè cognoscatur.

Ad tertiam probationem antecedentis, negantur duo illius antecedentia: quia etiam natura domus est cognoscibilis solo lumine naturali, quantum ad substantiam, & ipsius bonitatem consistentem in dispositione, & aptitudine ad protegendum habitantes ab incommodis exterioribus; immò, & licet difficile potest fieri sine arte, quamvis sine arte non cognoscat intellectus signatè conformitatem cum regulis artis domificatoriæ, sicut, nec sine Logica cognoscere potest intellectus signatè conformitatem cum regulis demonstrandi.

Sed instabis: essentiam demonstrationis esse demonstrabilem à priori per alia principia universalia, qualia sunt dici de omni, & dici de nullo: & ea, quæ sunt eadem uni tertio, esse eadem inter se; ut si fiat syllogismus, ubi salvatur illud principium, ea, quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, datur vera demonstratio; in præsenti salvatur: ergo hæc præsens vera demonstratio est: ergo essentia demonstrationis est veritas mediata, & consequenter non cognoscibilis solo lumine naturali.

Respondetur: quod quando essentia demonstrationis, vel consequentiæ probatur per aliquod principium; vel syllogismus imperfectus reducitur ad perfectum illæ non sunt veræ demonstrationes, sed quædam terminorum explicatio, & reductio unius essentiæ ad alteram facilius notam.

Secundo respondetur: essentiam demonstrationis per talia principia demonstrari tanquam per causam extrinsecam exemplarem, vel finalem, & eodem modo syllogismus imperfectus per alios perfectos probari, quod non tollit essentiam demonstrationis esse cognoscibilem solo lumine naturali; nam prima principia scientiarum inferiorum lumine naturali cognoscuntur; & tamen per alia principia superiora à Methaphysica demonstrantur.

Dices: demonstrare per causas extrinsecas esse principium Metaphysicæ: ergo vel essentia demonstrationis non est demonstrabilis in Logica, vel erit demonstrabilis per principia intrinseca, & consequenter non erit veritas immediata.

Respondetur: esse proprium Metaphysicæ probare veritatem per causas extrinsecas, tàm veritati demonstratæ, quam ipsi scientiæ inferiori, ad quam pertinet veritas; eo quod Metaphysica est sapientia, & rem probat per altissimas, & superiores causas non pertinentes ad scientias inferiores; cum quo tamen compatitur, scientiam inferiorem posse demonstrare veritatem per aliquam causam

xtrinſecam veritati, quam probat, licet cauſa extrinſeca non ſit reſpectu ſcientiæ demonſtrantis veritatem; & hoc modo Logica demonſtrat eſſentiam demonſtrationis per cauſam extrinſecam veritati demonſtratæ, quamvis extrinſeca non ſit reſpectu Logicæ ad quam pertinent principia, quibus utitur demonſtrando veritatem prædictam.

§. IV.

Difficile argumentum ſolvitur.

TAndem arguitur: bonitas conſequentiæ non poteſt ſine Logica cognoſci: ergo Logica ſimpliciter neceſſaria eſt ad aſſenſum ſcientificum concluſionis. Probatur anteced. Bonitas eſt paſsio conſequent. & veritas mediata demonſtrabilis per Logicam: ergo non poteſt ſine Logica cognoſci. Probatur anteced. primo: Veritas, vel falſitas eſt paſsio propoſitionis: ergo bonitas eſt paſsio conſequentiæ, quia ſicut veritas propoſitionis ſequitur ad connexionem prædicari cum ſubiecto; ita bonitas cõſequentiæ ſequitur ad connexionem concluſionis cum præmiſsis.

Secundo probatur anteced. Eſſentia conſequentiæ conſiſtit in recta diſpoſitione præmiſſarum; ſed bonitas ſequitur ad rectam diſpoſitionem: ergo eſt paſsio conſequent. Probat. min. hæc eſt vera cauſalis, ideò ſyllogiſmus de *Barbara* eſt bona conſequent. quia præmiſſæ ſunt rectè diſpoſitæ: ergo bonitas conſequent. ſequitur ad rectam diſpoſitionem.

Tertiò probatur anteced. prius eſt conſequens contineri in antecedenti, & ex illo inferri, quam quod benè inferatur: ergo bonitas eſt paſsio.

Quarto: bonitas conſequent. cauſatur ex connexione medij cum extremitatibus, & probatur per illud principium: ex verò non niſi verum: ergo idem quod prius.

Quinto: bonitas ſimpliciter talis in genere artificiali ſequitur ad eſſentiam rei: ergo bonitas conſequentiæ ſupponit eſſentiam, & conſequenter eſt paſsio. Probatur anteced. Bonitas ſimpliciter talis in genere phyſico ſupponit eſſentiam rei, & propterea poteſt res in aliquo ſtatu habere eſſentiam, & non habere bonitatem, ſicut creaturæ poſsibiles, quibus non deficit eſſentia in ſtatu poſsibilitatis, deficit tamen bonitas, & ideò Deus non diligit creaturas poſsibiles: ergo bonitas artificialis ſimpliciter talis ſupponit etiam eſſentiam.

Sexto: bonitas conſequentiæ debet includere concluſionem: ſed concluſio non eſt de eſſentia ſyllogiſmi in probabili ſententia: ergo nec bonitas eſt de eſſentia conſeq.

Sep-

Septimo : consequentia aliquam habet passionem ; non aliam quam bonitatem : ergo bonitas est passio.

Respondetur ad argumentum negando duo antecedentia prima ; & ad probationem anteced. negatur consequent. ratioque differiminis est, quia veritas, vel falsitas consistit in adæquatione, & conformitate, vel difformitate cum objecto ; nam ab eo, quod res est, vel non est, dicitur propositio vera vel falsa, & antecedenter ad talem adæquationem intelligitur propositio in ratione totius enuntiativi respicientis suas partes, eo quod priùs est respicere partes unitas, quam esse signum complexum, & ut sic respicere objectum ; in quocumque namquè toto priùs est respectus ad partes, quam ad alia, & ideò veritas est passio propositionis. Bonitas verò consequentiæ consistit in connexione antecedentis cum consequenti, in quo etiam essentia consequentiæ consistit.

Ad secundam probationem respondetur : rectam dispositionem premissarum esse idem formaliter cum bonitate consequent. & solum differre penès implicitum, & explicitum, sicut definitum est idem formaliter cum propria definitione, & tamen per illam explicatur : undè causalis illa in argumento relata non est verè, & in rigore causalis, sed solum quantum ad explicari, causalis est.

Sed dices : ergo bonitas est idem formaliter cum recta dispositione : ergo bonitas est Passio. Probatur conseq. ab opposito. Quia recta dispositio consistit in conformitate cum regulis, nam artefactum esse rectè dispositum, est esse factum iuxta regulas artis ; sed conformitas cum regulis est passio consequentiæ, nam priùs est esse consequentiam, quam esse conformem : ergo etiam bonitas erit passio.

Respondent aliqui : conformitatem cum regulis esse passionem conseq. & idem dicunt de conformitate cum regulis cuiuscumque artefacti Logicalis : & consequenter etiam rectam dispositionem esse consequentiæ proprietatem.

Hæc tamen doctrina vera esse non potest : quia essentia cuiuscumque artefacti consistit in artificiosa dispositione, sicut patet in demonstratione ipsa, in qua ipsa dispositio rationis artificiosa, est forma constitutiva ; sed dispositio artificiosa nihil aliud est, quam dispositio, totius iuxta regulas artis, vel conformitèr ad regulas prædictas : ergo conformitas ista cum regulis non est passio, sed essentia artefacti, & consequenter est essentia consequentiæ : undè

essentialitèr est in separabilis à consequentia, non enim potest dari consequentia, etiam de potentia absoluta, quæ non sint regulis artis conformis, nec aliqua dispositio artificiosa, quæ non sint conformitèr ad regulas artis, & oppositum totalitèr voluntarium est. Qua propter omissa doctrina ista.

Respondetur: conformitatem cum regulis, & rectam dispositionem, & ipsam bonitatem consequentiæ esse idem formalissimè prædicatum cum sola distinctione penes implicitum, & explicitum, & in ordine ad diversa connotata; nam conformitas cum regulis, connotat illas, & bonitas illationis connotat conclusionem illam, & per ordinem ad propria connotata unum esse prius alio, & ideò hæc omnia sunt de essentia consequentiæ, & cognoscuntur eodem lumine naturali, qui namquè cognoscit bonitatem consequentiæ, & præmissis benè inferre, cognoscit, illas esse benè dispositas, & esse conformes regulis, quibus conformari debent, quamvis tales regulas secundum rationes particulares non cognoscat, qui non habet Logicam, eo quod regulę in particulari in Logica demonstrantur.

Ad tertiam probationem antecedentis principalis respondetur: non esse prius consequens contineri in antecedenti, & ex ille inferri, quam quod benè inferatur ex illo; sed utrumquè esse formalissimè idem.

Ad quartam dicitur: bonitatem consequentiæ non causari verè ex connexione medij cum extremitatibus, nec probari à priori per principium assignatum in replica, sed solum per illud explicari: ex quo tantum sequitur differre penès implicitum, & explicitum.

Poterat etiam dici: hæc omnia differre tanquam conceptus differentiales inadęquatos eiusdem adęquatæ differentiæ, & unum per alterum in hoc sensu probari, sicut intelligibilitas radicalis probatur benè per conceptum immaterialis principij in ipso Deo, quamvis tales conceptus non differant adæquatè.

Ad quintam probationem: negatur consequent. & ratio discriminis est: quia bonitas simplicitèr talis in genere physico sumitur ab existentia, & ab aliis, quæ supponunt essentiam adæquatè constitutam; bonitas verò artificialis consistit in aptitudine ad finem artificij consequendum, & conformitate cum regulis, quæ non supponunt essentiam, sed potiùs constituunt illam, & ideò bonitas ista non est passio.

Ad sextam respondetur: bo-

ni-

niratem consequentiæ non importare conclusionem in recto, sed solum in obliquo per modum termini manifesti ; in quo sensu etiam syllogismus conclusionem importat.

Ad septimam respondetur: proprietatem consequentiæ esse dirigere operationes intellectus, de qno alibi fuisse dicemus.

Et si dicas : Recta dispositio essentialiter importat ordinem ad conclusionem passivè manifestatam ; sed manifestatio ista est ipsa directio, qua syllogismus dirigit intellectum : ergo dirigere Intellectum non est passio , sed essentia consequentiæ.

Respondetur : Rectam dispositionem essentialiter importare ordinem ad conclusionem passivè manifestatam manifestatione ad intra , & per continentiam intrinsecam , qua conclusio continetur in præmissis; directio verò intellectus non in manifestatione predicta , sed in alia quasi ad extra consistit , & respectivè ad potentiam, quatenus potentiæ manifestat quid, & quomodo debeat attingere, ne erret in attingentia veritatis, & hæc manifestatio non est de essentia consequentiæ , sed illius passio est.

Secundo respondetur ad argumentum principale , admittendo bonitatem consequentiæ esse passionem illius ; dicimus tamen hoc admisso , bonitatem consequentiæ dupliciter posse cognosci , signate videlicèt , & exercite signat quidem , quando cognoscitur expresse , & distincte , ut veritas quædam distincta ab alijs : sicut cognoscitur bonitas consequentiæ , quando in prima demonstratione Logicæ ex intentione primaria , & expresse infertur pro conclusione , & hoc modo non potest bonitas consequentiæ quando attingitur ut in aliis inclusa , & in illis exercita : sicut quando intellectus cognoscit , præmissas esse rectè dispositas cum conclusione connexas , & illam evidenter inferre , cognoscit etiam intellectus exercitè esse bonam consequentiam , & hæc exercita cognitio sine Logica potest haberi , & ad assensum scientificum sufficit.

Sed instabis primo contra solutionem istum : bonitas consequentiæ nec exercite potest cognosci sine Logica scientia: ergo solutio nulla est. Potest essentia demonstrationis quidditativè cognosci sine Logica , quin ex hoc inferatur , bonitatem consequentiæ dupliciter posse sine Logica cognosci ; sicut etiam potest quis cognoscere essentiam hominis , quin proprietates illius cognoscat exercite: ergo bonitas consequentiæ nec exer-

exercitè potest sine Logica cognosci, nam eo solùm potest exercitè cognosci sine Logica, quia essentia demonstrationis sine Logica cognoscibilis est.

Secundo probatur anteced. obiectum formale unius habitus non potest etiam exercitè formaliter attingi per alterum habitum, & sine habitu, cuius est proprium obiectum; & ideò obiectum formale charitatis non potest attingi per habitum fidei formaliter, nec sine habitus charitatis, vel auxilio gerente vices illius; sed bonitas consequentiæ pertinet ad obiectum formale Logicæ ergo nec exercitè potest sine Logica cognosci.

Tertio probatur anteced. in demonstrationibus aliarum scientiarum non continetur bonitas consequentiæ virtualiter per medium conclusionis illarum: ergo in aliis demonstrationibus non potest bonitas consequentiæ virtualiter, & exercitè sine Logica cognosci.

Secundo replicabis contra solutionem prædictam: qui tantum cognoscit exercitè bonitatem consequentiæ non operatur scientificè: ergo cognitio exercita bonitatis consequentiæ non sufficit ad acquirendam scientiam. Probatur anteced. qui tantum exercitè dicit verum, materialiter tantum verum dicit, & non per modum veracis, & qui tantum exercitè operatur propter finem, non operatur virtuosè, sicut contingit in brutis, qui rationem finis ignorant, quamvis illam attingant exercitè: ergo qui tantum exercitè cognoscit bonitatem consequentiæ, non operatur scientificè.

Secundo poterat idem anteced. probari. Quia qui tantum exercitè cognosceret rectam dispositionem præmissarum non operaretur scientificè ergo idem dicendum de illo, qui solum exercitè bonitatem consequentiæ cognosceret.

Respondetur ad primam replicam, negando anteced. & ad probationem dicimus: quod licet possit aliquis cognoscere essentiam hominis, quin cognoscat proprietates; non tamen potest cognoscere exercitium proprietatis; nam qui cognoscit hominem ridere, cognoscit in exercitio, illum esse risibilem; cumque in demonstratione exerceatur bonitas consequentiæ per exercitium manifestandi conclusionem in actu secundo, indè fit, quod quicumque cognoscit naturam demonstrationis, exercitè cognoscit bonitatem consequentiæ, & cum primum sine Logica possit fieri, etiam secundum fieri potest.

Ad

Ad ſecundam probationem facile dicitur: quod obiectum formale unius habitus, prout obiectum illius eſt, non poteſt formaliter exercitè per alium habitum attingi; benè tamen ſub alia ratione, qua eſt obiectum commune; ex quo habetur, bonitatem conſequentiæ ſignatè, & demonſtrativè non poſſe ſine Logica cognoſci, non tamen formaliter exercitè, & ſecundum eam rationem, qua exprimitur, & exercetur in demonſtratione cujuſcumque ſcientiæ.

Ad tertiam probationem reſpondetur: quod ut bonitas conſequentiæ virtualiter, & exercitè cognoſcatur, non requiritur eſſe concluſionem illatam, ſed ſufficit exerceri in præmiſſis ut inferioribus concluſionem.

Ad ſecundam replicam principalem: negatur anteced. & ad probationem dicimus, eum qui exercitè dicit verum, ſi in exercitio advertit identitatem extremorum, quam affirmat, non dicere verum materialiter, ſed potius exercitè formaliter, quamvis non cognoſcat ſignatè, in quo conſiſtat dicere verum. Et cum ſimiliter, qui operatur propter finem exercitè attingendo obiectum ut bonum formaliter non operari propter finem materialiter; ſed exercitè formaliter, & ita operari virtuoſe; bruta autem tantum exercitè materialiter operantur propter finem, eo quod nec poſſunt finem intendere, nec ordinem mediorum ad finem percipere, nec attingere obiectum ut bonum formaliter, & conforme regulis prudentiæ, ſub qua ratione in medio honeſto exercetur ordo ad finem.

Ad ſecundam probationem anteced. negatur conſeq. quia recta diſpoſitio præmiſſarum eſt forma ratione cuius per ſe primo convincitur intellectus, & movetur ad aſſenſum concluſionis; & ideò debet attingi ſignatè; bonitas verò conſequentiæ primo, & per ſe, & ratione ſui non movet, ſed ſolum ut exercita in recta diſpoſitione præmiſſarum, & ideò ad aſſenſum ſcientificum, ſatis eſt, quod bonitas conſequentiæ exercitè cognoſcatur.

§. Ultimus.

Collorarium ex dictis.

EX dictis colligitur contra aliquos ex noſtris: Logicam non eſſe ſimpliciter neceſſariam ad adquirendas alias ſcientias quoad omnes concluſiones, vel quantum ad ſtatum ſubſtantialiter perfectum: cuius ratio ea eſt: quia maior eſt difficultas circa primam concluſionem, quam in aſſentiendo omnibus aliis, quæ ſequuntur ad primam; ſed ad aſſenſum ſcientificum primæ concluſionis non

non est Logica scientia simpliciter necessaria, ut probavimus in *artic.* discursu: ergo nec simpliciter necessaria erit ad alias conclusiones, quæ sequuntur ad primam; nam virtus, quæ potest ad magis difficile, potest etiam ad magis facilè intra eamdem rationem formalem. Maj. probat. in assensu scientifico primæ conclusionis vincitur difficultas formalis quæ reperitur circa rationem communem; ad assensum verò aliarum conclusionum solum vinci debet difficultas materialis; sed hæc minor est difficultate formali: ergo in assensu primæ conclusionis maior difficultas est, quam in assensu aliarum, quæ sequuntur ad primam.

Confirmatur: intellectus, supposito assensu primæ veritatis facilior est ad secundam veritatem, quam ante talem assensum erat in ordine ad primam, nam assensu primæ supposito invenitur iam intellectus cum habitu scientifico, ad quem pertinet secunda veritas, & ante talem assensum nullum habitum habebat in ordine ad primam; sed ad assensum primæ non est necessaria Logica: ergo ad secundam necessaria non est.

Sed instabis: homo potest sine habitu prudentiæ elicere aliquod opus bonum in materia huius, vel alterius virtutis; & tamen non potest facere omnia opera virtutum: ergo quamvis intellectus sine Logica possit assentiri primæ veritati, non infertur indè etiam sine Logica posse assentiri veritati secundæ.

Secundo: homo potest viribus naturæ cognoscere aliquas veritates; & tamen non potest omnes sine gratia speciali ergo idem quod priùs.

Tertio: homo potest viribus naturæ facere aliquod opus bonum morale; & tamen non potest facere omnia; non enim potest Deum efficacitèr, & super omnia diligere: ergo. Quibus addimus: hominem infirmum posse ambulare dimidiam leucam; & tamen non posse totam leucam pertransire.

Respondetur tamen: quod si multiplicantur actus virtutum, multiplicantur etiam actus prudentiæ, & ideò prudentia requiritur: non est autem simile de actibus scientiæ, qui possunt multiplicari, quin multiplicentur actus efficienter provenientes à Logica.

Ad secundam respondetur: hominem posse Physicè omnes veritates cognoscere, licet non possit moralitèr & nos de potentia Physica disputamus in ordine ad alias scientias, quia potentia moralis solum tollitur per gratiam specialem, & non sanatur per Logicam.

Ad tertiam respondetur simili-

militèr : hominem posse Physicè omnia opera moralia etiam collectivè efficere, quamvis non possit moraliter. Et ad probationem superadditam dicimus : hominem per assensum primæ veritatis reddi magis promptum, & facilem ad secundam, & ita si Logica ad primam non requiritur, ad secundam necessaria non est ; infirmum verò per transitum dimidiæ leucæ debilitatur, & fatigatur, & ultra vires physicas non habet ad progrediendum.

Dices : secunda conclusio scientiæ est magis occulta quam prima : ergo potest homo cognoscere primam sine Logica, & non potest sine Logica secundam veritatem cognoscere.

Respondetur tamen facile : secundam veritatem esse magis occultam absolutè non tamen respectu intellectus actuati per primam demonstrationem, sicut in quacumque arte potentia actuata per primum exercitium facilior est ad secundum.

QUÆSTIO II.

DE NATURA Logicæ, & illius quidditate.

ARTICULUS PRIMUS.

Vtrum Logica sit simplicitèr scientia?

§. I.

Explicatur difficultas, & statuitur affirmativa conclusio.

NOn disputamus in *articul. præsenti*, de Logica secundum considerationem utentis, de qua aliqua infrà dicemus ; sed solum de Logica docente realitèr, & formalitèr ab aliis scientiis distincta ; quia tamen alia est scientia actualis videlicèt, assensus certus, & evidens, qui per demonstrationem habetur : & alia habitualis, habitus scilicèt, qui per demonst-

ra-

trationem adquiritur. De utraque difficultamus, an in Logica dentur veræ demonſtrationes, & Logica ſit habitus per demonſtrationem ad quiſitus? In qua parte plurimi antiqui Græcorum, & aliqui Recentiores negant alij verò tam intra: quàm extra ſcholam D. Thom. univerſalitèr affirmant cum quibus.

Probatur concluſio noſtra: in Logica dantur veræ demonſtrationes; ſed per illas aliquis producitur habitus: ergo Logica eſt verè ſcientia, ſivè ſermo ſit de Logica actuali, ſivè de Logica habituali. Min. patet: nam demonſtratio convincit intellectum, & conſequenter producit in illo aliquam formam, vel qualitatem, quę alia eſſe non poteſt, quam habitus: ſicut quodcumque agens dum vincit totalitèr reſiſtentiam paſſi, aliquam formam, vel qualitatem in paſſo producit. Maior verò probatur: nam Logica verè demonſtrat, univerſale eſſe prædicabile, demonſtrationem generare ſcientiam, diffinitionem eſſe clariorem definito, & modum ſciendi dirigere intellectum, & huiuſmodi alia: ergo in Logica verè dantur demonſtrationes.

Confirmatur, & explicatur: nam ea Logica non poſſet eſſe ſimplicitèr ſcientia, quia eius obiectum videlicèt ens rationis non eſt ſimplicitèr ſcibile; ſed ens rationis, eſt ſimplicitèr ſcibile: ergo Logica eſt ſimplicitèr ſcientia. Probatur minor Quia id docuit D. Thom. *quæſt. 7. de Potent. art. 1.* & pluribus aliis in locis. Tum quia ens rationis verè habet paſſiones demonſtrabiles de ipſo, ut vidimus in ratione præcedenti. Tùm quia eſſe ens ſecundum quid non tollit eſſe ſcibile ſimplicitèr. Undè ipſum ens rationis eſt verè ſcibile, quamvis ſecundario per habitum Metaphyſicæ, & accidens, quod eſt ens ſecundum quid eſt ſcibile ſimplicitèr, ſi quidem eſt obiectum primarium Metaphyſicè, & Mathematicæ, & in aliorum ſententia, etiam ipſius Philoſophiæ.

Inſuper etiam ex eo convincitur: quod quantitas eſt ens ſecundum quid; & tamen eſt ſimplicitèr æqualis alteri, & ſimplicitèr palmaris, quia ab alio ſummitur æqualitas, & ab alio ratio entis; ſed ab alio etiam ſummitur ratio ſcibilis, & ab alio ratio entis: ergo ens ſecundum quid poteſt eſſe ſcibile ſimplicitèr. Probatur minor. Ratio entis attenditur per ordinem ad eſſe; ratio autem ſcibilis ſummitur à connexione eſſentiæ cum proprietatibus ſuis: ergo ab alio ſummitur ratio ſcibilis, & ab alio ſummitur ratio entis. Deindè ens rationis in eſſe ſcibilis non pendet ab ente reali formalitèr: ergo eſt ſcibile ſimplicitèr. Probatur ant. Ens rationis convenit univocè in eſſe ſcibilis cum ente reali, & eſt

ita

ita ſcibile ſecundum rationem communem : ergò eſt ſimplicitèr ſcibile. Probatur antec. Convenientia analoga in ratione entis non tollit univocam convenientiam in eſſe ſcibilis, ſicut patet in ſubſtantia, & accidenti, quæ in eſſe entis analogicè conveniunt ; & tamen habent univocam convenientiam in ratione ſcibilis; ſed convenientia univoca in ratione ſcibilis inter ens rationis, & ens reale non aliundè poterat negari, quam proptèr analogam convenientiam, & diſtantiam in eſſe entis : ergò ens rationis convenit univocè in eſſe ſcibilis cum ente reali.

§. II.

Argumentis contrariorum occurritur.

CONTRA concluſionem noſtram poterat in primis argui ex Ariſtotel. qui 1. *Rethoricè*, *capit.* 1. affirmat : Rethoricam, & dialecticam non eſſe ſcientias. Et 2. *Metaph. capit.* 3. abſurdum eſſe ſimul quærere ſcientiam, & modum ſciendi, & nomine modi ſciendi intelligere Logicam, aſſerit D. Thom. ibidem *lect.* 5.

Confirmant aliqui : quia modus ſciendi, & inſtrumentum ſcientiæ non poteſt eſſe ſcientia, nam inſtrumentum non poteſt eſſe ipſa res, cui deſervit, nec modus poteſt eſſe ipſa natura, quam afficit, & modificat, ſed Logica eſt modus ſciendi, & inſtrumentum ſcientiæ : ergò nequit eſſe ſcientia.

Reſpondetur tamen facile : Ariſtotel. in primo loco, tantum loqui de Dialectica prout utente, & probabilitèr diſputante in quacumque materia, ut quicumque textum legenti conſtabit, & nos latius infrà dicemus. In ſecundo verò loco ſolum prætendit Ariſtot. Abſurdum eſſe ſimùl quærere modum ſciendi, & ſcientiam à modo ſciendi diſtinctam : non tamen eam ſcientiam, quæ ſimplicitèr ſcientia eſt, & ſimul modus ſciendi, quatenus docet conficere inſtrumenta ad ſcientiam conſequendam neceſſaria, quam ſcientiam ibi intendit Ariſtotel. Eſſe prius adquirendam.

Ad confirmationem reſpondetur : Logicam eſſe modum ſciendi objectivè, quia modum ſciendi docet : in ſe ipſa tamen eſſe verè ſcientiam demonſtrativè probantem proprietates modi ſciendi, de quo agit tanquam de objectio proprio, & dum di-

citur, modum rei non eſſe naturam, quam afficit intelligitur de modo rem determinante formaliter, non verò de modo, qui eſt objectum illius, nam modus iſte, & res ipſa ſumpta objectivè non differunt.

Dices: quod una ſpecies non ordinatur ad aliam; ſed Logica, formaliter, & in ſe ipſa ordinatur ad alias ſcientias: ergò in ſe ipſa ſcientia non eſt.

Secundò inſtabis: Logica non objectivè, ſed in ſe ipſa eſt modus ſciendi: ergò non eſt ſcientia. Probatur anteced. Demonſtratio eſt modus ſciendi; ſed demonſtratio eſt actus ipſius Logicæ: ergò Logica non objectivè, ſed in ſe ipſa eſt modus ſciendi.

Tertiò: Logica præcedit demonſtrationes, ſiquidem eas producit: ergò in ſe ipſa non eſt ſcientia, quia ſcientia per demonſtrationem generatur, & ante illam non eſt.

Quartò: Objectum formale ſcientiæ debet eſſe certo cognitum, quia objectum ſcientiæ eſt ipſum ſubjectum, de quo Logica demonſtrat paſſiones, & ſubjectum demonſtrationis eſt unum ex præcognitis ad ipſam demonſtrationem, & conſequenter debet eſſe certo cognitum; ſed objectum Logicæ non eſt certo cognitum, ſed in litte pendenti, cum varie à Jeſuitis, & Thomiſtis aſſignetur: & ſententia deſideretur veritatis, & rationis pro una, & altera parte: ergò Logica in ſe ipſa non eſt ſcientia.

Reſpondetur ad primam: Unam ſpeciem non poſſe ad alteram ordinari tanquam ad finem immediatum, & intrinſecum, benè tamen tanquam ad finem extrinſecum, & remotum; qualiter Logica ordinatur ad alias ſcientias, ſicut forma embrionis ordinatur ad formam perfectam, & ſicut prudentia ad alias virtutes, finis autem intrinſecus Logicæ ſola eſt contemplatio veritatis, & paſſiones de ſuo objecto probare.

Ad ſecundam negatur anteced. & ad probationem diſtinguo minor. demonſtratio ſumpta activè pro actibus intellectus: concedo minor. ſumpta objectivè: nego minor. & ſub eadem diſtinctione conſeq. Quia demonſtratio activè conſiderata pro actu intellectus diſponentis præmiſſas, & aſſentientis concluſioni demonſtratæ, eſt actus ipſius Logicæ, à qua efficienter procedit, ſed ut ſic non eſt modus ſciendi, ſed tantum objectivè ſumpta pro ipſis

sis objectis, ut ad invicem ordinatis, in quo sensu non est actus Logicæ, sed objectum illius.

Ad tertiam respondetur: Logicam præcedere alias: demonstrationes præter primam, non tamen præcedere primam, quæ fit lumine naturali, & per illam adquiritur Logica verè, & simpliciter scientia.

Ad quartam respondetur distinguendo minor. secundum id quod de materiali se habet ad intentum, & finem: concedo min. de formali se habet: nego min. & conseq. Logica namque demonstrat, diffinitionem esse clariorem diffinito, universale esse prædicabile, & modum sciendi esse manifestativum ignoti, ad quod sufficit diffinitionem explicare essentiam rei, & universale esse aptum ad essendum in pluribus, vel in illis reperiri, & modum sciendi esse verum artificium, & instrumentum sciendi, in quo omnes conveniunt tanquam in re firma, & explorata apud omnes, quamvis differant in eo, an omnia prædicta sint realia, vel rationis, quod de materiali se habet in ordine ad finem, & intentum Logicæ, quod est intellectum dirigere. Ad eum modum, quo Authores dividuntur circa objectum Philosophiæ primarium, nam aliqui dicunt non esse accidens: alij verò accidens ad objectum primarium pertinere, affirmant: cum quo tamen litigio compatitur convenientia in eo, quod objectum Physicæ sit ens mobile naturale, quod sufficit ad intentum Philosophiæ, & passiones de suo objecto probandas de materiali se habente sententiarum varietate.

Secundò arguitur: scientia debet probare passiones de suo objecto per veram causam illarum; sed Logica non potest probare passiones de suo objecto per veram causam illarum, eo quod ens rationis est ens fictum, & incapax veri influxus, veræque causalitatis: ergò Logica non est simpliciter scientia.

Respondetur: negando major. Quia Metaphysica probat passiones de ente unitatem videlicèt, veritatem, & bonitatem, quarum tamen ens non est vera causa, cum passiones non distinguantur realiter ab ente, & Theologia verè demonstrat attributa Dei, quæ tamen veram causam non habent.

Dices: scientia probat passiones de suo objecto per veram demonstrationem; demonstratio autem requirit causam

ſam., nam ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere: ergò ſcientia per veram cauſam debet procedere.

Reſpondetur: ad veram demonſtrationem requiri cauſam, vel rationem à priori, & ubi dicitur, ſcire eſſe rem per cauſam cognoſcere, de vera cauſa intelligitur, vel ſaltim de aliqua ratione à priori, quæ ſola ſufficit ad demonſtrationem veram, & talis eſt eſſentia rationis in ordine ad proprietates.

Tertiò arguitur: quia ſcientia agit de perpetuis, & neceſſarijs; ſed ens rationis, quod eſt objectum Logicæ, non eſt neceſſarium, quia fit libere ab intellectu noſtro: ergò Logica non eſt verè ſcientia.

Reſpondetur: diſtinguendo maj. neceſſarijs quantum ad connexionem prædicatorum eſſentialium, & quantum ad convenientiam, quam ſcientia demonſtrat, concedo major. Quantum ad exiſtentiam rerum, nego major. Quia ea, de quibus agit ſcientia non debent eſſe neceſſaria quantum ad exiſtere, ſed ſolum quantum ad connexionem prædicatorum, ſicut patet in corpore ſanabili, de quo agit medicina, quod paſſim corrumpitur, & in motu, de quo agit Phyſicus, & in virtutibus, de quibus agit Ethicus; quæ non neceſſario exiſtunt, cumque entia rationis ſint neceſſaria quantum ad eorum eſſentiam, & ſecundum rationem communem, de qua Logica diſputat; inde fit ex ea parte non amittere Logicam rationem ſcientiæ.

Dices: ens rationis eſſe corruptibile quantum ad eſſentiam: ergò nulla eſt ſolutio. Probatur anteced. primò. Quia ſecunda intentio rationis in communi eſt corruptibilis, ſiquidem eſt ens rationis, & omne ens rationis eſt corruptibile, eo quod libere ab intellectu producitur: ergò ens rationis eſt corruptibile in communi, & quantum ad eſſentiam ipſius.

Secundò probatur antec. Eſſentia entis rationis deſinit eſſe in rerum natura, quando corrumpitur exiſtentia: ergò ſicut eſt corruptibilis quantum ad exiſtentiam, ita erit quantum ad eſſentiam corruptibile.

Reſpondetur negando antec. & ad primam probationem dicimus, quod ex quo ſecunda intentio in communi ſit ens rationis, & fiat exercitè ab intellectu ſolum infertur eſſe corruptibilem quantum ad exiſtentiam, vel in exiſtendo deficere, non tamen quoad eſſentiam.

Ad

Ad secundam respondetur: quod quando deficit existentia, non amplius existit res, & ita quantum ad existentiam corrumpitur; perseverat tamen connexio inter prædicata essentialia, & illa verè de re prædicantur, & ideò res quantum ad essentiam non corrumpitur, quamvis existentiam amittat.

Dices: ens rationis quantum ad essentiam fit ab intellectu; ergò quantum ad essentiam antea non erat, & ultrà etiam non erit, intellectu non considerante; & consequenter corrumpitur. Probatur anteced. essentia entis rationis per diffinitionem explicatur; sed ens rationis diffinitur, quod habet esse tantum, dum actualitèr consideratur ab intellectu: ergò ens rationis quantum ad essentiam fit ab intellectu.

Respondetur: distinguendo anteced. Fit ab intellectu operatione sumpta signatè, concedo anteced. exercitè sumpta, nego anteced. & consequent. Quia essentia entis rationis consistit in eo, quod non possit exercitè existere, nisi fiat exercitè ab intellectu, quod totum signatè acceptum est ab æterno, & connotat intellectum cum tali exercitio sumpto signatè, & ideò essentia solum fit ab intellectu operatione sumpta signatè: sicut essentia existentiæ consistit in eo, quod exercitè non possit esse existentia, nisi etiam exercitè constituat rem extra omnes suas causas, quod exercitium sumptum signatè est indefectibile, & ab æterno. Nam quod existentia in re posita habeat tale exercitium, est necessarium, & deficere non potest.

Quartò arguitur: ens rationis non potest primario ab aliqua scientia cognosci: ergò Logica, quæ primario versatur circa entia rationis, non est vera scientia. Probatur anteced. Quod cognoscitur connotativè, & per speciem alterius, non cognoscitur primario; sed ens rationis non potest cognosci nisi ad modum entis realis, & per illius speciem: ergò non potest primario ab aliqua scientia cognosci.

Secundò probatur anteced. Nulla scientia per se primo potest determinare intellectum ad attingentiam entis rationis: ergò ens rationis non potest primario ab aliqua scientia cognosci. Probatur anteced. Scientia determinat intellectum per se primo ad attingentiam objecti specificativi; sed ens rationis non est objectum specificativum intellectus: ergò nulla scientia per

ſe primo determinat intellectum ad attingentiam entis rationis.

Tertiò probatur anteced. Nulla ſcientia per ſe primo eſt inſtitutа ad vincendam difficultatem in attingentia entis rationis: ergò idem quod priùs. Probatur anteced. Nulla ſcientia eſt inſtituta ad vincendam difficultatem circa objectum ſecundarium potentiæ: ſed ens rationis eſt objectum ſecundarium intellectus: ergò nulla ſcientia eſt inſtituta ad vincendam difficultatem in attingentia entis rationis.

Reſpondetur ad argumentum: negando anteced. & ad primam probationem diſtinguo major. in cognitione abſoluta, & incomplexa, concedo major. in cognitione reſpectiva, & complexa, nego major. Quia reſpectu cognitionis abſolutæ objectum primarium cognitionis ſolum eſt illud, quod primario repræſentat ſpecies; cumque ſpecies connotativa per ſe primo non repræſentet objectum, quod connotativè attingit, ſed ipſum objectum connotatum: inde fit, in cognitione abſoluta, & incomplexa non eſſe objectum primarium, illud, quod connotativè cognoſcitur; ſed objectum connotatum. Cæterum in cognitione complexa non objectum connotatum, ſed potiùs res ipſa cognita connotativè eſt objectum primarium. Nam ad affirmandas proprietates, quas in cognitione complexa cognoſcimus, & probamus convenire rei cognitæ connotativè, inducitur, & movetur intellectus à natura talis rei, & à connexione, quam habet cum proprietatibus ſuis, & ideò ipſum ens rationis eſt objectum primarium in cognitione prædicta.

Ad ſecundam probationem anteced. principalis: negatur anteced. & ad probationem dicimus: ens rationis non eſſe objectum primarium intellectus in ratione cognoſcibilis abſolutè; in ratione tamen ſcientificè cognoſcibilis, vel in ratione ſcibilis eſſe primarium objectum, & ideò poteſt ſcientia per ſe primo determinari ad illius attingentiam.

Ex his conſtat, poſſe dari ſcientiam per ſe primo inſtitutam ad vincendam difficultatem repertam in attingentia entis rationis, eo quod in eſſe ſcibilis non eſt ſecundarium objectum, per quod reſpondetur ad tertiam.

Quidam tamen Sapientiſſimus Magiſt. qui paulo ante intra eundem articulum diluerat alterum argumentum,

tum; asserendo, ens rationis in cognitione complexa esse objectum primarium intellectus, modo ad tertiam supra dictam probationem respondet esse objectum secundarium, & posse dari scientiam institutam per se primo ad vincendam difficultatem repertam in attingentia objecti secundarij potentiæ: nam intellectus indiget habitibus ad eliciendos actus practicos, quamvis per illos attingat solum verum practicum, quod est objectum secundarium intellectus.

Verum doctrinam istam non possumus approbare; quia devicta difficultate formali circa objectum primarium non indiget intellectus habitu ad objectum secundarium attingendum: ergò solutio nulla est. Probatur anteced. Devicta difficultate formali circa objectum primarium, non manet intellectus cum difficultate aliqua formali circa objectum secundarium: sicut devicta difficultate formali circa objectum primarium habitus, non manet habitus cum aliqua difficultate formali ad objectum secundarium: ergò non indiget intellectus habitu ad objectum secundarium attingendum; nam habitus dantur ad vincendam aliquam difficultatem formalem, quæ sit in potentia; & ideò dicuntur facilitare potentiam; non verò dantur ad vincendam difficultatem, quæ sit in ipsis habitibus; eo quod habitus per se sunt facilitates ad actus.

Nec exemplum suprà dicti Magist. sixam continet veritatem; quia objectum primarium intellectus abstrahit à verò speculativo, & practico. Undè actus prudentiæ sunt actus primarij intellectus, & actus fidei, quamvis prudentia sit formaliter practica, & fides, vel formaliter, vel eminenter, quamvis verum sit, conceptum practici in intellectu non esse primum conceptum, de quo infra reddet sermo, dum de objecto disputemus.

Dices: Voluntatem indigere habitu ad objectum secundarium attingendum, siquidem virtutes morales dantur in voluntate ad attingenda media, quæ sunt objectum secundarium; nam solus finis est primarium voluntatis objectum in sententia satis probabili: ergò potest etiam intellectus habitu scientiæ indigere ad objectum secundarium.

Respondetur: Voluntatem non indigere habitu ad objectum secundarium, nec hoc replica probari, quia media

dia, vel bona creata poſſunt conſiderari formaliter ut utilia, dependentia, vel relata ad ultimum finem formaliter, ſecundum quam rationem ſunt tantum media, ſed non attinguntur ut ſic per virtutes morales: poſſunt inſuper conſiderari quatenùs honeſta, & habentia ſpecialem bonitatem, qua ratione ad virtutes morales primario pertinent; verum ſecundum rationem iſtam obtinent rationem finis.

§. III.

Solvitur ultimum argumentum.

TAndem arguitur: Quia ens rationis eſt ſcibile ſecundum quid: ergò Logica tantum ſecundum quid, & non ſimpliciter erit ſcientia. Probatur antec. primò. Ens rationis eſt ens ſecundum quid: ergò ſcibile ſecundum quid, quia ſcibilitas eſt paſſio entis.

Secundò probatur anteced. Ens rationis non eſt ens ſimpliciter, nec eſt ſimpliciter verum: ergò non eſt ſcibile ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid; patet conſequent. Quia in ea arguitur à ſuperiori ad inferius negativè. Et rurſus benè valet non eſt ens per ſe; ergò non eſt ſcibile per ſe: ergò benè valet, non eſt ens ſimpliciter: ergò nec ſcibile ſimpliciter, quia ſi ſcibilitatem eſſe extra genus entis non tollit bonitatem primæ conſequentiæ, non auferet etiam bonitatem ſecundæ. Anteced. verò probatur. Benè valet eſt ſcibile per ſe; ergò ens per ſe; ideò namque probamus cum cæteris, numerum eſſe ens per ſe, quia eſt objectum Ariſmethicæ, & per ſe ſcibile ab ipſa: ergò ſi ens rationis non eſſet ens per ſe, non eſſet per ſe ſcibile.

Tertiò probatur anteced. Connexio entis rationis cum ſuis proprietatibus eſt talis ſecundum quid: ergò ens rationis eſt ſcibile ſecundum quid. Probatur anteced. Illa connexio pro expreſſo eſt formaliter ens rationis: ergò talis ſecundum quid. Probatur anteced. Pro expreſſo non eſt formaliter ens reale; ergò eſt aliquid rationis. Et omittimus circa probationem iſtam plura alia, de quibus in dialecticis diſputatis, Deo auxiliante, dicemus.

Confirmatur: Eſſentia entis rationis non connectitur infallibiliter cum proprietatibus ſuis: ergò ens rationis non poteſt terminare habitudinem ſcientiæ veræ, & ſimpliciter talis, & conſequenter Logica non

non erit ſcientia ſimpliciter. Probatur anteced. Poteſt poni eſſentia rationis, quin ponantur proprietates: ergò non connectitur infallibiliter cum proprietatibus ſuis. Probatur anteced. Intellectus poteſt fingere eſſentiam rationis, & non fingere proprietates, nam in hoc intellectus eſt liber: ergò poteſt eſſentia rationis poni, quin ponantur proprietates.

Ad hoc argumentum: negatur anteced. & ad primam probationem, negatur conſequent. Quia in ente rationis invenitur duplex cognoſcibilitas: una quidem abſoluta, quæ conſiſtit in entitate, vel immaterialitate propria objecti, quatenùs importat connexionem cum potentia cognoſcitiva, & hæc eſt paſsio entis, & ſicut ens rationis eſt ens ſecundum quid, ita etiam eſt cognoſcibile ſecundum quid cognoſcibilitate abſoluta: alia verò eſt cognoſcibilitas reſpectiva, quæ conſiſtit in connexione eſſentiæ cum ſuis proprietatibus, quæ connexio in ente rationis eſt talis ſimpliciter, nam ita connectitur cum ſuis paſsionibus, ſicut eſſentia realis connectitur cum proprietatibus ſuis, & in hac cognoſcibilitate reſpectiva ſcibilitas conſiſtit, quæ propterea eſt talis ſimpliciter, & non eſt paſsio ſecundo ad ens, ſed potiùs extra genus entis. Undè accidens eſt ens ſecundum quid, & ſcibile ſimpliciter.

Dices: Ens rationis in ratione cognoſcibilis ſcientificè pendet formaliter ab ente reali: ergò cognoſcibilitas ſcientifica eſt talis ſecundum quid. Probatur anteced. Ens rationis ſcitur ad modum entis realis, quia paſsiones entis rationis cognoſcuntur ad ſimilitudinem paſsionum ipſius entis realis: ergò in ratione cognoſcibilis ſcientificè pendet ab ente reali.

Reſpondetur ad replicam: negando utrumque anteced. vel diſtinguendo ſecundum: ad modum entis realis præſuppoſitive, vel ut cogniti abſolutè, concedo anteced. Illius in eſſe ſcibilis, nego anteced. & conſeq. Quia ut intellectus ſcientificè cognoſcat ens rationis, neceſſarium non eſt, quod priùs ſcientifica cognitione cognoſcatur ens reale, ſed ſatis eſt, quod ens rationis ſupponatur cognitum abſoluta cognitione, & quod intellectus priùs cognoſcat paſſiones entis realis non quidem demonſtrativè, ſed quantum ad an eſt, quod idem eſt ac abſolutè cognoſcere, illud habere tales proprietates, & ad modum harum cognoſcit,

&

& fingit paſsiones entis rationis, & ut connexas cognoſcit independenter ab ente reali formaliter in eſſe ſcibilis.

Ad ſecundam probationem: negatur conſeq. Nam ex quo ens rationis non ſit ſimpliciter ens, nec verum veritate tranſcendentali, quæ eſt paſsio entis non infertur, non eſſe ſcibile ſimpliciter, nec in ea conſeq. Arguitur à ſuperiori ad inferius negativè, nam entitas eſt quid præſuppoſitum ad eſſe ſcibile, ſed non prædicatum ſuperius, quia ſcibilitas formaliter extra genus entis exiſtit.

Ad conſeq. ibi ſuperadditam reſpondemus: Objectum, quod non eſt ens per ſe nullam habere eſſentiam, nec proprietatem demonſtrabilem, & ſcibilem de ipſo: undè dicitur, quod de ente per accidens, nec datur ſcientia, nec diffinitio, & ita ſi aliquid eſt ſcibile per ſe, debet eſſe ens per ſe; non tamen ſi eſt ſimpliciter ſcibile debet eſſe ſimpliciter ens, nam entia ſecundum quid habent veras proprietates demonſtrabiles per ſcientiam.

Ad tertiam probationem: negantur duo antecedentia prima, & ad probationem, negatur conſeq. Quia illa connexio pro explicito, nec eſt ens reale, nec ens rationis, eo quod pro explicito non dicit ordinem ad exiſtentiam, quæ eſt proprius actus entis, ſecundum quod ens.

Sed inſtabis: Illa connexio pro explicito eſt aliquid alias eſſet nihil: ergò reale, vel rationis, quia inter eſſe aliquid, & reale, vel rationis, non videtur aſsignabile medium.

Reſpondent aliqui, illam connexionem pro explicito, nec eſſe aliquid, nec nihil, quod tamen nullam implicationem involuit, quia quamvis inter aliquid, & nihil, & alia contradictoria non poſsit abſolutè, & in re dari aliquod medium, poteſt tamen dari medium facta aliqua reduplicatione, ſicut in præſenti reduplicatur explicitum connexionis, & exemplum eſt in albo, & non albo, quæ ſunt contradictoria in re, & facta aliqua reduplicatione datur medium inter illa, ſiquidem homo ſecundum ſe, nec eſt albus, nec non albus.

Revera tamen difficile intelligitur, illam connexionem eſſe intelligibilem, & de facto percipi ab intellectu, & eſſe objectum illius, & terminum cognitionis, & non aliquid. Quapropter melius videtur dicendum, illam connexionem eſſe aliquid, non

prout aliquid eſt paſsio entis, ſed prout aliquid ſignificat quamcumque veram formalitatem: nam illa connexio eſt vera formalitas, quæ tamen, quia non exprimit ordinem ad eſſe, nec ad intellectum fingentem, non eſt realis, vel rationis, niſi tantum pro implicito; pro expreſſo autem nihil horum explicat, ſed ſolum dicit extrema verè ad invicem connexa.

Ad confirmationem verò argumenti reſpondent aliqui: non poſſe intellectum ponere eſſentiam entis rationis, quin producat proprietates, quia licèt abſolutè ſit liber, ex ſuppoſitione tamen, quod eſſentiam producat, tenetur producere proprietates, ſicut ex ſuppoſitione, quod aſſentiatur præmiſsis, tenetur concluſioni aſſentiri, quamvis abſolutè poſsit non aſſentiri concluſioni, non aſſentiendo præmiſsis.

Sed contra eſt: Quia intellectus non per eandem actionem, ſed per duplicem, & realitèr diſtinctam, producit eſſentiam rationis, & proprietates illius, nam eſſentia, & proprietates, vel terminus primarius, & ſecundarius tunc ſolum per eandem actionem fiunt, quando ſecundarius à primario dimanat: ſicut relatio dimanat à fundamento, & proprietates reales dimanant ab eſſentia reali; proprietates verò entis rationis non verè dimanant ab illa, eo quod ipſa non verum influxum habet in prædictas proprietates; ſed illa duplex actio diſtincta realitèr eſſentialitèr connexa non eſt, alias proprietates entis rationis eſſentialitèr connecterentur cum eſſentia, quod eſt contra naturam proprietatis: ergò etiam ex ſuppoſitione, quod intellectus producat eſſentiam rationis, non tenetur producere proprietates, & ideò.

Reſpondetur aliter ad confirmationem diſtinguendo ſecundum anteced. quin ponantur proprietates quantum ad exiſtentiam, conced. antec. quantum ad exigentiam, nego anteced. & conſeq. Intellectus namque liber eſt infingendo proprietates, abſolutè loquendo, etiam ſuppoſita eſſentia, & ita quantum ad exiſtentiam poteſt eſſentia poni, quin ponantur proprietates, non tamen poteſt poni eſſentia, quin exigat proprietates ab intellectu produci, & hæc exigentia ſufficit, ut eſſentia rationis habeat connexionem infallibilem cum proprietatibus ſuis, & verè poſsint demonſtrari de illa: ſicut motus gravium, & levium eſt verè paſsio, & de illis demonſtratur,

quia

quia licèt gravia extra centrum non ſemper moveantur ad illud, ſemper tamen moveri exigunt.

Sed inſtabis: Vera proprietas alicujus eſſentiæ non poteſt naturaliter ab illa ſeparari, quia proprietas connaturaliter, & ſecundum legem ordinariam connectitur cum eſſentia; ſed paſſiones entis rationis poſſunt naturaliter ab eſſentia ſeparari: ergò non ſunt verè proprietates, conſequenterque ens rationis non erit ſimpliciter ſcibile.

Reſpondetur: diſtinguendo maj. Proprietas abſoluta, concedo maj. Proprietas reſpectiva, quæ ab extrinſeco dependet, neg. maj. & min. & negatur conſeq. Quia proprietates entis rationis dependent ab extrinſeco, quod poteſt naturaliter deficere, eo quod dependent ab intellectu pro ſua libertate fingente, & ita poſſunt naturaliter ab eſſentia ſeparari: ſicut motus in centrum poteſt naturaliter à lapide ſeparari, quia poteſt ab aliquo exteriori interpoſito naturaliter impediri.

Dices: Proprietas prædicatur accidentaliter inſeparabiliter de eſſentia, ut dicitur in 4. *lib.* ergò ſi proprietates entis rationis poſſunt naturaliter ſeparari, non erunt verè proprietates.

Secundò: Proprietates naturaliter ſeparabiles tantum contingenter connectuntur cum eſſentia, quia earum connexio poteſt deficere, & connexio, quæ deficere poteſt, neceſſaria non eſt; ſed de rebus contingenter connexis non datur vera ſcientia, quæ ſolum eſt de neceſſariis: ergò ſi proprietates entis rationis poſſunt naturaliter ſeparari, Logica, quæ illis demonſtrandis incumbit, non erit ſcientia ſimpliciter.

Reſpondetur ad primam: Proprietatem dependentem ab extrinſeco prædicari accidentaliter ſeparabiliter quantum ad exiſtentiam, ſed inſeparabiliter prædicari quantum ad exigentiam, quod ſatis eſt, ad ſalvandum verum conceptum proprietatis: ſicut patet in motu gravium, & levium, & hoc idem ſufficit ad diſtinguendum proprium ab accidenti quinto prædicabili, nam quintum prædicabile etiam quoad exigentiam ſeparabile eſt ab eſſentia.

Ad ſecundam ex eadem doctrina reſpondetur: quod proprietates ſeparabiles connectuntur contingenter quantum ad exiſtentiam, quoad exigentiam tamen neceſſario connectuntur, ſiquidem ſemper debentur eſſentiæ, & exigunter ab illa, quæ connexio ſufficit ad ſcientiam, & ut ſit

do

de neceſſarijs; non enim ſcientia demonſtrat proprietates utcumque, ſed illas ut debitas, vèl illas eſſentiæ deberi, quod ſemper verum eſt, & nunquam deficere poteſt.

Ex dictis intelliges: quod quamvis in Logica dentur plures actus probabiles, non indè infertur, Logicam non eſſe ſimpliciter ſcientiam, quia actus topici, vèl probabiles eliciuntur à Logica oppinativa, quæ tradit regulas non demonſtrativè, ſed probabiliter, & ad probabiliter diſputandum; non tamen eliciuntur illi actus à Logica ſcientia.

Scio, aliquos aſſenere tales actus procedere ſecundario à Logica ſcientia, eo quod verſatur circa ens rationis, quod eſt objectum illius, & ſub eadem abſtractione ab omni materia, & ideò non ſuperaddunt novam difficultatem ſuprà actum primarium Logicæ ſcientiæ; ſed qua ratione id fieri non poſſit, dicemus infrà de Logica docente, & utente diſputantes.

Et quidem fortaſſe cum maiori apparentia poſſet defendi: tales actus non cadere ſub eadem ratione formali ſubjectivè, nec reſpicere idem objectum formale poſſe tamen elici ſecundario à Logica ſcientia, quia adhoc ſatis eſt; quod dicant ordinem ad objectum illius, & ad rationem formalem: ſicut ens rationis ſecundario attingitur à Metaphiſica, quia licèt non abſtrahat poſitivè ab omni materia, dicit tamen ordinem ad abſtractionem prædictam, & ad ipſum ens reale, quod eſt objectum Metaphiſicæ primarium.

ARTICULUS II.

Vtrùm Logica ſit ſimplicitèr ſpeculativa, vèl practica?

§. I.

Quibuſdam ſuppoſitis ſtatuitur prima concluſio.

IN præſenti difficultate, aliqua parum neceſſaria relinquemus, ne ad utiliora deficiat tempus, & tomus. Sed ante omnia præoculis habenda eſt differentia, quæ verſatur inter habitum ſpeculativum, & practicum: differunt namque ex objecto, & ex modo procedendi, & ex fine utriuſque: ex objecto quidem, quia objectum habitus ſpeculativi, eſt res ut ſpeculabilis, & præciſe ut cognoſcibilis: objectum verò habitus practici, eſt res purè ut operabilis; unde habitus prac-

ticus debet efficere operationem extrinsecam intellectui, vèl ad illam dirigere, non quidem remotè, sed proximè, & immediatè, sicut habitus prudentiæ dirigit operationes virtutum.

Differunt etiam habitus prædicti ex modo procedendi, quia habitus speculativus procedit modo resolutivo, demonstrando videlicèt veritatem per proprias principia, vèl ipsa principia speculando: habitus autem practicus procedit modo operativo, & compositivo traddendo modum; quo res debet fieri, & poni sub existentia.

Ad hoc tamen intelligendum notanda est altera differentia, quam habitus prædicti desumunt ex fine, quia potest scientia aliqua tradere modum efficiendi opus, ipsum modum demonstrando, ut si quis probet domum debere constare ex parietibus, & illorum coopertura per causam finalem, ut videlicèt nos à pluvia, frigore, & alijs incommodis aptè defendat quæ demonstratio non arguit, habitum esse speculativum, quia totum hoc ad opus efficiendum ordinatur: undè Medicina secundum partem Theoricam est verè scientia, & tamen secundum se totam practica est. Potest ergò (quid quid aliqui reclamant) aliquis habitus habere rationem scientiæ: & esse habitus practicus, quatenus tota illius speculatio, & demonstrationes, quas efficit, finaliter ordinantur ad opus.

Finis ergò habitus speculativi, est veritas, habitus autem practici finis, debet esse opus, & ideò habitus speculativus quærit scire propter se; practicus autem propter opus: propterea que Metaphisica est purè speculativa, quia considerat omnia etiam ipsam sanitatem animalis propter solam veritatem cognoscendam: Medicina verò practica est, quia sanitatem considerat, ut eam causare possit; verum finis, de quo loquimur in præsenti debet esse finis operis, & non finis operantis, potest enim quis Philosophiam addiscere, ut sciat operari, & alijs scientijs speculativis incumbere, ne inaniter tempus consumat, & ad corpus mortificandum, quin propterea talis scientia speculativæ rationem amittat, eo quod ex natura sua non ordinatur ad finem prædictum, sed solum ex voluntate operantis, ex qua voluntate potest etiam quis habitum practicum ad speculationem ordinare, sicut Medicina ad sciendum, & habitum di-

citharizandi ; ad cognoſcendam eius naturam, dirigere.

Secundò notandum eſt: Quod ut actus, & habitus ſint verè practici, non eſt neceſſarium conformari cum ratione rectè operantis undè actus vitioſi, quamvis non ſint conformes rationi rectæ verè ſunt practici, & ita homines boni ingenij male agentes regulariter dicitur habere malum intellectum practicum.

Tertiò ſupponendum eſt: Nullum actum intellectus poſſe habere rationem praxis, quia praxis eſt operatio alterius potentiæ ab intellectu, & aliquid ab ſpeculationem diſtinctum, ſed quilibet actus intellectus non eſt operatio alterius potentiæ ab intellectu, & aliundè eſt verè ſpeculatio, cum ſit vera cognitio obiecti: ergò nullus actus intellectus eſt verè praxis, & ideò praxis diffinitur, quod ſit *operatio extrinſeca intellectui aptæ regulari per habitum practicum*: quibus conſonat Doct. Sanctus 1. 2. *q.* 57. *art.* 1. *ad* 1. dicens: *Practicum ergò, vèl operativum ſummitur ab opere exteriori*: ex quibus conſtat optimo iure *q.* 14. *de Verit. art.* 4. afferere D. Thom. quod ſola extenſio ad opus, facit intellectum practicum, & ex eiſdem poterit diffiniri ſpeculatio, quod ſit *actus intellectus ex ſe non ordinatus ad aliquid extra ſuum genus, & ab ipſa ſpeculatione diſtinctum*: eo quod ſpeculatio in contemplatione veritatis quieſcit, & ultimo terminatur.

Dices: quod actus intellectus, quatenus eſt dictio, & productio verbi, non eſt contemplatio veritatis: ergò ut ſic, debet eſſe praxis, nam ſub ea formalitate, qua non eſt ſpeculatio, erit neceſſario opus.

Secundò: idem videtur eſſe practicum, & eſſe praxim; ſed plures actus intellectus ſunt verè practici: ergò etiam praxis.

Reſpondetur ad primam: diſtinguendo antec. non eſt contemplatio expreſsivè, concedo antec. relativè, negò anteced. Quia licèt actus intellectus ſecundum munus dictionis non exprimat rationem contemplationis, illam tamen includit formaliter, & connectitur cum illa, & ad contemplationem ipſam ordinatur nam ad hoc intellectus producit verbum, ut in illo contempletur obiectum, & ideò actus ille ſub ea formalitate nequit eſſe praxis, eo quod praxis non poteſt per ſe, & ex propria natura ad contemplationem veritatis ordinari.

Ad ſecundam facile di-

ci-

citur: quod ut actus sit practicus, sufficit, quod ad praxim ordinetur, qualitèr actus prudentiæ, & alij actus intellectus ordinantur, & non requiritur ipsum actum esse praxim.

His ergò prælibatis in puncto difficultatis: affirmant aliqui, Logicam esse totam practicam, quæ sententia inter Recentiores extra Scholam D. Thom. communis est. Alij asserunt, Logicam esse partim speculativam, & partim practicam; alij eminenter utrumque continere, & secundum se totam esse practicam, & speculativam simul: alij tandem defendunt, totam esse speculativam, & hi sunt omnes Thomistæ, quibus Scotistæ adhærent, & aliqui alij extra Scholam D. Thom. cum quibus sit.

§. II.

PRIMA CONCLUSIO.

Logica non est practica, & simul speculativa.

CONclusio nostra efficaciter probatur: quia practicum, & speculativum adunari non possunt in aliqua scientia inferiori; sed logica est scientia inferior, & infima omnium: ergò nequit esse speculativa, & practica simul. Probatur mai. Differentiæ essentiales, & essentialitèr generis divisivæ, non possunt adunari in aliqua specie ex illis, quæ sub genere continentur, undè rationale, & irrationale adunari non possunt in aliqua specie animalis; sed practicum, & speculativum sunt differentiæ essentialitèr divisivæ scientiæ inferioris in communi: ergò non possunt adunari in aliqua scientia inferiori. Probatur min. Tum quia videtur expressa D. Thom. 1. *part. quæst. 1. artic. 4. in Corpore*: Tum etiam quia differentiæ essentialitèr distinguentes species contentas sub genere, essentialitèr etiam dividunt genus, nam differentia essentialis, & habet dividere genus essentialitèr, & constituere speciem; sed practicum, & speculativum essentialitèr distinguunt scientias contentas sub ratione communi scientiæ inferioris: ergò sunt differentiæ essentialitèr divisivæ scientiæ inferioris, & ordinis naturalis in communi. Pater min. Quia ratio speculativæ constituit Metaphisicam specie distinctam à Philosophia morali, & à scientia medicinæ, eo quod istæ ultimæ sunt essentialitèr practicæ: Metaphisica verò essentialitèr speculativa est; sed

istæ

istæ scientiæ assignatæ continentur sub ratione communi scientiæ inferioris, & ordinis naturalis: ergò practicum, & speculativum sunt differentiæ essentialiter distinguentes scientias, quæ continentur sub ratione communi scientiæ inferioris, & ordinis naturalis.

Respondebis: Practicum, & speculativum seorsim, & adæquatè esse differentias essentialiter distinguentes scientias inferiores, & ordinis naturalis; non tamen practicum, & speculativum inadæquatè; hoc enim modo benè possunt eundem habitum constituere, sicut constituunt habitum Theologiæ, & fidei, & conceptus intellectus, & discursus per modum duplicis conceptus inadæquati constituunt intellectum humanum.

Sed contra est: quia differentiæ essentialiter dividentes rationem genericam, non possunt per modum duplicis conceptus inadæquati constituere speciem, ut constat in rationali, & irrationali, quæ non possunt adhuc per modum duplicis conceptus inadæquati adunari; sed practicum, & speculativum essentialiter dividunt rationem communem scientiæ inferioris, cum constituant scientias inferiores essentialiter distinctas, ut vidimus; ergò non possunt per modum duplicis conceptus inadæquati in aliqua scientia inferiori adunari.

§. III.

Argumentis contrà conclusionem occurritur.

CONtra conclusionem arguitur: differentiæ essentialiter generis dividentes possunt adunari in aliqua specie: ergò practicum, & speculativum possunt in aliqua scientia inferiori adunari. Probatur antec. Potentia essentialiter dividitur in vitalem, & non vitalem; & tamen utraque differentia potest adunari in aliqua specie: ergò, anteced. verum est. Probatur min. Nam voluntas nostra simul est in actu primo vitalis, & non vitalis, vitalis quidem, ut per se patet; & non vitalis, quia potest efficere liberam omissionem absque aliquo actu, qui sit causa, vel occasio committendi in sententia satis probabili, in qua etiam omissio prædicta est exercitium voluntatis, sed non exercitium vitale: ergò differentiæ vitalis, & non vitalis possunt benè in aliqua specie adunari.

Respondetur tamen, quod differentiæ essentialiter divisivæ ob entitę, sunt differentiæ

vitalis, & non vitalis adæquatè, & secundum omnem conceptum, in quo sensu in nulla specie adunantur, quia nulla est potentia, quæ sit adæquatè non vitalis, & vitalis adæquatè, ad eum modum quo eadem potentia est naturalis, & libera secundum formalitates diversas, & idem intellectus humanus intelligentia, & discursus.

Dices: bonum essentialiter dividitur in bonum quod est medium, & in bonum, quod est finis, & tamen idem bonum potest esse medium, & finis, sicut patet in fine intermedio, qui simul habet rationem finis, & medij: ergò differentiæ essentialiter divisivæ generis, possunt benè in aliqua specie adunari.

Respondetur eadem doctrina: differentias essentialiter dividentes bonum esse rationem finis adæquatè, & rationem medij adæquatè, in quo sensu in nulla specie adunantur: si tamen rationem quæras, cur etiam practicum inadæquatè, & speculativum inadæquatè non possint etiam in aliqua specie coniungi? Iam suprà dedimus illam, quia videlicèt practicum, & speculativum ex terminis distingunt essentialiter scientias inferiores, & illam iterum infra assignamus.

Secundò arguitur: eadem scientia inferior potest esse speculativa, & practica simul: ergò hoc potest habere Logica. Probatur ant. Idem intellectus humanus est practicus, & speculativus simul: ergò eadem scientia inferior potest esse speculativa, & practica simul.

Secundò probatur anteced. eadem scientia inferior potest esse scientia, & simul non esse scientia, nam idem habitus Logicæ non est scientia sub ratione utentis, & est scientia sub ratione docentis: ergò potest esse practica, & simul speculativa.

Tertiò: idem habitus Theologiæ est practicus, & speculativus simul, & etiam habitus fidei habet utramque rationem: ergò idem dicendum de habitu scientiæ inferioris.

Respondetur: negando anteced. & ad probationem negatur conseq. Quia intellectus est potentia universalis, quæ considerat omnia secundum rationem universalissimam entis, sub qua continetur ens, & verum speculabile, & etiam verum practicum, & ita debet esse speculativus, & practicus simul, habitus verò inferior attingit suum objectum secundum rationem particularem magis determi-

na-

natam, & contractam, quæ prout sic necessario debet esse speculabilis, vèl operabilis, si namque utramque formalitatem includeret, habitus illam considerans esset habitus superior. Undè practicum, & speculativum non sunt differentiæ essentiales potentiæ, & habitus superioris, sed solius habitus inferioris.

Ad secundam probationem: negatur conseq. Quia esse scientiam, & non esse scientiam inadæquatè, & secundum expressiones, vel reduplicationes diversas, non sunt differentiæ essentialitèr divisivæ habitus, nec oppositæ privativè, sed tantum negativè penes implicitum, & explicitum, & quatenus sub una formalitate non explicat conceptum contemplationis, sed applicationis ad opus, & ideò possunt in eadem scientia adunari.

Ad tertiam probationem anteced. constat ex dictis ad primam. Quia habitus Theologiæ est habitus superior (& idem dicendum de fide) & quæ inferioribus sunt dispersa, in superioribus sunt unita: undè mirum non est, quod in prædictis habitibus possint adunari simul ratio practici, & ratio speculativi: sicut sensus communis propter eminentiam, quam habet supra sensus inferiores, attingit secundum rationem communem sensibilis omnia objecta particularia, quæ ad inferiores pertinent.

Posset etiam argui: quod Logica dirigit actus practicos, quibus acquiritur scientia practica, & consequenter ex hac parte erit practica, & cum pro altera parte sit speculativa, erit utrumque simul secundum se totam.

Sed facile respondetur: Logicam dirigere actus practicos ea parte, qua tales actus sunt contemplatio veritatis, & cognitio rei per causam; non tamen ea parte, qua ordinantur ad opus, hoc enim habent respectivè ad habitum, à quo efficienter procedunt, non tamen comparativè ad Logicam.

§. IV.

SECUNDA CONCLUSIO.

Logica est tota speculativa.

DOcuit conclusionem nostram in 1. 2. *quæst.* 57. *artic.* 3. D. Thom. per ea verba: *In speculativis est aliquid per modum operis, ut constructio syllogismi, & quicumque habitus speculativi ad eiusmodi opus ordinantur, dicuntur per similitudinem artes.* Quod confirmat Augustin. 8. de

De Civitat. cap. 4. ubi Logicam inter scientias speculativas enumerat.

Ratione probant aliqui: Quia Logica versatur circa secundam intentionem in communi, & præbet regulas universales ad omnem demonstrationem conficiendam: ergò non est practica, sed solum est speculativa, nam scientia practica tantum circa singularia versatur, quæ tantum operabilia sunt.

Hæc tamen ratio nequit habere efficaciam: quia etiam scientia practica agit de rebus in universali, sicut habitus domificandi in universali docet, quomodo faciendæ sit domus, & medicina practica in universali docet, quomodo febris talis, vel talis conditionis, aut naturæ curanda sit, quamvis prædicti habitus ultimo ad singularia terminentur, ut singularia producantur, & fiant: ergò ex quo Logica versetur circa secundam intentionem in communi, & præbeat regulas generales ad omnem demonstrationem, non infertur, esse solum scientiam speculativam, nisi aliundè ratio facta roboretur.

Ratione ergò aliter probatur conclusio nostra: Logica ex propria natura ordinatur ad contemplationem veritatis tanquam ad proprium finem: ergò est tota speculativa. Probatur anteced. Logica ex propria natura ordinatur ad cognoscendam naturam modi sciendi, & passiones de illo demonstrandas: ergò ordinatur ad contemplationem veritatis tanquam ad finem proprium.

Confirmatur: Logica pro materia, & objecto formali habet aliquid purè speculabile: ergò non est practica, sed tota speculativa. Probatur anteced. Quia materia Logicæ sunt res, de quibus agit, & forma est ordo artificiosus, quem intellectus format in rebus, illas disponendo in modum syllogismi, definitionis, & divisionis, & alia; sed hæc omnia purè speculabilia sunt: ergò Logica pro materia, & objecto formali habet aliquid purè speculabile. Quod confirmat natura ipsa Logicæ, quæ solum ordinatur ad dirigendas operationes intellectus; sed operationes intellectus non sunt praxis: ergò Logica non ordinatur ad praxim, consequenterque tota speculativa est. Quod etiam suadet Logicam utentem esse etiam speculativam, quando quidem Logica utens ordinatur ad constructionem syllogismi, & prædicta constructio non est praxis, sed est opus intellectus, & intra ipsum exercetur.

Di-

Dices: Logicam utentem nedum ordinari ad ſyllogiſmum mentalem, ſed etiam ad ſyllogiſmum vocalem, qui extra intellectum exiſtit, & conſequenter ordinatur ad opus extra intellectum, vel ad praxim, proindèque debet eſſe practica.

Sed contra eſt: quamvis Logica utens ordinetur ad ſyllogiſmum vocalem, non tamen ultimo, ſed potiùs ultimo ordinatur ad mentalem, nam ideò conficit ſyllogiſmum vocalem, ut mentalem manifeſtet; ſed ſyllogiſmus mentalis eſt opus intra intellectum, & contemplatio veritatis: ergò Logica etiam, ut utens ordinatur ad contemplationem veritatis, ut ad finem, conſequenterque ſpeculativa eſt. Et quidem ſi contrariorum ſolutio convinceret, probaret etiam, nullam eſſe ſcientiam ſpeculativam, ſiquidem quælibet ſcientia ſyllogiſmos vocales conficit.

§. V.

Argumenta ſolvuntur.

COntra concluſionem poterat in primis argui. Ariſtot. & Div. Thom. dividentes ſcientias ſpeculativas, nullam facere mentionem Logicæ: ergò quia ſentiebant Logicam non eſſe ſpeculativam. Et rurſus poterat argui ex aliquibus authoritatibus Sanctiſsimi Præceptoris.

Ad hæc tamen facile dicitur: quod in aliquibus locis, quæ referunt adverſarij ſolum Ariſtot. & D. Thom. dividebant ſcientias principales, & ita non fecerunt mentionem Logicæ, quæ ſcientia miniſterialis, & minus principalis eſt: alibi verò ut notarunt plurimi Ariſtot. diviſit Philoſophiam contemplativam in Phyſicam, & in Logicam. De authoritatibus verò D. Thom. ſpecialis difficultas non eſt, ſolum namque probant, Logicam eſſe ſimiliter dinariè practicam, & tantum ſecundum quid.

Secundo poterant argui: habitum intellectualem practicum dividi in prudentiam, & artem; ſed Logica eſt ars: ergò practica eſt. Quod poterat confirmari: quia ſcientia ſpeculativa propter ſe requiritur, & ad contemplationem ſui objecti ordinatur: Logica verò non propter ſe, ſed propter alias ſcientias deſideratur, & quia eſt via, & inſtrumentum ad alias ſcientias conſequendas.

Reſpondetur tamen facile ad argumentum: quod habitus intellectualis practicus dividitur in prudentiam, & artem

tem ſimpliciter talem: Logica verò ſolum ſimilitudinarie eſt ars, & ſimpliciter eſt ſcientia.

Ad confirmationem verò dicitur: ſcientiam ſpeculativam primò, & principaliter quærit propter ſe, & ad contemplationem ſui objecti ordinari, quod quidem habet Logica, quamvis ſecundario, & minus principaliter ordinetur ad alias ſcientias, quatenus docet modum ſciendi, qui vlam parat ad omnes.

Arguitur tertiò: habitus Logicæ ordinatur ad praxim: ergò practicus eſt. Probatur anteced. habitus Logicæ ordinatur ad faciendum ſyllogiſmum; ſed conſtructio ſyllogiſmi eſt verè praxis, ſiquidem eſt opus operabile, & factibile per intellectum humanum: ergò habitus Logicæ ordinatur ad praxim.

Reſpondetur negando anteced. & ad probationem negatur min. Quia conſtructio ſyllogiſmi fit per intellectum, & intra ipſum manet. Undè nec ſyllogiſmus, nec illius conſtructio eſt verè praxis, eo quod praxis eſt opus extrinſecum intellectui, & ab ſpeculatione diſtinctum, & ideò nullus actus Logicæ ordinatur ad praxim.

Sed inſtabis: conſtructio, & operatio domus, eſt verè praxis: ergò etiam operatio ſyllogiſmi. Conſeq. à paritate nota eſt.

Inſtabis ſecundo: Conſtructio ſyllogiſmi eſt introductio formæ in materia; dum enim artificioſa diſpoſitio ponitur per actum intellectus in rebus, fit ſyllogiſmus: ergò prædicta conſtructio debet eſſe praxis, quia introductio formæ in materia nequit eſſe ſpeculatio.

Reſpondetur ad primam negando conſeq. Quia conſtructio domus, eſt opus extra intellectum executa per potentias exteriores, & ideò eſt verè praxis; ſed conſtructio ſyllogiſmi per intellectum fit.

Ad ſecundam reſpondetur diſtinguendo anteced. in materia ſpeculabili, concedo anteced. practicabili, nego anteced. & conſeq. Quia conſtructio ſyllogiſmi non eſt introductio formæ in materia purè operabili, ſed potiùs in materia ſpeculabili, nam conſtruere ſyllogiſmum eſt verè ſpeculari, cum ſit actus intellectus, & omnis actus intellectus eſt vera ſpeculatio, & inſtantia eſt in quacumque ſcientia, nam omnis ſcientia conficit ſyllogiſmos; & tamen non omnis ſcientia practica eſt.

Sed inſtabis: Applicatio regularum ad uſum debet eſſe praxis; ſed conſtructio ſyllo-

logiſmi eſt applicatio regulatum ad uſum : ergò eſt verè praxis.

Reſpondetur : diſtinguendo mai. regularum operandi, concedo mai. ſpeculandi, nego mai. & ſecundum eandem doctrinam, & diſtinctionem minoris, negatur conſeq. Quia Logica dum conficit ſyllogiſmum applicat ad uſum regulas ſpeculandi, & cognoſcendi veritatem, & adhunc finem fit ſyllogiſmi conſtructio; ut autem eſſet practica debebat applicare non regulas cognoſcendi, ſed regulas operandi, & ad opus ordinatas, in quo ſolo eventu conſtructio ſyllogiſmi practica eſt, ut cum quis conficit ſyllogiſmum, quo mediante deliberat de aliquo opere faciendo, ut contingit in prudentibus, cum ad opus determinantur.

Sed inſtabis: Regulas traditas per Logicam, & ipſum Logicæ habitum ordinari ultimo ad veritatem contemplandam, non tollit Logicam eſſe practicam : ergò quamvis doctrina traddita vera ſit, non indè infertur, Logicam eſſe ſpeculativam ſimplicitèr. Probatur anteced. primò. Logicam utentem ultimo ordinari ad veritatem contemplandam, non ſufficit, ut Logica utens ſit verè ſcientia : ergò ordinatio prædicta non tollit, Logicam eſſe practicam.

Secundò probatur anteced. Actus prudentiæ, quo dictat hic, & nunc eſſe aliquid ſpeculandum, ut veritas cognoſcatur, ordinatur ultimo ad contemplationem veritatis, & examen illius ; & tamen talis actus verè practicus eſt : ergò Logicam ordinari ultimo ad veritatem contemplandam, non tollit, Logicam eſſe verè practicam.

Reſpondetur ad replicam: negando anteced. & ad probationem, negatur conſeq. Quia denominatio practici, vel ſpeculativi ſummitur à fine intrinſeco, ad quem habitus ex proprijs ordinatur, & ideò habitus, qui ad veritatem contemplandam ab intrinſeco, & ex propria natura ordinatur : verè ſpeculativus eſt : denominatio verò ſcientiæ, non ſummitur à fine, ſed ab exercitio cognoſcendi rem per cauſam, vel ex ordine ad ipſum, quod cum non habeat Logica utens reduplicativè ut talis, non debet ſcientia denominari.

Ad ſecundam probationem anteced. reſpondetur: prudentiam tantum ordinari ad ſpeculationem, quatenus practica eſt ; non verò ad ipſam, quatenus eſt contemplatio. Prudentia namque, eſt virtus perficiens intellectum ad benè vivendum, & in ordine ad voluntatem, & ita

non respicit speculationem, nisi ut conducentem hic, & nunc ad finem prædictum, secundum quam rationem speculatio practica est, & ad praxim ordinata; Logica verò perficit intellectum ad speculandum tantum.

Dices: etiam Logica ordinatur ad instrumenta Logicalia, quatenus practica sunt: ergò etiam erit practica. Probatur anteced. Ordinatur ad instrumenta Logicalia libere construenda, & quatenus cadunt sub electione voluntatis imperantis intellectum ad discursum, & inquisitionem veritatis; sed hæc instrumenta prout sic practica sunt: ergò Logica ordinatur ad ea, quatenus, practica formaliter.

Respondetur: negando anteced. & ad probationenem, distinguo mai. Libertate specificante, & ex electione voluntatis specificantis opus, nego mai. purè applicantis ad ipsum, concedo mai. & negatur min. sub eadem distinctione. Quia quamvis intellectus, ut conficiat instrumenta logicalia applicetur à voluntate; non tamen ipsa voluntas dat speciem instrumento logicali. Nam sivè bona, sivè mala voluntate conficiamus instrumenta logicalia, semper tamen syllogismus erit bonus, si regulas observamus, & ideò instrumenta prædicta solum quantum ad exercitium dependet à voluntate applicante, non verò quantum ad speciem, & substantiam, secundum quam rationem purè speculativa sunt, & considerantur à Logica, nec enim dependentia à voluntate impedit speculationem veram; quando quidem nihil possumus speculari, nisi vellimus.

Arguitur quarto: Logica est factiva sui objecti: ergò practica est, propterea namque medicina practica est, quia est factiva sui objecti, scilicèt sanitatis: & scientia visionis, qua Deus cognoscit futura, vel existentia, ideò est practica, quia creaturam factiva.

Confirmatur: si Logica esset speculativa simpliciter, esset perfectior medicina, & quocumque habitu practico; sed hoc admittendum non est, cum scientiæ practicæ habeant perfectius objectum, videlicèt ens reale: ergò Logica speculativa non est. Probatur mai. Habitus speculativus procedit modo resolutorio; habitus verò practicus procedit modo compositivo, qui modus procedendi non est ita perfectus: ergò si Logica esset speculativa simpliciter, esset perfectior medicina, & quocumque habitu practico.

Ref-

Reſpondetur: quod quamvis Logica ſit factiva ſui objecti, illud tamen efficit mediante actione intellectus, & ut ipſum contempletur, & ideò practica non eſt: ſicut Ariſmethica non eſt practica, quamvis faciat numerum, qui eſt illius objectum, eo quod totum hoc per intellectum fit, & intra intellectum manet, & ad veritatem cognoſcendam ordinatur; objectum verò medicinæ ſit per potentias exteriores applicantes, & exequentes, quæ conducunt ad perfectam ſanitatem: & ſcientia practica Dei operatur effectum extra ipſam exiſtentem, & ideò diſpar eſt ratio.

Ad confirmationem reſpondetur: Habitum ſpeculativum ex conceptu communi perfectiorem eſſe habitu practico, ſed ex conceptu peculiari poteſt reſarciri exceſſus, quatenùs habitus ſpeculativus particularis reſpicit imperfectiſsimum objectum, ut in Logica contingit, & propterea Logica minus perfecta eſt, quam ſcientia practica, cujus objectum eſt aliquid reale.

Sed inſtabis: Quod ſi ſemel Logica ſpeculativa eſt, etiam ex conceptu peculiari debet excedere: ergò nulla eſt ſolutio. Probatur anteced. primò. Habitus ſpeculativus ex conceptu particulari ordinatur ad perfectiorem finem, ad contemplationem videlicèt veritatis, qui finis perfectior eſt, quam opus ad quod ordinatur habitus practicus: ergò ſi ſemel Logica ſpeculativa eſt, etiam ex conceptu peculiari debet excedere.

Secundò probatur: anteced. Si ſemel Logica ſpeculativa eſt excedit ex conceptu communi: ergò etiam debet excedere ex conceptu differentiali ſpecifico, quia ſpecies generis inferioris nunquam poteſt adæquarè ſpeciem ſuperioris generis.

Reſpondetur ad replicam negando anteced. & ad primam probationem, diſtinguo anteced. Ad perfectiorem finem ex conceptu communi, concedo anteced. Ex conceptu particulari, nego anteced. & conſeq. Quia quamvis finis habitus ſpeculativi, vel contemplatio veritatis ex conceptu communi perfectior ſit; contemplatio tamen veritatis entis rationis minus perfecta eſt, quam opus verum, & reale, quatenùs contemplatio prædicta verſatur circa diminutam, & imperfectiſsimam veritatem, & propterea Logica ordinata ad talem finem, ex conceptu particulari minus perfecta eſt.

Ad ſecundam probationem negatur conſeq. Quia ſpecies generis imperfectioris poteſt adæquarè, & excedere ex conceptu peculiari ſpeciem generis ſuperioris, ſicut charitas ex conceptu differentiali excedit fidem, quamvis fides ex conceptu communi intellectivæ ſit perfectior charitate.

Et ſi dicas: Quod individuum ſpeciei inferioris non poteſt adæquarè minimum individuum ſuperioris ſpeciei: ſicut nullus equus poteſt minimum hominem adæquare: ergò nec ſpecies generis imperfectioris poterit aliquam ſpeciem perfectioris generis adæquare.

Negatur conſeq. Quia individuum ſpeciei perfectioris excedit indifferentia eſſentiali individuum ſpeciei minus perfectæ, & ita illud ſemper debet excedere; ſpecies, verò generis inferioris poteſt habere differentiam eſſentialem excedentem differentiam conſtituentem ſpeciem generis ſuperioris, ratione cujus differentiæ reſarcitur exceſſus, qui reperitur in ratione communi, & ideò prædictam ſpeciem poteſt excedere, ut patet in fide, & charitate; cujus exemplum dedimus antecedenter.

§. Ultimus.

Corollaria ex dictis.

EX dictis *in articul. diſcurſu* colligitur primò: Logicam tantum ſimilitudinariè, & quantum, & aliquem modum, eſſe artem mechanicam, vel ſervilem, quatenùs cum eis convenit in aliqua ſimilitudine operis, in conſtruendo videlicèt ſua artificia, ſicut & artes mechanicæ, vel ſerviles ſua artificia conficiunt; non tamen verè, & propriè eſſe artem mechanicam, vel ſervilem, & ideò inter artes prædictas nunquam Logica numeratur; ipſæ autem ſequentibus continentur.

Lana, nemus, miles, navigatio, rus, Medicina,
Theatrum: omnia ſunt hæc mechanica dicta.

Verba autem his verſiculis contenta ſignificant lanificium, venationem, armaturam, navigationem, agriculturam, Medicinam, & artem repræſentandi, quæ dicuntur artes mechanicæ, vel ſerviles, quatenus earum actiones exercentur per exteriora membra, & organa corporalia.

Se

Secundò ex dictis infertur: Logicam absolutè loquendo esse artem liberalem, quod videtur docuisse D. Thom. 1. *poster. lect.* 1. dum dicit: ars quædam necessaria est, quæ sit directiva ipsius actus rationis.

Ratione autem probatur: Quia ars est recta ratio operum faciendorum conformitèr ad regulas artis; sed Logica traddit regulas ad conficienda instrumenta logicalia, diffinitionem videlicèt, divisionem, demonstrationem, & alia, & ipsas regulas applicat ad usum, instrumenta conficiendo: ergò est ars, & maximè cum ars dirigat actus, qui possunt benè, vel malè fieri, ut benè fiant, & hoc Logica præstat traddendo regulas, & dirigendo intellectum, ut bonam diffinitionem, & hujusmodi alia conficiat.

Ex quo constat, esse artem liberalem, quia opus Logicæ non exercetur corpore, sed intelligentia, & ratione, & consequentèr opus servile non est, ac proindè Logica non est mechanica, vel servilis, sed ars liberalis.

Liberales autem artes sequenti versiculo numerantur.

Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, astra.

Quæ verba significant Grammaticam, Rethoricam, Logicam, Arismethicam, Musicam, Geometriam, & Astrologiam.

Et si dicas: Philosophum 6. *Ethicorum capit.* 4. affirmare artem esse habitum cum vera ratione factivum, & Logicam non esse hujusmodi, quia factio est operatio transiens, quæ non manet in agente, operatio verò Logicæ manet ad intra, & non transit in exteriorem materiam.

Respondetur: Philosophum ibi locutum fuisse de arte mechanica, quæ secundum primam, & magis notam nominis impositionem est ars, quamvis prædictum nomen extensum fuerit ad artes, quæ dicuntur liberales, & de illis propriè dicatur sicut lux propriè dicitur de luce spirituali, non quidem ex vi primæ impositionis, sed ratione extensionis, & usus, & ideò ex doctrina Philosophi non sequitur, Logicam non esse verè artem.

Ex prædicta doctrina sequitur artes liberales nullam exigere conditionem oppositam cum natura scientiæ, quando quidem etiam artes liberales agunt per se primo de perpetuis, & necessariis, quamvis secundario extendantur ad opus, & ad usum te-

regularum, & modo compositivo procedant circa singularia contingentia, & à nobis factibilia, licèt opus exequantur per actionem intellectus.

ARTICULUS III.

Vtrùm habitus Logicæ docentis, & utentis realitèr distinguantur?

§. I.

Quibusdam suppositis statuitur affirmativa conclusio.

IN articul. præsenti; quid sentiamus circa difficultatem istam, prætendimus explicare, & in articul. sequenti, quid asserat communis intelligentia, dicemus. Vt ergò mentem nostram possibili claritate ostendamus, aliqua prænotare debemus, quorum primum est: Logicam adæquatè dividi in docentem, & utentem, quam divisionem tradit Angelic. Doct. pluribus in locis, *præcipuè* 1. *Metophisic. lect.* 4. Logica docens tradit regulas, & præcepta, & explicat naturam instrumenti logicalis, & passiones ejus demonstrat.

Logica verò utens duplex est: Alia utens passivè, & alia utens activè: passivè utens dicitur, in quantum ea utuntur aliæ scientiæ, in quo sensu ipsa Logica docens potest utens appellari, eo quod aliæ scientiæ utuntur Logica docente, & præceptis ab ea traditis: undè in hac consideratione habitus Logicæ docentis, & utentis idem realitèr est.

Logica autem utens activè largè, & communitèr accepta ea est, quæ producit effectivè actum utentem præceptis Logicæ, & regulas applicantem, secundum quam considerationem aliæ scientiæ possunt etiam activè utentes appellari, quatenus utuntur efficienter producunt demonstrationes utentes præceptis Logicæ, & ipsa Logica docens secundum quod producit actum utentem in exercitio regulis, & præceptis ipsius potest utens nominari, & talis usus in materia propria Logicæ non erit distinctus realitèr ab actu Logicæ docentis; sed idem realitèr entitativè cum illo.

Logica tamen cum proprietate, & veritate utens est illa, quæ producit efficienter actum utentem præceptis Logicæ, quo mediante aliquid probabiliter concludit ex principijs topicis, vel sophisticis; seu probabilibus, vel apparentibus in materia aliarum scientiarum, vel ut uno verbo dica-

camus, Logica utens ea est, quæ ex principijs secundarum intentionum probabiliter disputat in quacumque altera scientia, ut infra constabit ex doctrina Sanctissimi Præceptoris.

Secundò notandum est: Triplicem distingui partem in Logica, altera quidem demonstrativam, aliam topicam, & sophisticam aliam: demonstrativa est, quæ agit de syllogismo demonstrativo, & ex principijs necessarijs in materia Logicæ, infert conclusiones necessarias: topica verò procedit per principia probabilia, sophistica autem agit de syllogismo apparenti, & procedit per principia, quæ non sunt vera nisi tantum apparenter.

Tertiò supponendum est, Logicam docentem dupliciter accipi posse, pro ea videlicèt, quæ tradit regulas firmas pro quocumque syllogismo, sivè demonstrativo, sivè topico, vel apparenti, & per principia certa demonstrat proprietates istorum syllogismorum: sicut namque evidenter ostendit, syllogismum demonstrativum generare scientiam, ita ostendit evidenter, topicum syllogismum generare opinionem, & sophisticum apparientiam: unde Logica prædicta reperitur in parte demonstrativa.

Altera insuper est Logica docens, quæ tradit regulas, & principia probabilia pro syllogismo probabili, vel syllogismo apparenti præbet regulas apparientiæ congruentes, quæ Logica solum reperitur in parte topica, vel sophistica; non autem in parte demonstrativa, & utrique doctrinæ consonat D. Thom. 4. *Metaphisic. lect.* 4. dicens: *Quod dialectica secundum quod est docens habet considerationem de istis intentionibus, instituens modum, quo per eas doceri possit ad conclusiones in singulis scientijs probabiliter ostendendas, & hoc demonstrativè facit*: & paulo infrà prosequitur, *& similiter dicendum est de sophistica.* Ergò Logica docens demonstrativa, reperitur in omni parte, demonstrativa videlicèt, topica, vel apparenti: Logica verò docens topica, solum in parte topica reperitur.

Quartò supponendum est: Logicam utentem acceptam propriè, non reperiri in parte demonstrativa, sed tantum in parte topica, aut probabili, & in parte sophistica, vel apparenti. Quæ quidem suppositio maximè necessaria est, nam ex illa principaliter dependet mentis nostræ intelligentia, & difficultatis solutio, ipsamque docuit Doct. Sanct. 4. *Metaph. lect.*

lect. 4. per ea verba: *In parte Logicæ, quæ dicitur demonſtrativa, ſola doctrina pertinet ad Logicam, uſus verò ad Phyſicam, & alias ſcientias particulares: pars autem Logicæ tentativa, & ſophiſtica habet doctrinam, & uſum.* Ergò in parte Logicæ, quæ demonſtrativa appellatur, ſolum reperitur doctrina; uſus verò non reperitur in illa.

Reſpondent contrarij, in Logica reperiri duplicem uſum: alterum quidem, quatenus Logica præbet cæteris ſcientijs aliqua principia ad inferendas concluſiones proprias, & quatenus Logica dicitur utens à prædicto uſu, non reperitur in parte demonſtrativa, ſed ſolum in parte topica, vel ſophiſtica: quia principia Logicæ non poſſunt in alijs ſcientijs inferre concluſionem neceſſariam, neque illam demonſtrare, eo quod principia Logicæ non ſunt propria, ſed extranea cæteris ſcientijs; demonſtratio autem debet procedere ex proprijs. Alius verò uſus Logicæ reperitur ſecundum quod ipſa docet conficere ſyllogiſmos, & artificioſa inſtrumenta, tàm in propria, quàm in aliena materia, & quatenus ab hoc ſecundo uſu dicitur utens, non ſolum in parte topica, vel ſophiſtica, ſed etiam in parte demonſtrativa reperitur.

Hæc tamen ſolutio vera non eſt, & reijcitur primò: Quia conſtructio actualis demonſtrationis in materia aliarum ſcientiarum, ſolum provenit directivè, & non efficienter à Logica, de quo in artifice dicemus: conſtructio verò demonſtrationis in materia propria Logicæ non eſt propriè uſus: ergò data ſolutio nititur fundamento falſo. Probatur anteced. quantum ad ſecundam partem. Conſtructio demonſtrationis in materia propria Logicæ eſt actus ſecundus Logicæ docentis, & illius exercitium: nam Logica, quæ demonſtrativè docet per propriam doctrinam, & proprium actum ſecundum conficit demonſtrationem: ergò ſupradicta conſtructio non eſt propriè uſus, eo quod actus ſecundus habitus ſcientificè propriè uſus non eſt, aliàs actus ſecundus Philoſophiæ eſſet propriè uſus, & conſequenter daretur Philoſophia propriè utens, quod nullus Logicorum admiſit.

Secundò reijcitur ſolutio, & traddita doctrina explicatur: conſtructio demonſtrationis in propria materia Logicæ pertinet formaliter ad Logicam ut docentem: ergò non poteſt Logica à tali conſtructione verè utens denominari.

Pro-

Probatur anteced. Ad quamcumque scientiam pertinet efficere demonstrationes in materia propria, nam ad quamlibet scientiam pertinet efficere actus scientificos, & actus scientifici sunt scientiæ demonstrationes; sed Logica docens est verè scientia: ergò ad illam pertinet demonstrationes constituere in materia propria.

Impugnatur tertiò data solutio: Quia constructio demonstrationis in materia Logicæ est verè doctrina: ergò non est verè usus. Probatur anteced. Per quamcumque demonstrationem habitamin materia Logicæ, docemur de rebus Logicæ; sed actus per quem docemur de rebus Logicæ est verè doctrina: ergò constructio demonstrationis in materia Logicæ verè doctrina est.

Respondebis: In Logica per unum actum doceri, quomodo sit faciendus syllogismum in Barbara, v. gr. & per alium actum fieri syllogismum in Barbara, quo demonstrativè probetur universale, v. gr. esse prædicabile, vel omnem demonstrationem generare scientiam, & hunc secundum actum esse verè usum, quia per ipsum non docetur, quomodo sit facienda demonstratio, sed potius doctrina antecedenter tradita utimur, & juxta regulas traditas demonstrationem conficimus: ergò aliqua constructio demonstrationis in in materia Logicæ non est doctrina, sed usus.

Sed contra est: Quia omnis actus per quem docemur de doctrina, & rebus Logicæ, est formaliter doctrina; sed per actum, quo demonstratur, universale esse prædicabile, docemur de doctrina, & rebus Logicæ: ergò talis actus est verè doctrina, & verè usus non est. Patet minor. Quia quamvis per actum prædictum non docemur de modo faciendi demonstrationem, docemur tamen de natura universalis; & illius proprietate, quæ est res propriſsima Logicæ: ergò per talem actum verè docemur de doctrina, & rebus Logicæ.

Secundò reijcitur solutio data: Quia usus propriè talis sistit in ipso discursu, & non transit ad terminum illius, videlicèt ad principia propria, prima, & per se nota, ex quibus infertur conclusio, ut *opusc. 70. quæst. 6. articul. 1.* docet Angelic. Doct. & constat ex eo, quod ita se habet finis in practicis, sicut principia in speculabilibus; usus verò voluntatis sistit in medio, & non transit ad finem, ut in *1. 2. quæst. 17. articul. 3.* docet D. Thom.

Thom. Sed demonstratio supradicta, non sistit in discursu, sed transit ad terminum ejus, ad principia videlicèt, ex quibus infertur conclusio: ergò prædicta demonstratio non est propriè usus.

Tandem reijcitur data solutio ex D. Thom. loco suprà citato asserente: usum propriè consistere in utendo principijs rerum, quæ ad scientias reales pertinent, non utendo intentionibus Logicis, sed prædicta demonstratio utitur intentionibus Logicis, & specificatur ab illis, eo quod omnis Logicæ actus specificatur ab ente rationis: ergò demonstratio prædicta non est verè usus.

His ergò prænotatis, in difficultate nostra duplex versatur sententia: altera negativa, & communis Thomistarum, si fortasse contentio non est de voce: altera affirmativa, quam traddunt aliqui in manuscriptis, & plurimi extra Scholam D. Thom. quam quidem existimo magis accedentem ad litteram, & ad sensum, & ideò sit.

*** *** ***
*** *** ***
*** ***

§. II.

NOSTRA CONCLUSIO.

Logica docens, & utens realitèr distinguuntur.

MOVEMUR ad conclusionem istam, quia Angelicus Præceptor in omnibus locis, in quibus de Logica utente disputat, semper affirmat, illam esse, quæ probabilitèr concludit in materia aliarum scientiarum ex principijs communibus, & extraneis, ipsamque non reperiri in parte demonstrativa, nec in oppositum invenimus litteram in Santissimo Doct. Quod urgentissimum fundamentum est, conclusionem nostram esse mentem illius.

Illam ergò suademus: quia habitus Logicæ utentis est habitus opinativus: ergò realitèr distinctus est ab habitu Logicæ docentis, qui verè scientificus est. Patet consequent. Quia habitus scientificus, & opinativus non possunt non esse distincti realitèr. Anteced. probatur. Habitus Logicæ utentis primario inclinat ad actum opinativum: ergò habitus opinativus est, nam habitus ab actu summit suam speciem essentialem. Anteced. pro-

probatur ex Div. Thom. 1. *Poſter. lect.* 1. dicente: *Quod ex diſcurſu facto per Logicam utentem ratio totaliter declinat ad unam partem contradictionis, licèt cum formidine alterius.* Ex quo conſtat actum Logicæ utentis, non excludere formidinem partis oppoſitæ, & conſequenter eſſe opinativum, & etiam 4. *Metaphyſ. lect.* 4. dicente: *Utens, verò eſt ſecundum quod modo adjuncto utitur ad aliquid probabiliter concludendum in ſingulis ſcientijs.* Sed actus quo aliquid probabiliter tantum concluditur eſt actus opinativus: ergò habitus Logicæ utentis primario inclinat ad actum opinativum.

Confirmatur, & explicatur: quia ut ibidem docet Angelic. Doct. Logica utens ſolum reperitur in parte topica, vel ſophiſtica, non autem in parte demonſtrativa, ſed potius procedit per principia communia, & extranea per intentiones videlicèt generales, & univerſales Logicæ; ſed diſcurſus ex principijs communibus, vel extraneis eſt actus opinativus: ergò Logica utens primario inclinat ad actum opinativum. Min. eſt D. Thom. ibidem, & primo *poſter. lect.* 15. & probatur ratione illius; quia demonſtratio debet procedere ex proprijs: ergò diſcurſus ex principijs communibus, vel extraneis non eſt demonſtratio, ſed actus opinativus. Probatur anteced. medium demonſtrationis debet eſſe connexum infallibiliter cum ipſis extremitatibus, ut ita benè inferatur connexio extremitatum inter ſe; ſed principium extraneum, vel commune non poteſt habere connexionem prædictam: ſicut *lect.* 15. citata docet Div. Thom. ubi propterea aſſerit, numerum non poſſe eſſe medium ad probandam paſſionem lineæ, quia reſpectu lineæ, quid extraneum eſt: ergò demonſtratio debet procedere ex proprijs.

§. III.

Duobus argumentis contra rationem occurritur.

UT prædicta doctrina facillus intelligatur, & Tyrones lucem accipiant doctrinæ hujus utilis, & neceſſariæ: contra rationem arguimus: quia ex principijs extraneis poteſt fieri demonſtratio: ergò ratio nititur falſo principio. Probatur anteced. primò: Ex uno principio ſupernaturali, & altero naturali infertur demonſtrativè concluſio Theologica;

ſed principium naturale extraneum eſt reſpectu Theologiæ : ergò ex principijs extraneis poteſt fieri demonſtratio.

Secundò probatur anteced. Ex principijs Geometriæ probantur plurimæ concluſiones in perſpectiva per veram demonſtrationem, & ex principijs Ariſmethicæ plurima probantur in muſica ; ſed principia Geometriæ ſunt extranea perſpectivæ, & principia Ariſmethicæ extranea muſicæ : ergò idem, quod prius.

Reſpondetur, negando anteced. Et ad primam probationem diſtinguo minor. Principium naturale ſecundum ſe, concedo minor. ut elevatum, nego min. Quia principium naturale ex conjunctione ad ſupernaturale trahitur, & elevatur ad ordinem ſupernaturalem, & ideò non manet extraneum reſpectu Theologiæ.

Dices : ergò principium Logicæ, ut conjunctum cum principio Philoſophiæ perfectiori elevabitur ab illo, & non erit extraneum Philoſophiæ.

Negatur conſeq. Quia principium Logicæ nequit elevari per aliquid reale, eo quod ens rationis eſt incapax recipiendi aliquid reale, nec inſuper elevari poteſt per aliquid rationis, alias etiam facta elevatione, maneret extraneum, ſicut antea, nec principium Logicæ ex alia parte capax eſt recipiendi quod pertinet ad Philoſophiam, conſequenterque ex conjunctione ad principium Philoſophiæ, non poteſt ad Philoſophiam pertinere, ſed ſemper manebit extraneum.

Ad ſecundam probationem anteced. principalis, diſtinguitur min. extranea ſecundum quid, concedo min. ſimpliciter, nego min. Quia principia Ariſmethicæ non ſunt extranea ſimpliciter reſpectu muſicæ, eo quod muſica eſt ſcientia ſubalternata Ariſmethicæ, & objectum muſicæ, quod eſt numerus ſonorus, continetur ſub objecto Ariſmethicæ, quod eſt numerus, & illud eſſentialiter includit; & idem dicendum eſt de Geometria in ordine ad perſpectivam. Quam ſolutionem loco citato traddit Angelic. Doct.

Dices : ſi principia Ariſmethicæ non eſſent extranea ſimpliciter reſpectu muſicæ, tales ſcientiæ non differrent ſpecie, quia ſcientiæ ſpecie differunt per principia ; ſed hoc dicendum non eſt : ergò illa principia ſunt extranea ſimpliciter reſpectu muſicæ.

Reſ-

Reſpondetur, negando maj. quia ut ſcientiæ differant ſpecie, ſufficit principia differre quantum ad rationem ſub qua, & quod ſecundum diverſam rationem ab una, & altera attingantur, & quod objectum ſcientiæ ſubalternatæ addat aliquam differentiam accidentalem, ratione cujus fundet diſtinctas paſsiones, & novam ſcibilitatem; non tamen neceſſarium eſt, principia Ariſmethicæ in eſſe rei, & ex parte rationis *quæ*, eſſe extranea, & ex æquo diſtincta à principijs muſicæ, ſed potius oppoſitum eſt neceſſarium, eo quod principia ſcientiæ ſubalternatæ eſſentialiter includuntur in principijs ipſius ſubalternantis.

Dices: intraneitas in eſſe rei, & ex parte rationis *quæ*, eſt purè materialis: ergò non poteſt eſſe ſufficiens, ut principia non ſint extranea ſimpliciter reſpectu ſcientiæ ſubalternatæ.

Reſpondetur, diſtinguendo anteced. Purè materialis comparativè ad ſpeciem habitus concedo anteced. Ad rationem medij, nego anteced. & conſeq. Quamvis namque intraneitas in eſſe rei ſit materialis comparativè ad ſpeciem, & non faciat utrumque habitum eſſe ejuſdem ſpeciei; eſt tamen intraneitas iſta formalis ad rationem medij, & ad inferendas concluſiones in ſcientia ſubalternata exiſtentes; eo quod ſi principia ſubalternantis ſunt intranea in eſſe rei reſpectu ſubalternatæ eſſentialiter continent ſub ſe principia ſubalternatæ, & eſſentialiter includuntur in illis, & conſequenter habent ſufficientem connexionem, ut ſimul cum alijs poſſint inferre concluſiones in ſcientia ſubalternata.

Secundò arguitur: ex principijs communibus poteſt fieri demonſtratio: ergò ratio concluſionis etiam ex hac parte nititur falſo principio. Probatur anteced. Dignitates ſunt principia communia; & tamen ex illis poteſt fieri demonſtratio, ſicut 1. *Poſter. lect.* 15. docuit Div. Thom. ergò.

Reſpondetur, diſtinguendo maj. Principia communia entis, concedo maj. Communia circa rationem inferiorem ad ens, nego maj. Quia dignitates ſunt principia communia, quæ verſantur circa rationem univerſaliſsimam entis: ſicut quodlibet eſt, vel non eſt: & quæ ſunt eadem unitertio, ſunt eadem inter ſe: & ita mirum non eſt, quod ex illis poſsit fieri demonſtratio. Ratio autem ea eſt, quia principia, quæ verſantur circa rationem entis, ſunt communi-

munia per transcendentia omnibus rebus, & de omnibus verificantur, sicut ipsum ens, propterea que connexionem habent cum quolibet principio, & veritate particulari, & ideò ex illis principijs in quacumque scientia potest fieri demonstratio; principia verò alia communia, quæ versantur circa rationes particulares, nullam connexionem habent cum veritatibus alterius scientiæ propter rationem oppositam, & ideò dispar est ratio.

Dices: etiam principia secundarum intentionum sunt communia per transcendentiam omnibus rebus, nam ens rationis transcendit omnia genera entis, & propterea dicitur, quod Logicus agit de omni ente, sicut etiam Metaphysicus: ergò de his omnibus principijs eadem ratio est.

Respondetur, distinguendo anteced. Per transcendentiam, materialitèr, & denominativè, concedo anteced. formalitèr, nego anteced. Quia ens rationis non includitur essentialitèr in omnibus rebus, & maximè in ente reali, undè illius principia non possunt esse communia per transcendentiam formalem, sed tantum possunt esse communia materialitèr, & denominativè, quatenùs nullum est ens, in quo intellectus non possit fundare aliquam intentionem rationis, à qua ipsum denominetur, & ideò communitas horum principiorum sufficiens non est, ut ipsa connexionem habeant cum quacumque particulari veritate.

§. IV.

Secunda ratio conclusionis proponitur.

ACTUS Logicæ utentis non potest etiam secundario procedere ab habitu Logicæ docentis: ergò procedit ab habitu realitèr entitativè distincto. Probatur anteced. Actus opinativus nequit, etiam secundario procedere ab habitu Logicæ docentis; sed actus Logicæ utentis opinativus est, ut probatum reliquimus: ergò nequit etiam secundario à Logica docente procedere. Probatur major. Actus opinativus nequit etiam secundario procedere à virtute intellectuali: ergò nequit etiam secundario à Logica docente procedere, illa namque est vera virtus intellectualis, cum sit vera scientia, scientia autem est vera virtus intellectualis, sicut 1. 2. *quæst.* 57. *artic.* 2. docet

D. Thom. Probatur anteced. à) virtute intellectuali ſolum poteſt procedere actus, qui eſt infallibiliter, & determinatè verus; ergò nequit ab ea etiam ſecundario procedere actus opinativus, qui non eſt determinatè verus, ſed Indifferens ad verum, & falſum, & aliquando verus aliquando falſus. Probat. anteced. ex Div. Thom. loco citato dicente: *Habitus virtutis determinatè ſe habet ad bonum, nullo autem modo ad malum: bonum autem intellectus eſt verum, malum autem ejus eſt falſum, undè ſoli illi habitus virtutes intellectuales dicuntur, quibus ſemper dicitur verum, & nunquam falſum.* Ergò à virtute intellectuali ſolum poteſt procedere actus, qui eſt infallibiliter, & determinatè verus.

Reſpondebis: actum Logicæ utentis non eſſe opinativum poſitivè, determinando intellectum ad unam partem cum formidine alterius, ſed eſſe opinativum negativè, quatenus non eſt ſcientificus, vel ſe habet tentativè, & quaſi indifferenter ad utramque partem.

Sed contra eſt: quia D. Thom. 1. *Poſter. lect.* 1. aſſerit: quod ex diſcurſu facto per Logicam utentem ratio totaliter declinat ad unam partem contradictionis, licèt cum formidine alterius; ergò actus Logicæ utentis non excludit formidinem partis oppoſitæ, & conſequenter, poſitivè opinativus eſt.

Reſpondebis ſecundò: actum primario procedentem à virtute intellectuali eſſe verum determinatè, ſecundario tamen benè poſſe actum falſum à prædicta virtute procedere.

Sed contra: quia Divus Thom. in adductis verbis idem ſentit, quod quæſt. unica de virtutibus in communi, ubi explicat diffinitionem virtutis traditam ab Auguſtino; ſed ibidem ſentit expreſsè actum falſum nullo modo poſſe procedere à virtute intellectuali per ea verba: *Oportet ergo, quod ſit ita principium actus bene, ut nullo modo mali; propter quod Philoſophus dicit in 6. Ethicor. quod opinio, quæ poteſt eſſe vera, & falſa, non eſt virtus.* Ergò etiam in verbis adductis ſentit Angelic. Doctor. actum falſum nullo modo etiam ſecundario procedere poſſe ab intellectuali virtute.

Secundò impugnatur data ſolutio: ita ſe habet virtus intellectualis ad verum, ſicut moralis ad bonum; ſed à virtute morali etiam ſecundario nequit procedere actus ma-

malus, ut sæpè repetit Div. Thom. & generalitèr omnes Thomistæ. Ergò etiam ab intellectuali virtute nequit etiam secundario procedere actus falsus.

Tertiò reijcitur: quia virtus intellectualis nequit exire extra proprium objectum specificativum: sed objectum specificativum talis virtutis est verum: ergò nequit etiam secundario elicere actum falsum, & maximè cum habitus virtutis ex propria ratione solum perficiat, & determinet in ordine ad objectum perfectivum intellectus, quod est verum.

§. V.

Solvitur argumentum contrà rationem prædictam.

CONTRA rationem istam arguitur actus opinativus potest secundario procedere ab habitu scientiæ: ergò ratio præcedens nititur fundamento falso. Probatur anteced. primò. Actus falsus potest procedere ab habitu virtutis: ergò actus opinativus potest secundario procedere ab habitu scientiæ. Probatur anteced. Judicium regulans adorationem hostiæ, quæ verè consecrata non est propter malitiam; vel aliam hujusmodi causam, & proponens talem hostiam ut adorandam, speculativè falsum est, cum hostia consecrata verè non sit; & tamen procedit illud judicium à virtute prudentiæ infusæ: ergò actus falsus potest procedere ab habitu virtutis.

Secundò probatur anteced. principale. Actus evidens, & clarus potest secundario procedere ab habitu essentialitèr obscuro, ut constat in illo actu, quo quis judicat mysteria fidei esse evidentèr credibilia, qui quidem actus est clarus, & evidens, & tamen in habente fidem, provenit ab ipso habitu fidei, qui essentialitèr obscurus est: ergò etiam actus opinativus potest secundario procedere ab habitu scientiæ.

Tertiò probatur anteced. actus opinativus disponit ad scientiam: ergò potest secundario procedere ab habitu scientiæ, quia dispositio ad formam potest efficientèr ab ipsa forma procedere, ut patet in calore ut octo, qui procedit à forma ignis.

Respondetur ad argumentum, negando anteced. & ad primam probationem respondent aliqui illud judicium esse falsum speculativè, esse tamen practicè verum, & juxta regulas prudentiæ, & ideò posse

à

à prudentia procedere, non quidem ut falsum, sed quatenus practice verum est, eo quod prudentia principaliter attendit verum practicum; undè nunquam salvatur actum ut falsum à prudentia infusa procedere.

Quia tamen actus prudentiæ supernaturalis, & infusæ specialiter procedit à Deo, & Deus non potest tanquam causa specialis producere errorem etiam speculativum, & actum solum materialiter falsum, omissa solutione prædicta de qua alib.

Respondetur secundò ad primam probationem anteced. Ibidem reperiri duo judicia, alterum quidem, quo judicatur hostiam esse consecratam, quod judicium speculativè falsum est, sed procedit à lumine proprio intellectus, & objectivè tantum pertinet ad prudentiam dictantem, tale judicium non esse contra regulas ipsius, quod tàm practicè, quàm speculativè verum est; aliud insuper dari judicium elicitum à prudentiæ virtute, quo dictat, illam hostiam hic, & nunc esse adorandam, quod etiam judicium adhuc speculativè verum est, nam speculativè verum est hostiam in talibus circunstantijs propositam debere adorari, quapropter nunquam salvatur actum falsum posse à virtute procedere.

Ad secundam probationem anteced. principalis negatur conseq. Quia actus evidens, & clarus circa evidentiam mysteriorum nostræ fidei determinatè se habet ad verum, & ideò potest à virtute fidei procedere, actus verò opinativus non se habet ad verum determinatè, & ita non potest procedere à scientia, vel virtute intellectuali, quæ ad verum determinatè se habet.

Dices: non esse assignabilem rationem aliquam, quare habitus essentialiter obscurus possit secundario determinari ad actum clarum, & non possit habitus scientiæ secundario determinare ad actum opinativum, quia si habitus essentialiter obscurus potest secundario indifferenter se habere ad actum obscurum, & clarum etiam habitus scientiæ poterit secundario indifferenter se habere ad verum, & falsum.

Respondetur, assignando rationem consistentem in eo, quod actus fidei ut sit verè fidei, & non ex levitate cordis debet terminari ad rem prudenter credibilem fide firma, res autem non potest esse

prudentèr credibilis fide firma, niſi videatur evidentèr rem illam eſſe credibilem, & ideò fides per ſe ſecundo connectitur cum evidentia credibilitatis, & poteſt ſecundario actum evidentem circa credibilitatem elicere: virtus verò intellectualis, tàm primario, quàm ſecundario connectitur cum actu verò, ſicut virtus moralis etiam ſecundario connectitur cum actu bono, non enim poteſt quis male uti virtute, falſum autem eſt malum intellectualis virtutis, & conſequentèr nec ſecundario poterit quis media virtute intellectuali elicere actum falſum.

Ad tertiam probationem principalis anteced. reſpondetur, ultimam diſpoſitionem procedere efficientèr à forma, ſicut calor à forma ignis, & diſpoſitio ultima ad gratiam procedit ab ipſa gratia ſecundum conceptum auxiliantis, opinionem verò non eſſe ultimam diſpoſitionem ad ſcientiam, quæ propriè non habet ultimam diſpoſitionem concommitratem, & diſponentem ad ipſam, ſicut forma ſubſtantialis, & accidentalis, quæ obtinet rationem naturæ, qualis eſt gratia habitualis, ſed opinionem eſſe tantum diſpoſitionem prævíam, & imperfectiſimè diſponentem ad habitum ſcientiæ, qui per demonſtrationem adquiritur. Et quamvis Doctor Sanctus aliquando aſſerat remanere cognitionem, quæ eſt parte ſyllogiſmum dialecticum, adquiſita ſcientia; explicandus tamen eſt de cognitione prædicta objectivè ſumpta, quatenus adquiſita ſcientia melius cognoſcit intellectus præcedentem cognitionem eſſe probabilem, de quo in fine Logicæ, ubi aliam ſolutionem adducemus.

§. VII.

Solvuntur argumenta contra noſtram concluſionem.

CONTRA concluſionem noſtram arguitur primo ex Div. Thom. 4. *Metaphyſ. lect.* 4. dicente: *Quod dialectica poteſt conſiderari ſecundum quod eſt docens, & ſecundum quod eſt utens*; ſed reduplicatio denotat eſſe eandem entitatem utriuſque, quamvis ſint formalitates diverſæ: ergò non differunt realitèr.

Sed communitèr dicimus, artem poſſe conſiderari ut mechanicam, & liberalem, & intellectum poſſe conſiderari ut poſsibilem, & agentem, quin ex hoc inferatur,

a-

artem mechanicam, & liberalem, & intellectum posibilem, & agentem realitèr non distingui; undè argumentum factum nullam efficaciam habere potest.

Secundò arguitur: Actus Logicæ docentis, & utentis se habent unus ut primarius, & alter ut secundarius: ergò ab eodem habitu procedunt, sicut amor Dei, & amor proximi ab eodem habitu charitatis, & cognitio creaturarum per divinam revelationem, & ipsius Dei cognitio procedunt ab eodem habitu fidei. Anteced. probatur. Actus Logicæ utentis non addit difficultatem novam supra actum Logicæ docentis, quia postquam quis scit regulas demonstrandi, novam difficultatem non habet in exercitio regularum, & in demonstratione facienda: ergo actus prædicti se habent unus ut primarius, & alter ut secundarius.

Respondetur, negando anteced. Quia actus Logicæ utentis est actus opinativus, & non potest etiam secundario procedere ab habitu scientiæ. Et ad probationem negamus non addere difficultatem novam, quia quamvis uti regulis in materia propria Logicæ, & in materia demonstrativa ipsius non addat specialem difficultatem supra actum Logicæ docentis; uti tamen regulis Logicæ, & principijs communibus secundarum intentionum in materia aliarum scientiarum, difficultatem specialem super addit, eo quod talis usus est actus opinativus, & habet objectum formalitèr diversum ab objecto Logicæ docentis, consequentèrque importat difficultatem novam, & formalem circa tale objectum vincendam, & solum usus iste est proprius Logicæ utentis.

Sed instabis: usus istæ, & actus Logicæ docentis habent idem objectum, quia uterque respicit ens rationis: ergò usus iste non addit formalem difficultatem supra actum Logicæ docentis, nam circa idem objectum, unica tantum potest esse difficultas.

Respondetur: Habere idem objectum materialitèr, formalitèr tamen esse diversum, quia ens rationis ut attingitur per actum scientificum Logicæ docentis, & per actum opinativum Logicæ utentis, formalitèr diversum est.

Dices: Quod ubi est eadem abstractio, est idem objectum formalitèr: sed uterque actus attingit ens ra-

tionis

tionis sub eadem abstractione ab omni materia negativè propter imperfectionem: ergò ens rationis ut objectum utriusque est idem formaliter.

Respondetur distinguendo min. Sub eadem abstractione materialiter, concedo min. Sub eadem formaliter, nego min. & conseq. Quia licèt abstractio ab omni materia negativè sit materialiter eadem respectu utriusque actus formaliter tamen diversa est, eo quod determinatur per principia actus scientifici logicæ docentis, & actus opinativi logicæ utentis, quæ principia formaliter diversa sunt, sicut principia logicæ docentis scientiæ, & logicæ docentis opinativæ sunt formaliter distincta, & propterea logica docens scientia, & docens opinativa realiter, & formaliter distinguntur.

Sed instabis: Abstractio ab omni materia negativè propter imperfectionem est ipsa immaterialitas entis rationis, quod attingunt, & consequentèr sicut immaterialitas prædicta est indivisibilis, ita etiam abstactio indivisibilis est: ergò dari non potest duplex abstractio ab omni materia negativè, & formaliter distincta.

Respondetur: Immaterialitatem objecti, & abstractionem prædictam esse indivisibiles materialiter, & entitativè formaliter tamen distingui, quatenùs determinantur per principia distincta formaliter, sicut abstractio à materia singulari cum concernentia sensibilis est eadem materialiter, distincta tamen formaliter respectu philosophiæ scientiæ, & philosophiæ opinativæ, quia determinatur abstractio illa per principia distincta formaliter.

ARTICULUS IV.

Ad idem.

§. I.

Communis intelligentia explicatur.

AFFIRMAT communis intelligentia, Logicam docentem traddere regulas, & præcepta diffiniendi, dividendi, & argumentandi, & à tali actu, & exercitio verè denominari docentem; logicam verò utentem applicare regulas, & præcepta, & juxta illa, diffinitionem, & divisionem, & argumentationem conficere, & quia usus est applicatio rei ad opus, quotiescumque regulas applicamus, verè nos utentes dici.

&

& ipſam logicam à prædicta applicatione, & exercitio regularum, utentem denominari, neceſſario tamen requiri applicationem prædictam, & exercitium regularum fieri juxta regulas tradditas, & cum attentione ad illas, ut ipſarum applicatio propriè nominetur uſus, & propterea primam demonſtrationem, per quam adquiritur logica, quamvis ſit juxta regulas, non eſſe uſum, quia regulæ non dum cognoſcuntur ſcientificè à demonſtrante, qui proinde non operatur formaliter juxta regulas, & cum advertentia ad illas.

Notandum tamen eſt, uſum actualem regularum logicalium reperiri, tàm in logica, quàm in cæteris ſcientiis, in logica quidem cum in exercitio ſit diffinitio, vel argumentatio, vel alterum artificium logicale; in alijs verò ſcientijs uſum actualem inveniri, quando proprias diffinitiones, & demonſtrationes conficiunt juxta logicæ præcepta, differentiam tamen inter utrumque inveniri; quia dum logica in propria materia conficit demonſtrationes verè dicitur utens activè, quatenus proprijs utitur principijs, & propriam demonſtrationem efficienter producit, quando autem aliæ ſcientiæ utuntur præceptis logicæ, ſolum dicitur ipſa utens paſsivè, vel uſitata, eo quod ipſa non conficit uſum conformem ſuis præceptis, ſed aliæ ſcientiæ, tàm ipſa, quàm illius præceptis utuntur. Ex quo conſtat ſolum uſum actualem in propria materia logicæ poſſe denominare logicam utentem, non verò uſum, quo aliæ ſcientiæ logicæ præceptis utuntur cum talis uſus efficienter à logica non procedat.

Sed inſtabis talem actum, & applicationem regularum non eſſe verè uſum: ergò non poteſt logicam utentem denominare. Probatur anteced. Talis applicatio regularum eſt propriè doctrina: ergò non eſt verè uſus. Probatur anteced. Quilibet actus logicæ in propria materia eſt verè doctrina; quandoquidem per omnem actum logicæ docemur de aliqua veritate ad logicam pertinente; ſed prædicta regularum applicatio eſt actus logicæ: ergò eſt propriè doctrina.

Reſpondetur, negando anteced. & ad probationem diſtinguo anteced. In ordine ad idem, cujus eſt uſus, nego anteced. In ordine ad aliud, conced. anteced. Ad probationem hujus anteced. eodem modo diſtinguo major.

In ordine ad distincta, concedo major. In ordine ad idem, cujus est usus, nego major. & concessa min. negatur conseq. Quicumque namque actus logicæ juxta regulas, & præcepta logicalia procedens est verè doctrina, & est verè usus, doctrina quidem in ordine ad veritatem quam docet, & usus in ordine ad regulas quibus utitur, sicut hic syllogismus, quæcumque oratio enuntiat unum de alio, est vera, vel falsa, sed propositio enuntiat unum de alio: ergò propositio debet esse vera, vel falsa habet rationem doctrinæ quatenus docet naturam propositionis, & illius proprietatem, & insuper habet rationem usus comparativè ad regulas demonstrandi, quibus utitur exercitè demonstrando. His igitur prælibatis asserimus logicam utentem, & docentem non esse habitus realitèr entitativè distinctos, sed unum, & eundem realitèr, & hæc sit.

§. II.

Communis intelligentiæ conclusio.

RATIONE communi probatur ista conclusio: quando actus ordine quodam se habent unus videlicèt ut primarius, & alter ut secundarius ab eodem habitu realiter entitativè procedunt, ut patet in dilectione Dei, & proximi, utraque namque procedit ab eodem habitu charitatis, quia dilectio Dei se habet ut actus primarius, & dilectio proximi ordine quodam se habet, & ut actus secundarius: sed actus logicæ docentis, & utentis ordine quodam se habent, actus videlicèt logicæ docentis ut primarius, & alter ut secundarius: ergò procedunt ab eodem habitu. Probatur minor. Actus logicæ docentis est traditio præceptorum logicalium, & actus logicæ utentis est præceptorum applicatio; sed hoc secundum secundario se habet ad primum: ergò actus logicæ docentis se habet, ut actus primarius, & actus logicæ utentis tanquam actus secundarius. Probatur min. primò. Nam habitus, qui præbet regulas, intendit ex consequenti applicationem illarum, ad hoc enim præcepta traddit, ut juxta illa fiat opus: ergò regularum applicatio secundario se habet ad illarum traditionem.

Secundò probatur min. Regularum applicatio nititur eisdem principijs, & eodem formali motivo, quibus innititur traditio præceptorum: ergò

ergò ſecundario ſe habet ad doctrinam regularum, & earum traditionem. Probatur antecedens. Regularum applicatio eadem principia applicat, & ex vi ejuſdem motivi, quibus nititur traditio regularum: ergò nititur eiſdem principijs, & in eodem motivo probatur anteced. Nam ſi applicatio regularum, & illarum executio diſtincta principia applicaret, executio regularum non eſſe uſus, ſed eſſet verè doctrina diſtincta formalitèr à doctrina prius traddita; ſed nullus concedit executionem regularum in materia propria logicæ eſſe doctrinam diſtinctam formalitèr à doctrina prius traddita, alias in materia propria logicæ duplex inveniretur doctrina formalitèr ſpecificè diſtincta: ergò regularum executio eadem principia applicat, & ex vi ejuſdem motivi, quibus nititur regularum traditio. Probatur major. Ubi dantur principia diſtincta formalitèr, datur doctrina formalitèr diverſa, ut per ſe manifeſtum eſt, nam doctrina principia traddit, & per ea diſtinguitur, conſequentèrque ſi principia differunt formalitèr, ipſa doctrina erit diſtincta formalitèr: ergò ſi executio regularum diſtincta principia applicaret, eſſet verè doctrina, & formalitèr diſtincta à doctrina præcedenti.

Confirmatur; Conſtructio demonſtrationis in materia logicæ provenit efficientèr ab habitu logicæ ſcientiæ: ergò uſus, & regularum applicatio in materia propria logicæ provenit à logica ſcientia, & non ab altero habitu realitèr entitativè diſtincto. Probatur anteced. Conſtructio demonſtrationis in materia philoſophiæ provenit efficientèr ab habitu ſcientifico philoſophiæ, nam habitus ſcientificus philoſophiæ efficientèr producit demonſtrationes proprias cum Philoſophia in propria materia ſit verè demonſtrativa: ergò etiam conſtructio demonſtrationis in materia propria Logicæ, procedit efficientèr à Logica ſcientia, quæ non eſt minus efficax ad proprias demonſtrationes, quam ad ſuas Philoſophia.

Secundò confirmatur, & urgetur: idem realitèr habitus ſcientiæ, qui traddit regulas, & præcepta, poteſt eas applicare; ergò regularum executio, & illarum applicatio efficientèr procedere poteſt ab habitu Logicæ docentis traddente regulas, & præcepta logicalia. Probatur anteced. Habitus ſcientiæ, qui

traddit regulas, & præcepta, poteſt ſecundum regulas veritatem demonſtrare: ergò poteſt regulas applicare, quia demonſtratio conficitur, applicando regulas demonſtrandi. Probatur anteced. Habitus ſcientiæ, qui traddit regulas poteſt verè demonſtrare veritatem, cum quælibet ſcientia ſit verè demonſtrativa, non alitèr quam ſecundum regulas demonſtrandi, quas traddit: ergò habitus ſcientiæ, qui traddit regulas, & præcepta poteſt ſecundum regulas veritatem demonſtrare.

Ex eadem doctrina poterat ſecundo probari concluſio iſta ratione; applicatio regularum, & illarum executio non addit novam difficultatem formalem ſupra regularum doctrinam: ergò executio regularum, & uſus non procedit ab habitu diſtincto realitèr à Logica docente, per quam traditur doctrina. Patet conſeq. Quia habitus ſolum requiruntur ad vincendas difficultates formales, & anteced. probatur primò. Applicatio regularum, & earum executio non fit per diſtinctam, ſed per eandem potentiam intellectivam: ergò non addit novam difficultatem formalem ad doctrinam regularum, nam tunc ſolum nova invenitur difficultas in executione regularum, quando prædicta executio per diverſam potentiam exercetur, ſicut in executione regularum ſcribendi, vel pingendi nova invenitur difficultas ſuperaddita ad cognitionem regularum, quia executio ſcribendi, vel pingendi fit per potentiam exteriorem, & cognitio regularum habetur per intellectum.

Secundò probatur anteced. Habitus qui traddit regulas demonſtrandi vincit difficultatem formalem in executione repertam: ergò executio regularum difficultatem formalem non addit ad earum traditionem. Probatur anteced. Habitus, qui traddit regulas demonſtrandi vincit difficultatem formalem repertam in demonſtrando, alias talis habitus non eſſet verè demonſtrativus, ſed potius ad demonſtrandum eſſet alter neceſſarius; ſed demonſtratio fit ipſas regulas applicando: ergò habitus, qui traddit regulas demonſtrandi, vincit difficultatem formalem in regularum executione, & applicatione repertam.

§. III.

Argumentis contra concluſionem iſtam occurritur.

CONTRA concluſionem iſtam arguitur primò. Ex Div. Thom. 4. Metaph. lect. 4. dicente: *Quod in parte Logicæ, quæ dicitur demonſtrativa, ſola doctrina pertinet ad Logicam, uſus verò ad Phyſicam, & ad alias ſcientias particulares; pars autem Logicæ tentativa, & ſophiſtica habet doctrinam, & uſum.* in quibus docere videtur, Logicam ut ſcientiam demonſtrativam ſolum habere doctrinam, non tamen habere uſum, conſequentèrque uſum procedere ab habitu realitèr entitativè diſtincto à Logica ſcientia.

Idem etiam ſentire videtur Div. Thom. in prima authoritate artic. præcedenti, §. 2. relata dicens: *Vtens verò eſt ſecundum quod modo adjuncto utitur ad aliquid probabilitèr concludendum in ſingulis ſcientijs. Et* 1. *Poſter. lect.* 1. per ea verba: *Ex diſcurſu facto per Logicam utentem ratio totalitèr declinat ad unam partem contradictionis, licèt cum formidine alterius.* Ex quibus manifeſtè videtur inferri, Logicam utentem probabilitèr ſolum concludere, & admittere formidinem partis oppoſitæ, ac proindè eſſe habitum opinativum realitèr à Logica ſcientia diſtinctum.

Hæc quidem difficilia ſunt, ut vidimus articul. præcedenti, & maximè cum Angelic. Præceptor mentem oppoſitam non exprimat in altero loco reſpondetur tamen ad ea, Div. Thom. loqui de Logica in ordine ad alias ſcientias, & ſecundum uſum activum, quem ut demonſtrativa non poteſt in alijs ſcientijs habere, ſed ſolum quatenus topica eſt, Logica namque in propria materia non ſolum habet doctrinam, qua regulas, & præcepta traddit; ſed etiam uſum activum perfectiſſimum, & completum, quia præceptis traditis utitur, & ex proprijs principijs demonſtrativè concludit: in cæteris verò ſcientijs habet quidem doctrinam, eo quod regulas, & præcepta traddit, ut aliæ ſcientiæ proprias demonſtrationes conficiant, & inſuper habet uſum activum directivum, ſecundum quod dirigit ad illas demonſtrationes faciendas, vel uſum effectivum, & activum, ſecundum quod formam ſyllogiſticam producit in demonſtrationibus aliarum juxta alteram opinionem non tamen quatenùs demonſ-

tra-

trativa habet in cæteris ſcientijs uſum activum perfectum, & completum, à quo quidem totaliter, & completè dicitur urens.

Ratio autem doctrinæ ea eſt: quia habere uſum activum perfectiſsimum, & completum conſiſtit non ſolum in dirigendo ad conſtructionem ſyllogiſmi, vel in producendo ſyllogiſticam formam, ſed etiam in præbendo principia, quibus utantur aliæ ſcientiæ, quæ principia aliis tradere non poteſt pertinere ad Logicam ſcientiam, & verè demonſtrativam, quia quando ex principiis propriis Logicæ proceditur in aliis ſcientiis, probabiliter tantum proceditur, non autem demonſtrativè, nam demonſtratio debet ex propriis procedere, & non ex principiis communibus, vel extraneis, & ideò cum ex principiis communibus, vel extraneis proceditur in aliis ſcientiis, non poteſt ſyllogiſmus, & uſus procedere à Logica demonſtrativa, conſequenterque Logica demonſtrativa non habet uſum perfectum in aliis ſcientiis, & hunc uſum tantum non habere in aliis ſcientiis, aſſerit Angelic. Doct. & illam ut ſic urentem in aliis non reperiri, ſed potius uſum prædictum procedere à Logica opinativa, quæ ſola præbet principia communia, & extranea cæteris, ut ex illis probabiliter concludant: ſicut probamus amorem, & odium pertinere ad concupiſcibilem ex principio proprio Logicæ ex illo videlicet quod contraria ſunt circa idem; ſed amor, & odium ſunt contraria: ergò ſunt circa idem, & conſequenter odium pertinet ad concupiſcibilem, ad quam pertinet amor, *quod idem* 1. *poſt. lection.* 20. aſſerit D. Thom. *& Opuſc.* 70. *quæſt.* 6. *artic.* 1. *dicens*: Quod aliquando utimur Logica prout eſt docens in aliis ſcientiis, quia ſcilicet præbet aliis principia aliqua ad probandam, quod ſolum poſſe pertinere ad Logicam opinativam ex dictis antecedenter, & in artic. præcedenti clariſsimè conſtat.

Eadem etiam ſolutio applicanda eſt aliis authoritatibus Sanctiſsimi Præceptor. in quibus ſolum poteſt loqui de Logica opinativa, quæ non ſolum habet in aliis doctrinam, ſed etiam uſum completum, & perfectum, præbendo aliis principia ſecundarum intentionum, vel principia aliqua communia, ex quibus cum formidine, & probabiliter ſolum aliquas inferunt concluſiones, non tamen excludit D. Thom. ut vidimos, Logicam demonſtrativam in propria materia completum uſum habere.

Se-

Secundò arguitur : potest augeri Logica docens, quin augeatur Logica utens, & è contra : ergò Logica docens, & utens realitèr distinguntur, alias non posset una sine altera augeri, ex eo namque quod potest augeri relatio, quin augeatur fundamentum, & è contra, probamus benè communiter, relationem prædicamentalem realitèr à fundamento distingui. Antec. verò probatur. Habitus augentur per actus multiplicato; sed possunt multiplicari actus Logicæ docentis, quin multiplicentur actus utentis, & è contra, siquidem potest reperiri tradditio regularum, quin repetatur usus, & potest etiam usus multiplicari circa eandem veritatem absque nova doctrina : ergò potest augeri Logica docens : quin augeatur Logica utens.

Confirmatur : per primam demonstrationem, per quam adquiritur Logica, generatur habitus Logicæ docentis : sed non producitur habitus utentis, nam habitus iste solum per usum producitur, & prima demonstratio Logicæ non importat verum usum, eo quod non sit cum attentione ad regulas, quod ad verum usum requiri, diximus : ergò habitus prædicti realitèr distinguntur.

Respondetur, non posse augeri Logicam docentem, quin augeatur Logica utens, quia multiplicatis actibus Logicæ docentis, nedum redditur intellectus facilior ad doctrinam, sed etiam ad usum, & multiplicatis actibus utentis, facilior etiam redditur ad doctrinam, & magis radicatur in eo, quod per Logicam docentem agnoverat.

Dices : potest quis perfectè tradere regulas, & esse promptus in illarum explicatione, & non esse ita promptus, & facilis in applicatione illarum, & constructione syllogismorum, sed per continuam applicationem se expedire, & facilitatem adquirere ad usum regularum ; sed per applicationem, & facilitatem prædictam, quam adquirit exercitio syllogizandi augetur Logica utens, non autem docens, quam perfectam iam antecedenter habebat : ergò potest augeri Logica utens absque augmento docentis.

Respondetur, distinguendo maior. ita promptus defectu materiæ, concedo maior. defectu habitus, nego maior. Et distinguo minor. augetur Logica utens ex parte materiæ, concedo minor. ex parte habitus, nego min. & conseq. Quando namque perfectè, quis intelligit regulas, & promptus

tus est in regulis explicandis etiam promptus, & facilis est in usu regularum, & illarum exercitio, solumque potest habere difficultatem ex parte materiæ, quatenùs memoria non ita expedita est in ministrando species, quarum defectu non ita facilitèr regulas applicare potest: undè quando per actuum repetitionem memoria augetur scholendo, solum adquiritur facilitas ex parte memoriæ facilius succurrentis, & ministrantis species, non tamen ex parte habitus, qui antecedentèr quantum est ex se promptus, & facilis erat, & ideò ex parte habitus absque augmento Logicæ docentis non potest augeri Logica utens.

Ad confirmationem verò argumenti respondetur, negando minor. Nam per illam primam, demonstrationem, non solum adquiritur habitus Logicæ docentis, sed etiam utentis, nec superaddita ibi probatio aliquid obstat, quia per actum doctrinæ, quæ solum doctrina sit adquiritur habitus ad utrumque, ad doctrinam videlicèt, & ad usum

Dices: habitus adquisitus per demonstrationem prædictam non præbet facilitatem ad usum: ergò habitus Logicæ utentis non est, alias facilitaret ad usum. Probatur antec. ille habitus non per usum, sed solum per doctrinam adquiritur: ergò non præstat facilitatem ad usum, nam habitus solum præstat facilitatem ad actus similes illi, per quem habitus generatur.

Respondetur tamen facile: Habitum solum præstare primario facilitatem ad actus similes ille per quem habitus generatur, secundario tamen, & consequenti præbere facilitatem ad actus ordine quodam, & ex consequenti se habentes in ordine ad idem objectum, & eandem rationem formalem, qualitèr ad actum doctrinæ se habet usus, qui sit per eandem potentiam, & specialem difficultatem non addit.

Tertiò arguitur, & contradicta replicatur: habitus Logicæ utentis non est scientia: ergò realitèr distinguitur ab habitu docentis, qui est verè scientia: nam habitus scientificus, & non scientificus realitèr distinguntur.

Confirmatur: actus Logicæ utentis superaddit difficultatem formalem ad actum Logicæ docentis: ergò procedit ab habitu realitèr entitativè distincto. Probatur antec. Post quam quis regulas intelligit benè novam habet dif-

difficultatem in conſtruendo ſyllogiſmos: ergò actus Logicæ utentis difficultatem formalem ſupperaddit. Probatur antec. Poſtquam intelligit benè regulas ſcribendi, novam invenit difficultatem in ſciendo ſcripturas, & qui benè cognoſcit regulas faciendi domum, adhuc invenit difficultatem in domibus conſtruendis: ergò pariter.

Reſpondetur ad argumentum, diſtinguendo antec. Ut utentis reduplicativè, concedo antec. Specificativè, nego antec. & conſequent. Habitus namque Logicæ utentis reduplicativè, & ſub munere utentis non eſt ſcientia, vel cognitio rei per cauſam, ſed ſolum applicatio doctrinæ abſolutè tamen ſcientia eſt, propterea, quæ ſtatim infra dicemus, & ita neceſſarium non eſt, quod ſub utroque munere ſit realiter diſtinctus, ſicut homo in quantum animal non eſt diſcurſivus, quod habet in quantum rationalis eſt, & tamen non eſt realiter diſtinctus ſecundum utramque formalitatem.

Ad confirmationem verò reſpondetur, exercitium ſcribendi, & faciendi domos, non haberi per intellectum, ſed per potentias exteriores realiter ab intellectu diſtinctas, & propterea exercitia prædicta ſuper addunt difficultatem cognitioni regularum, quæ per intellectum habetur, ut cut in moralibus poſt iudicium rectum de agendis nova difficultas eſt in eligendo, & exequendo: quia iudicium pertinet ad intellectum, electio autem pertinet ad voluntatem, & ad alias potentias exteriores pertinet executio: doctrina verò, & uſus per eandem potentiam fiunt, & ideo diſpar eſt ratio.

Sed inſtabis: quia in moralibus poſt iudicium de agendis novam difficultatem ſuper addit imperium, undè ad iudicandum ponitur ſyneſis, & ad imperandum prudentia, quæ virtutes realiter diſtinguntur, & tamen iudicium, & imperium pertinent ad eandem potentiam: ergò idem dicendum erit de doctrina, & uſu, quamvis per eandem potentiam fiant.

Reſpondetur, diſtinguendo minor. Ad eandem potentiam elicitè, concedo minor. Ad eandem connexivè, nego minor. & conſeq. Quia ad iudicium ſequitur electio voluntatis, quæ propter ſuam libertatem poteſt intellectus reſiſtere, & ad oppoſitum movere, & poſt imperium ſequitur uſus voluntatis, quæ reſiſtere poteſt imperanti, & ideò ad primam difficul-

cultatem ſuperandam ponitur ſyneſis, & ad vincendam ſecundam reſiſtentiam voluntatis, ponitur prudentia, & ſimpliciter ad illud requiritur, nam multi benè iudicant de agendis, benèque eligunt, & tamen habent difficultatem in imperando executionem propter reſiſtentiam voluntatis, & propter talem reſiſtentiam, ſæpe ab operis executione deficiunt.

Quarto arguitur: Habitus Logicæ docentis, & utentis habent fines diverſos, ſiquidem finis docentis eſt cognitio regularum, & finis utentis eſt conſtructio ſyllogiſmi: ergò realiter diſtinguntur, nam habitus realiter differunt ex ordine ad finem, ad quem ex propria natura ordinatur.

Confirmatur: Actus Logicæ docentis, & utentis formaliter diſtinguntur: ergò etiam habitus, nam per actus diſtinctos formaliter diſtinguntur realiter habitus. Probatur anteced. primo. Actus Logicæ docentis, & utentis habent diverſum modum tendendi, ut per ſe patet: ergò diſtinguntur formaliter: ſicut motus rectus, & obliquus, quia diverſo modo tendunt in terminum, formaliter diſtinguuntur.

Secundò probatur anteced. Actus Logicæ utentis non eſt contemplatio objecti, nec verè ſcire, ſed uti, actus verò Logicæ docentis eſt verè ſcire, & objecti contemplatio: ergò actus Logicæ docentis, & utentis formaliter diſtinguuntur.

Tertiò probatur antec. Quia actus prædicti reſpiciunt objecta diſtincta formaliter: ergò etiam formaliter diſtinguntur. Probatur anteced. Actus Logicæ docentis habet pro objecto ſcibile ut ſcibile, actus verò utentis non habet pro objecto ſcibile ut tale, ſiquidem talis actus non habet rationem ſcientiæ: ergò reſpiciunt objecta diſtincta formaliter.

Reſpondetur, diſtinguendo antec. fines diverſos inter ſe ſub ordinatos, concedo anteced. non ſubordinatos inter ſe, nego antec. & conſeq. Quia conſtructio ſyllogiſmi ſequitur ad cognitionem regularum, & illi ſubordinatur.

Ad confirmationem negatur anteced. & ad primam probationem diſtinguo anteced. diverſum inter ſe ſubordinatum, concedo anteced. non ſubordinatum, nego ant. & conſeq. Quia modus tendendi Logicæ utentis ſubordinatur ad modum tendendi Logicæ docentis, quatenùs conſtructio ſyllogiſmi ſubordinatur cognitioni regularum, &

& ordinatur ad contemplationem objecti, nam doctrinam mediante usu pervenit ad objectum contemplandum. Quamvis etiam posset dici habere modum diversum inter se, non tamen comparativè ad habitum, qui universalior est, & per se primo potest præstare facilitatem ad doctrinam, & ex consequenti ad usum. In quo parificari poterant motus rectus, & obliquus, qui formaliter distinguntur inter se, licèt non comparativè ad potentiam, & si aliundè verum sit modum tendendi utriusque motus esse diversum formaliter, nec tales motus ad invicem ordinari, sed ex æquo se habere.

Ad secundam probationem distinguo anteced. in recto, & immediatè, concedo anteced. mediatè, & in obliquo, nego antec. & conseq. Quia licèt actus Logicæ utentis immediatè, & in recto non sit contemplatio objecti, eo quod non est ipsa speculatio, & perceptio veritatis, mediatè tamen, & in obliquo est objecti contemplatio, quatenùs constructio syllogismi ad ipsam contemplationem objecti, & veritatem percipiendam ordinatur, quod satis est ut secundario ab habitu Logicæ docentis contemplatio procedat.

Ex eadem doctrina respondetur ad tertiam probationem, quod actus Logicæ utentis non respicit per se primò, & immediatè scibile ut tale, ipsum tamen mediatè, & in obliquo respicit, & ad ipsum ordinatur, quod satis est ut non sit actus ex æquo formaliter distinctus ab actu docentis, & ab eodem habitu procedat uterque, nam licèt verum sit, tales actus inter se esse distinctos formaliter, non tamen ex æquo se habent, sed potiùs ordine quodam in ordine ad habitu, quod solum intendimus in præsenti.

Sed instabis: Actus Logicæ utentis est opinativus formaliter: ergò non potest ordine quodam se habere ad primum, & ab eodem habitu provenire. Probatur anteced. Omne iudicium intellectus, si non est scientiæ, vel luminis principiorum debet esse opinativum formaliter, nam omne iudicium intellectus attingit objectum cum formidine partis oppositæ, vel sine illa? Si absque formidine, erit evidens, & consequenter, vel scientiæ, vel luminis principiorum, si autem cum formidine, erit opinativum formaliter: sed actus Logicæ utentis est iudicium, cum simplex apprehensio non possit construere syllogismos, & aliun-

de talis actus non est scientificus formaliter, vel luminis principiorum, ut concedimus: ergò erit actus opinativus formaliter.

Respondetur tamen, quod facere formam syllogisticam, qua constituitur syllogismus, nihil aliud est, quam talem formam apprehendere in alia qua materia, & ita constructio syllogismi fit exercitè per simplicem cognitionem, vel apprehensionem intellectus, non tamen per aliquod iudicium ab intellectu formatum, sed tale iudicium sequitur in intellectu, quando assentitur præmissis, ut demonstrativè inferentibus, & movent ibus ad conclusionem illatam.

§. Ultimus.

Falsum Corollarium ex dictis.

EX art. discursu colligitur, logicam tantum directivè concurrere ad actus aliarum scientiarum, proponendo regulas, & præcepta, quibus utuntur aliæ scientiæ ad suas demonstrationes efficienter producendas, sicut intellectus in communiori doctrina tantum directivè concurrit ad actum voluntatis, proponendo bonum, quod prosequitur voluntas, quæ sola efficienter ad proprium actum concurrit.

In oppositam doctrinam inconsequenter incidere existimamus authores, asserentes, Logicam non esse simpliciter necessariam ad alias scientias perfectè substantialiter consequendas, in qua quidem opinione adquisito habitu Philosophiæ per primam demonstrationem, & sine habitu Logicæ, intellectus facilis est ad secundam demonstrationem Philosophiæ, & ad alias, quæ sequuntur, sed si Logica concurreres efficienter ad formam rationis in demonstratione repertam, & constituti am illius, intellectus per habitum Philosophiæ sine Logica adquisitum, & sine illa conservatum, non esset facilis ad secundum demonstrationem, & ad alias, quæ sequuntur: ergò Logica non concurrit efficienter ad demonstrationes aliarum scientiarum efficienter producendo formam syllogisticam constitutivam illarum. Probatur minor. In illo eventu non esset intelectus facilis ad formam rationis constitutivam secundæ demonstrationis, & aliarum, quæ sequuntur: ergò non esset facilis ad ipsas demonstrationes, quia non potest intellectus esse facilis ad aliquod artificium, nisi sit facilis ad formam ar-

ti-

tificialem, quod & in omni artifice possumus experiri. Probatur antec. Non potest esse intellectus facilis ad formam rationis constitutivam secundæ demonstrationis, sine habitu efficienter producente talem formam, & ad illam inclinante; sed in eventu prædicto caret intellectus habitu Logicæ: ergò si solus habitus Logicæ, & non habitus Philosophiæ producit efficienter formam rationis constituentem demonstrationem, intellectus in illo eventu non erit facilis ad formam rationis constitutivam secundæ demonstrationis, & aliarum, quæ sequuntur, sicut intellectus per fidem sine habitu charitatis non est facilis ad actum credendi, quatenùs meritorium, & amicabilem, quia ratio amicabilis, & meritorij in actu credendi, producuntur ab habitu charitatis.

Ratione communi suadetur doctrina ista: forma rationis constitutiva demonstrationis in materia Philosophiæ, producitur efficienter ab habitu Philosophiæ: ergò non ab habitu Logicæ. Probatur anteced. Habitus Philosophiæ producit efficienter proprias demonstrationes formaliter quatenùs tales, sed demonstratio formaliter constituitur per formam rationis: ergò forma rationis producitur efficienter ab habitu Philosophiæ. Probatur mai. Habitus Philosophiæ producit suas demonstrationes, ut artificiosas formaliter, si quidem producit illas, ut convincentes intellectum, & ut habent rationem scientiæ actualis formaliter objectivè: ergò producit illas, quatenùs demonstrationes formaliter.

Confirmatur, & explicatur: quia quælibet scientia scit facere demonstrationes proprias, alias non esset habitus verè demonstrativus veritatis: ergò debet conficere formam rationis demonstrationis constitutivam, & illam non ignorare.

Addimus: formam rationis fieri per illam actionem, qua cognoscitur res aliter, ac est in se; sed quælibet scientia in demonstratione, quam facit, cognoscit maiorem cum ordine ad minorem, & extremitates cum ordine ad medium, alias non cognosceret præmissas, ut illativas: ergò quæcumque scientia cognoscit præmissas, & medium cum ordine, quem in re non habent, & consequenter aliter, ac sunt in se, quod est formam rationis producere.

Dices: formam rationis non contineri sub abstractione Philosophiæ, cum talis forma

non posſit abſtrahere à materia ſingulari, concernendo materiam ſenſibilem, quæ eſt abſtractio propria Philoſophiæ: ergò non poteſt talis forma rationis per habitum Philoſophiæ produci.

Reſpondetur: formam rationis non contineri ſub habitu Philioſphiæ ratione ſui, & formalitèr ſubjectivè, quia eſt incapax abſtractionis Philoſophiæ, contineri tamen formalitèr connexivè, quatenùs habitus Philoſophiæ non poteſt propria principia, ut inferentia cognoſcere, niſi attingat in illis rectam diſpoſitionem exactam neceſſario ad inferendum, & ſic attingendo propria principia, & ſub abſtractione propria formam rationis attingit.

ARTICULUS V.

Vtrùm Logica ſit una ſcientia ſpeciè?

§. I.

Quibuſdam ſuppoſitis ſtatuitur affirmativa concluſio.

OPportet nos breviter ab hac difficultate expedire, quia ea, quæ aliquam difficultatem important in ſimili de unitate ſpecifica Philoſophiæ dictavimus, ubi etiam conditionem unitatis ſpecificæ diximus aſſerentes, ea eſſe una in ſpecie athoma (de qua ſolum loquimur in præſenti) quæ conſtituuntur per differentiam infimam, & in ſpecie non diviſibili in alias inferiores ſpecies, ſicut ſpecies humana, quæ in alias diviſibilis non eſt, ſpecies athoma nominatur denominatione deſumpta ab athoma quantitate, ita parva, ut ultra diviſibilis non videatur. Pro quo notandum eſt ex Angel. Magiſt. opuſcul. 70. quæſt. de diviſione ſcientiæ artic. 1. unitatem, vel diſtinctionem potentiarum, & habituum non eſſe deſumendam ab objecto materialitèr, & in eſſe entis, ſed formalitèr in eſſe objecti; undè idem intellectus abſque diſtinctione formali attingit omnia entia ſub ratione propria entis, quamvis talia objecta inter ſe ſpecifice materialitèr diſtinguantur; ſicut & colores inter ſe ſpecificè diſtincti attinguntur ſub ratione coloris ab eadem formalitèr potentia viſiva, eo quod in ratione illa communi habent unitatem, & formalem convenientiam.

Secundò præmittendum eſt, Div. Thom. pulchrè (ut ſolet) explicaſſe abſtractiones diverſarum ſcientiarum 1. part. quæſt. 85. artic. 2. ad 2. ubi ipſe

ſe videri poteſt: non enim materia iſta lata indiget explicatione, eo quod ex dictis in Procem. Phyſicæ, & in præſenti dicendis facilime conſtat: ſit ergò.

§. II.

CONCLUSIO NOSTRA.

Logica eſt una in ſpecie athoma.

COnclusionem docuit Angel. Doct. 1. Poſter. lect. 41. & 1. part. quæſt. 85. & pluribus alijs in locis; cuius doctrina probatur. Quia ſcientia ſummit ſpecificam unitatem ab objecto in eſſe objecti formaliter; ſed objectum Logicæ, prout ad omnes partes extenditur, eſt idem in eſſe objecti formaliter: ergò Logica etiam eſt una unitate ſpecifica athoma. Probatur minor. Objectum Logicæ, ut ad omnes partes extenditur, habet eandem abſtractionem formaliter: ergò eſt idem in eſſe objecti formaliter; nam objectum in eſſe talis conſtituitur per abſtractionem ſpecialem à materia, & ita quando abſtractio prædicta eadem eſt, objectum erit formaliter idem. Probatur antec. Omnia, quæ tractantur in Logica continentur ſub eadem abſtractione ab omni materia negativè, nam omnia ſunt entia rationis, & omnia entia rationis propter imperfectionem ſuam, & incapacitatem habendi materiam, abſtrahunt ab omni materia negativè: ergò objectum Logicæ, prout ab omnes partes extenditur, eſt idem in eſſe objecti formaliter.

Confirmatur: Nam eadem potentia extenditur ad plures actus ſpecie inter ſe diſtinctos, quatenùs tendunt ad objecta ſub eadem ratione formali ſpecificativa potentiæ: ergò etiam idem habitus Logicæ per modum principij, poterit extendit ad actus Logicæ ſpecie inter ſe diſtinctos, quatenùs tendunt ad objecta ſub eadem ratione formali abſtractionis à materia negativè, & habitus ſpecie diſtinctus, nedum neceſſarius non erit, ſed erit totaliter impoſsibilis, ſicut unus habitus metaphiſicæ ſufficiens eſt ad omnia illius objecta, & eodem habitu charitatis diligitur Deus, & proximus propter Deum, & unico habitu fidei aſſentimur veritatibus divinis, & etiam veritatibus creatis, quamvis inter prædictos aſſenſus intercedat ſpecifica diſtinctio.

Reſpondebis: Omnia objecta Logicæ contineri ſub eadem abſtractione generica, non tamen ſub eadem ſpecifica abſ-

tractione, quia tractatus de prædicabilibus distinctam, & maiorem abstractionem habet, quam tractatus de demonstratione, quatenus abstrahit ab illis, à quibus non abstrahit demonstratio, & insuper abstrahit à compositione ipius demonstrationis.

Sed contra est: quia abstractio à materia formaliter specificè eadem est, quando determinatur per eadem specificè principia, sed principia Logicæ sunt eadem formaliter, principia videlicèt secundarum intentionum, de quibus per se primo Logica agit: ergò abstractio specifice eadem est. Probatur minor. Quia principia sunt eadem formalissimè, quando unum derivatur ex alio, vel utrumque ex uno tertio, sic enim subordinate se habent, & ad idem reducuntur; sed omnia principia Logicæ derivantur ex principio communi modi sciendi objectivi: ergò eadem formalissimè sunt. Et propterea quamvis diversæ proprietates in Logica probentur per diffinitiones diversas, non tamen probantur per ipsas, nisi ut formaliter convenientes in ratione communi modi sciendi, non quidem tamquam ratione inferente, sed tamquam in ratione conveniendi, & sub qua ad inferendum ordinantur, sicut in opinione contraria in quocumque tractatu diversæ diffinitiones inferunt proprietates diversas, ut convenientes in eadem ratione formali sub qua, & propria illius tractatus, quæ omnia loco citato physicæ satis declarata sunt.

§. III.

Argumentis occurritur.

COntra conclusionem nostram arguitur primò: quia Rethorica, & Grammatica habent eandem abstractionem à materia negativè, eo quod objectum utriusque sunt orationes, & voces significativæ, quæ sunt signa ad placitum constituta per formam rationis, & tamen Rethorica, & Grammatica distinguntur specie: ergò idem dicendum de Logica.

Respondetur tamen: Rethoricam, & Grammaticam habere eandem abstractionem materialiter, formaliter quidem diversam, quia principia utriusque formaliter diversa sunt, ut per se manifestum est, sicut visio beata, & fides Theologica formaliter differunt propter diversa motiva, & principia diversa, quamvis Deus, qui est objectum utriusque habeat eandem abstractionem à materia negative.

Dices: Artes liberales ſpecie inter ſe diſtingui, quia important materiam circa quam eſſenrialiter diſtinctam; ſed etiam plura objecta, circa quæ Logica verſatur, diſtinguntur ſpecie, ut patet in conceptibus, & vocibus, prædicamento, & prædicabili, & huiuſmodi alijs: ergò.

Reſpondetur: Artes liberales ſpecificè diſtingui, quia materia circa quam; etiam comparativè ad habitum, eſt formaliter diſtincta, & attingitur per principia diverſa, quod, ut vidimus, objecta Logicæ non habent.

Dices: diffinitionem, diviſionem, & argumentationem ſpecificè diſtingui in ratione modi ſciendi, quę eſt ratio aqua habitus ſummit ſpeciem, ipſe namque modus ſciendi in diffinitionem, diviſionem, & argumentationem dividitur, tanquam in ſpecies proprias: ergò objecta, de quibus Logica agit: in ratione formali habitus, & comparativè ad ipſum diſtinguntur ſpecie.

Reſpondetur tamen facile, diffinitionem, diviſionem, & argumentationem ſpecificè differre in ratione modi ſciendi conſiderata in eſſe rei, & ut eſt totum potenti le diviſibile per earum differentias, habere tamen univocam convenientiam in ratione prædicta conſiderata formaliter in eſſe objecti, & conſtituta per ſpecialem abſtractionem ab omni materia negativè, ſub qua inſpiciuntur à Logica, & quatenùs in ratione modi ſciendi conveniunt, non autem ſecundum peculiares differentias, in quibus ad invicem diſtinguntur. Cuius inſtantia invenitur in entibus naturalibus, quorum plura ſpecie differunt inter ſe, & in ratione entis naturalis, quatenùs eſt totum potentiale contrahibile per differentiam ſpecificam corporis gravis, & levis, quæ tamen objecta comparativè ad habitum Philoſophiæ, & ad rationem communem inſpectam in eſſe objecti, formalem diverſitatem non habent.

Secundò arguitur non eſt dabilis ſpecialis abſtractio, quæ conſtituat objectum Logicæ unum unitate ſpecifica: ergò nec Logica poteſt talem unitatem habere. Probatur antec. Si aliqua abſtractio aſsignari poſſet, maximè abſtractio ab omni materia; ſed hæc conſtituit objectum Metaphiſicæ: ergò nulla eſt dabilis, quæ poſsit conſtituere objectum Logicæ.

Reſpondetur, diſtinguendo maior. ab omni materia negativè, concedo maior. ab omni poſsitivè, nego maior. Quia licèt plura de quibus Metaphiſica agit ſint realiter in materia,

tia, ea tamen Metaphiſica conſiderat, quatenùs poſsitivè abſtrahunt à materia, & ab illa ſeparantur, Logica verò ſua attingit objecta, ut abſtrahentia ab omni materia negativè, & quia nullam poſſunt habere materiam.

Sed inſtabis: abſtractio ab omni materia negativè etiam eſt propria Metaphiſicæ, & Theologiæ: ergò non eſt Logicæ propria. Probatur antec. Quia Deus, & Angeli nullam poſſunt habere materiam, & conſequenter abſtrahunt à materia negativè; & tamen Deus, & Angeli attinguntur à Metaphiſica per ſe primò, & ipſe Deus eſt objectum primarium Theologiæ: ergò abſtractio ab omni materia negativè eſt propria Metaphiſicæ, & Theologiæ.

Reſpondetur, negando anteced. & ad probationem diſtinguo maior. negativè ex parte rei cognitæ, concedo maior. ex parte modi attingendi, nego maior. Quia licèt Deus, & Angeli in ſe ipſis non poſsint habere materiam, & ideò abſtrahant negativè, attinguntur tamen à nobis per ſpecies materiales, & eiſdem utitur Metaphiſica, ut repræſentatibus Deum, & Angelos, non quidem ſub ratione aliqua materiali, ſed potius ſub ratione univerſaliſsima entis, quæ nullam materiam explicat, & propterea Deus, & Angeli quatenus attinguntur à Metaphiſica abſtrahunt poſsitivè à materia ex parte ſpecierum, & modi quo ab illa conſiderantur. Deus etiam, ut eſt objectum Theologiæ abſtrahit ab omni materia negativè propter maximam perfectionem ipſius, unde habet eſſe ſummè immaterialis, & non poſſe habere materiam; Logica verò abſtrahit à materia negativè propter imperfectionem explicatam ſui objecti. Quapropter abſtractio ab omni materia negativè, eo modo quo Logicæ propria eſt, Theologiæ, & Metaphiſicæ non competit.

Sed inſtabis primo: Diverſitas abſtractionis Logicæ, & Theologiæ non poteſt deſumi ab objecto in eſſe entis; ſed diverſitas abſtractionis, quæ provenit ex perfectione, vel imperfectione objecti, ſummitur ab objecto in eſſe entis, nam perfectio, vel imperfectio objecti per ordinem ad exiſtentiam attenditur, & penes illum penſatur: ergò diſtinctio abſtractionis Logicæ, & Philoſophiæ deſumenda non eſt ex eo, quod objectum Theologiæ abſtrahat propter ſui perfectionem, & objectum Logicæ propter imperfectionem, quam habet:

Secundò inſtabis: Si ſemel

mel ens rationis abſtrahit ab omni materia negativè, debet abſtrahere ab illa proptèr ſui perfectionem: ergò ſolutio implicatoria in terminis eſt. Probatur anteced. primo. Abſtractio ab omni materia neceſſario debet dicere perfectionem, ſiquidem exclusio omnis materiæ importat actualitatem: ergò ſi ens rationis abſtrahit ab omni materia, debet abſtrahere proptèr ſui perfectionem.

Secundò probatur anteced. Abſtractio ab omni materia eſt abſtractio ab omni imperfectione: ergò debet eſſe proptèr perfectionem objecti. Probatur anteced. Abſtractio ab omni materia eſt abſtractio ab omni potentialitate, nam omnis potentialitas provenit à materia: ergò eſt abſtractio ab omni perfectione, quia omnis imperfectio ortum ducit à potentialitate objecti.

Tertiò inſtabis: Si ens rationis ſemel abſtrahit à materia debet abſtrahere poſitivè: ergò etiam ex hac parte eſt implicatoria ſolutio. Probatur anteced. Si ſemel abſtrahit à materia, talis abſtractio poſitivè convenit illi, & conſtituit ipſum poſitivè abſtrahentem, conſequenterque debet eſſe poſitiva, nam ſola forma poſitiva poteſt præſtare poſitivum effectum: ergò ſi ſemel abſtrahit debet abſtrahere poſitivè.

Reſpondetur ad primam replicam, diſtinguendo minor. vel imperfectione objecti, conſideratæ in eſſe entis, concedo minor. formalitèr ut determinata per principia, quibus utitur ſcientia, nego min. & conſequent. Unitas namque, vel diverſitas abſtractionis deſumenda non eſt ex perfectione, vel imperfectione objecti materialitèr accepta, & ſecundum ordinem, quem in ſe ipſa importat ad exiſtentiam, ſed ex tali perfectione conſiderata formalitèr, & ſecundum quod attingitur per principia, quibus innititur ſcientia, quomodo diſtinctio abſtractionis Logicæ, & Theologiæ deſumitur ex perfectione, vel imperfectione objectorum, & ſæpè ab objecto in eſſe entis non ſummitur.

Ad ſecundam replicam negatur anteced. & ad primam probationem, diſtinguo anteced. Si talis abſtractio à perfectione formæ proveniat, ut in Deo, & Angelis, conced. anteced. Si proveniat ab imperfectione formæ ut in ente rationis, nego anteced. & conſequent. Quia ſimplicitas perfectionem importat quan-

tum

tum est ex se, & tamen in materia, & in puncto indivisibili quantitatis perfectionem nullam dicit, quia simplicitas in his ab eorum imperfectione procedit.

Ad secundam probationem anteced. respondemus: abstractionem ab omni materia, tàm physica, quàm metaphysica esse abstractionem ab omni imperfectione, verum ens rationis non abstrahit ab omni materia metaphysica, sed potius metaphysicè est maximè potentiale, eo quod valdè diminutum est, & fictum ab intellectu, propterea que propter sui imperfectionem abstrahit ab omni materia physica, ad quam capacitatem non habet cum sit materia realis,

Ad tertiam replicam negatur anteced. Nam aliud est convenire positivè, aliud autem esse formam positivam; nam convenire positivè est, non indifferentèr, & per non repugnantiam, sed determinatè subjecto competere esse verò formam positivam est constitui per aliquid positivum: cumque abstractio ab omni materia negativè in objecto Logicæ non constituatur per aliquid positivum; indè fit non esse formam positivam, nec præstare positivum effectum in esse rei, quamvis positivè, vel determinatè conveniat, sicut cœcitas positivè competit homini carenti visu, quamvis in se ipsa forma positiva non sit.

ARTICULUS VI.

Vtrùm Logica sit simplex qualitas?

§. I.

Quibusdam suppositis statuitur affirmativa conclusio.

AD intelligentiam articul. aliqua supponenda sunt, & primum est ad assensum scientificum concurrere tria: potentiam videlicèt intellectivam, habitum scientificum, & speciem repræsentantem objectum, ex quibus habitus se tenet ex parte potentiæ illam facilitando ad cognitionem scientificam veritatis; species verò se tenet ex parte objecti, & ipsum repræsentando determinat intellectum ad objecti cognitionem.

Secundò notandum est: Scientiam formalitèr sumptam non consistere in speciebus antecedentibus demonstrationem, vel consequentibus illam, quia scientia sumpta formalitèr est virtus intellectualis per demonstrationem ad-

adquisita, & facilitatem præstat ad cognitionem demonstrativam objecti, qui species habere non potest.

Insuper etiam de habitu supernaturali infusio, & de habitu scientiæ adquisito eadem ratio videtur quantum ad consistere, vel non consistere in collectione specierum, constat autem virtutes supernaturales non consistere in prædicta collectione, cum parvuli baptizati speciebus careant ad Deum credendum, & amandum, in quibus tamen fides, spes, & charitas reperiuntur, & alij habitus, qui consequuntur ad gratiam. Potest tamen dici, scientiam consistere in collectione specierum præsuppositivè, vel antecedentèr, quatenus species ad actum scientificum requiruntur, per quem scientiæ habitus generatur, & etiam concomitantèr, vel consequentèr secundum quod species requiruntur, ut habitus prorrumpat in actus.

His ergò brevitèr prænotatis, præsens difficultas inquirit, an Logica sit simplex, vel composita qualitas id est, an quando habitus Logicæ adquisitus per primam demonstrationem extenditur ad novas conclusiones ejusdem scientiæ, superaddantur alii habitus partiales, vel uniri cum præcedenti medio aliquo nexu, sicut partes quantitatis uniuntur punctis, vel habitus alii ordinatè se habentes, & ad eundem totalem finem expectantes, ad cognoscendum videlicèt totum modum sciendi, & alia ad Logicam pertinentia perfectissimè, & completè; vel habitus adquisitus per primam demonstrationem sufficiat ad omnes veritates Logicæ scientificè cognoscendas.

Duplex in difficultate invenitur sententia; alia affirmat, Logicam esse compositam qualitatem, ex pluribus habitibus ordinatè se habentibus resultantem, quæ sententia, tàm inter PP. Societatis, quàm inter Scoti discipulos communissima est.

Altera sententia defendit: Logicam non esse talem, sed potius eundem habitum sufficere, & solum illum requiri ad omnes veritates Logicæ scientificè demonstrandas, quæ sententia est omnium Thomistarum, & aliquorum etiam extra Scholam Div. Thom. cum quibus.

§. II.

NOSTRA CONCLUSIO.

CConclusionem istam 1. 2. quæst. 54. artic. 4. in corpore docet Angelic. Doct.

Doct. per ea verba: *Ille, qui in aliqua scientia adquirit per demonstrationem scientiam conclusionis unius, habet quiaem habitum, sed imperfectè; cum verò adquirit per aliam demonstrationem scientiam conclusionis alterius non aggeneratur in eo novus habitus, sed habitus, qui prius inerat, fit perfectior; utpotè ad plura se extendens, eo quod conclusiones unius scientiæ ordinatæ sunt, & una derivatur ab alia.* Et ibidem: *Si consideremus habitum secundum ea, ad quæ se extendit, sic inveniemus in eo quandam multiplicitatem, sed quia hæc multiplicitas est ordinata ad aliquid unum, ad quod principaliter respicit habitus, inde est, quod habitus est simplex qualitas non constitutus pluribus habitibus, etiam si ad multa se extendat.* Quæ verba clarissima sunt, & totam doctrinam continent Thomistarum. Habet insuper Div. Thom. in eodem corpore articul. rationem communem conclusionis probativam, de qua statim infra dicemus.

Poterat autem conclusio nostra probari: Quia Logicæ habitus non potest componi ex pluribus habitus numero, vel specie distinctis: ergò habitus Logicæ debet esse simplex qualitas. Anteced. quantum ad secundam partem probatum relinquimus artic. præcedenti, ubi monstravimus, Logicam esse unam specificè athome; & quantum ad primam probatur. Duo habitus solo numero distincti non possunt simul esse in eodem intellectu, quia in doctrina Div. Thom. accidentia solo numero distincta non possunt esse simul in eodem subjecto: ergò habitus Logicæ non potest esse compositus ex pluribus habitibus solo numero distinctis.

Dices: Actus Logicæ solo numero distingui, & tamen simul esse in eodem intellectu: ergò idem poterit contingere inter habitus, quamvis solo numero distinguantur.

Sed contra est: Quod licèt actus Logicæ comparativè ad habitum materialitèr distinguantur, inter se tamen specificè distinguntur: ergò inter actus, & habitus lata est discriminis ratio. Probatur anteced. Quicumque actus specificatur ab objecto determinato, quod respicit, & secundum rationem determinatam, quam attingit; sed objecta actuum prout sic specie, & formaliter distinguntur: ergò etiam actus inter se distinguntur specie, & consequenter poterunt esse simul, qui accidentia specificè distincta recipiun-

piuntur in ſubjecto ſecundum diverſas virtualitates, & cum in intellectu dentur diverſæ virtualitates, poterunt actus prædicti eſſe ſimul in eodem intellectu, ſicut propter eandem rationem omnes habitus ſcientiarum poſſunt inveniri ſimul in eodem intellectu, quamvis ſolum materialiter differant comparativè ad potentiam.

Poterat ſecundò concluſio noſtra probari: Habitus adquiſitus per primam demonſtrationem Logicæ, facilitat intellectum ad omnes demonſtrationes, quæ ſequuntur ad primam: ergò præter illum alius habitus admittendus non eſt, cum habitus ſolum dentur per ſe primo ad vincendam difficultatem formalem, conſequenterque habitus Logicæ erit unus, & una ſimpliciſsima qualitas. Probatur anteced. Habitus adquiſitus per primam demonſtrationem Logicæ facilitat ad omnes demonſtrationes ſimiles primæ; ſed omnes aliæ, quæ ſequuntur, ſunt ſimiles primæ demonſtrationi: ergò habitus facilitat intellectum ad omnes.

Reſpondebis: Habitum facilitare intellectum ad omnes demonſtrationes ſpecificè ſimiles primæ, non tamen ad eas, quæ talem ſimilitudinem non habent, & plures aliæ, quæ ſequuntur ad primam, non ſunt ſimiles illis ſpecificè, ac proinde ad illas novus habitus neceſſarius eſt.

Sed contra: Quia omnes demonſtrationes Logicæ habere ſpecificam convenientiam articul. præcedenti probavimus: ergò ſolutio nulla eſt.

Secundò impugnatur: Quia omnes demonſtrationes, quæ ſequuntur ad primam ſolum materialiter diſtinguuntur ab illa comparativè ad habitum: ergò habitus adquiſitus per primam facilitabit ad omnes. Probatur anteced. omnes inſpiciuntur ab habitu ut convenientes in ratione communi modi ſciendi; ſed in ratione prædicta nulla importatur diverſitas formalis, ſed univoca convenientia: ergò omnes illæ tantum materialiter diſtinguntur à prima comparativè ad habitum. Probatur maj. Demonſtrationes Logicæ, ut convenientes in ratione communi modi ſciendi poſſunt, & debent per ſe primo conſiderari ab aliquo habitu, cum ratio illa communis ſit per ſe attingibilis, & potens ſpecificare aliquem habitum ſcientiæ, ſi quidem veras proprietates habet, & verè ſcibilis eſt; ſed non ab alio, quam ab habitu Logicæ per

primam demonstrationem producto: ergò omnes illæ inspiciuntur ab habitu prædicto, quatenus conveniunt in ratione communi modi sciendi ostensivi veritatis.

Respondebis: Talem rationem communem adæquatè acceptam, non posse per unum tantum habitum attingi, sed debere attingi per plures juxta diversitatem objectorum, circa quæ demonstrationes exercentur, & de quibus proprietates demonstratur.

Sed contra est: Quia illa ratio communis habet proprietatem communem demonstrabilem de se ipsa per aliquem habitum scientiæ: ergò talis habitus poterit eandem proprietatem demonstrare, in quocumque objecto particulari, & consequentèr attingere omnia, quatenus conveniunt in communi proprietate, & illius exigentia.

Secundò impugnatur data solutio: Quia si talis ratio communis adæquatè accepta non est attingibilis per unicum habitum, modus sciendi in communi adæquatè sumptus nullius habitus erit objectum formale, & consequentèr in tota Logica non erit aliquis actus, qui attingat modum sciendi in tota sua amplitudine, proindeque modus sciendi in sua amplitudine, nunquam scientificè cognoscetur; sed hoc dicendum non est; ergò talis ratio communis sumpta adæquatè potest, & debet per eundem habitum attingi.

Eadem doctrina explicatur: si modus sciendi, qui est diffinitio attingitur per unum habitum, & modus sciendi, qui est divisio attingitur per alium, ratio communis modi sciendi non erit scibilis per aliquem ex prædictis, siquidem quicumque ligatur ad speciem inferiorem modi sciendi, sed per nullum alium potest scientificè attingi ratio communis modi sciendi: ergò illa ratio communis non erit scientificè cognoscibilis. Probatur min. ille alius habitus cotineret eminentèr habitum attingentem diffinitionem, & habitum attingentem divisionem; sed talem habitum nolunt contrarii concedere: ergò.

Addimus: Quod si semel talis habitus conceditur, ille solus poterit attingere omnia objecta peculiaria in quibus invenitur contracta prædicta ratio communis, sicut potentia visiva, quæ per se primo terminatur ad colorem, se sola sufficit omnes colores attingere, consequentèrque erunt su-

ſuperflui alii habitus, ac proinde non admittendi.

Modo autem ratione communi ex doctrina Div. Thom. probatur concluſio noſtra. Quia idem habitus omninò ſimplex, & abſque ulla compoſitione poteſt attingere omnia objecta, quæ cadunt ſub eadem ratione formali; ſed omnia objecta Logicæ cadunt ſub eadem ratione formali, ut vidimus articul. præcedenti, ubi monſtravimus, omnia contineri ſub eadem abſtractione ab omni materia negativè, & per eadem attingi principia: ergò idem habitus ſimplex ſufficit ad omnia illa attingenda, conſequentèrque habitus Logicæ eſt una ſimpliciſsima qualitas. Probatur major. Nam habitus debet proportionari cum potentia in ordine ad attingentiam objecti; ſed eadem potentia intellectiva omninò ſimplex ſufficit ad attingenda omnia, quæ cadunt ſub eadem ratione formali, nam intellectus omnia attingit ſub ratione univerſaliſsima veri: ergò idem habitus omninò ſimplex poterit etiam attingere omnia, quæ cadunt ſub eadem formaliſsima ratione. Probatur major. Perfectio, & perfectibile debent proportionari in ea ratione, in qua unum eſt perfectio, & aliud eſt perfectibile; ſed habitus eſt perfectio potentiæ in ordine ad attingentiam objecti, ſiquidem illam juvat, & facilitat, & ſubjectivè determinat ad objectum attingendum: ergò debet proportionari cum potentia in ordine ad attingentiam objecti.

Reſpondent plures adverſariorum, quod potentia intellectiva non generatur noſtris actibus, & ideò eſt una ſimplex, & non multiplicatur actibus multiplicatis: habitus verò Logicæ noſtris actibus adquiritur, & ita diſpar eſt ratio.

Hæc tamen ſolutio ex non intelligentia rationis Div. Thom. procedit; nam intellectum non multiplicari, non ideò eſt, quia à natura dimanat, & noſtris actibus non adquiritur, ſed quia omnia illius objecta cadunt ſub eadem ratione formali: ergò ſolutio nititur falſo principio. Probatur anteced. primò. Quia intellectus, & voluntas, & aliæ hominis potentiæ non adquiruntur actibus noſtris, & tamen, quia illarum objecta habent diverſam rationem formalem, multiplicantur potentiæ: ergò intellectum non multiplicari non inde oritur, quod à natura dimanat, ſed quia omnia objecta illius continentur ſub unica ratione

formali. Quod idem inter habitus supernaturales contingit, qui non adquiruntur actibus nostris, & tamen propter diversitatem formalem objecti multiplicantur formaliter.

Secundò probatur anteced. Quia virtutes morales nostris actibus adquiruntur; & tamen quia omnia, quæ attingunt cadunt sub eadem ratione formali, prædictæ virtutes sunt simplices qualitates: ergò idem quod prius.

Respondent adversarii virtutes morales idem habere motivum in omni objecto partiali, & in quolibet actu, sicut justitia in quocumque actu habet pro motivo formali servare æqualitatem, & reddere unicuique sua, & temperantia semper, & ubique habet pro motivo formali abstinentiam à delectabili conformiter ad rationem, & propterea virtutes prædictæ sunt simplices qualitates: habitus verò scientificus habet motiva diversa in pluribus objectis partialibus, & ita diversa est ratio.

Sed contra: Quia motiva virtutis moralis in quocumque objecto partiali, & in quolibet actu sunt formaliter idem, & solum materialiter distincta; sed etiam motiva habitus scientifici in quocumque objecto particulari sunt formaliter idem (ut antea probatum relinquimus) ergò idem in utroque casu dicendum.

Addo: Quod victa difficultate formali in abstinentia à civo panis, & carnis, adhuc tanta difficultas in aliquibus reperiri videtur in abstinentia à pomis, & alijs delectabilibus, quanta videtur permanere circa secundam conclusionem, de victa difficultate formali in ordine ad primam; sed ad difficultatem superadditam in abstinentia à pomis non est necessaria nova virtus moralis: ergò nec ad secundam difficultatem vincendam erit etiam novus habitus necessarius.

Secundò solutio principalis impugnatur: Quia simplicitas, vel compositio habitus, aut potentiæ, non desumitur à causa efficiente, sed à causa formali, & objecto specificativo: ergò ex quo intellectus nostris actibus non adquiratur, benè tamen habitus, nequaquam infertur intellectum, & non habitum esse simplicem qualitatem. Probatur anteced. primò. Prædicata essentialia rerum non desummuntur à causa efficiente, sed à causa formali dante speciem, alias causa efficiens non est esse efficiens,

ciens, ſed eſſet cauſa formalis præbens eſſentiam, & ſpeciem; ſed ſimplicitas, vel compoſitio ſunt prædicata eſſentialia in rebus, nam quælibet res per ſuam eſſentiam habet eſſe ſimplex, vel compoſita; ſicut homo per ſuam eſſentiam petit materiam, & formam ad ſui compoſitionem: ergò ſimplicitas, vel compoſitio habitus, ut potentiæ non deſumuntur à cauſa efficiente, ſed tantum à cauſa formali, & ab objecto dante ſpeciem.

Secundò probatur anteced. Ideò cauſa efficiens producit Angelum ſimplicem, & hominem compoſitum ex materia, & forma, quia homo ex propria natura exigit talem compoſitionem, & Angelus exigit ſimplicitatem: ergò ſimplicitas, vel compoſitio per ſe primo deſummuntur ex proptia natura rerum, & cauſa formali illarum, & non à cauſa efficienti.

§. III.

Argumentis contra rationem iſtam occurritur.

CONTRA præfactam rationem poterat argui: nam ex quo habitus ſit perfectio potentiæ non infertur eſſe ſimplicem qualitatem, ſicut eſt ipſa potentia: ergò ratio nititur principio falſo. Probatur anteced. Habitus non eſt perfectio potentiæ nudè ſumptæ, ſed illius ut actuatæ, & conſtitutæ per ſpecies repræſentantes objecta; ſed potentia quatenus ſic actuata non eſt ſimplex, ſed compoſita qualitas: ergò ex quo habitus ſit perfectio potentiæ non infertur eſſe ſimplicem qualitatem.

Reſpondetur: diſtinguendo major. per ſpecies ut convenientes in eadem ratione formali in ordine ad objectum habitus concedo maj. ut inter ſe differentes, nego maj. & conceſſa min. negatur conſequent. Quia habitus non eſt perfectio potentiæ, nec proportionari debet cum illa ut conſtituta per ſpecies repræſentantes objecta, quatenus ſpecies illæ diſtinguntur inter ſe, ſed ſecundum quod conveniunt in eadem ratione

formali in ordine ad objectum habitus; secundum diversitate materialiter se habente, & ita ex prædicta proportione benè infertur, habitum esse unam simplicem qualitatem. Exemplum est in existentia, quæ unica simplex est, quamvis essentia, quam actuat, sit composita ex partibus, quia partes illæ, quamvis differant inter se, se habent per modum unius in ordine ad existentiam.

Secundò arguitur: ex prædicta ratione Div. Thom. non probatur habitum non esse compositum ex pluribus habitibus solo numero distinctis: ergò non probatur ex illa, Logicam esse simplicem qualitatem. Probatur anteced. ex ratione Div. Thom. tantum probatur unitas specifica, non verò unitas numerica habitus; ergò ex ea non probatur habitum non esse compositum ex pluribus habitibus solo numero distinctis. Probatur anteced. Ratio Div. Thom. solum procedit ex proportione habitus cum potentia per ordinem ad objectum; sed habitus non accipit ab objecto unitatem numericam; sed solam specificam unitatem, nam unitas numerica habitus desumitur à subjecto, à quo omnia accidentia habent individuationem, & numericam unitatem: ergò ex ratione Div. Thom. solum probatur unitas specifica, non verò unitas numerica habitus.

Respondent plurimi, & aliqui etiam ex nostris Div. Thomam in ratione prædicta tantum probare specificam habitus unitatem: numericam verò non probare, sed illam antecedenter in alijs locis supponere jam probatam. Sed Div. Thom. unitatem numericam ratione facta probare ex corpore articul. & solutione argumentorum clarissimè constat, ut videri potest ibi.

Insuper etiam impugnatur solutio: Quia si vera esset, ratio Div. Thom. supponeret, quod debebat probare, nam probare debet unitatem numericam habitus, ut sic suaderet Div. Thom. habitum esse simplicem qualitatem, quam tamen non probat, sed supponit, ut data solutio concedit; sed hoc admittendum non est: ergò nulla est data solutio.

Secundò: Nam si prædicta ratio non probat numericam unitatem, inutiliter adducitur ad intentum, & melius esset adducere alias rationes, quibus Div. Thom. probat numericam unitatem: ergò idem quod priùs.

3. Quid ex prædicta solutione sequitur? rationem Div. Thom. & omnium Thomistarum non probare conclusionem; sed nullus Thomistarum hoc admittere debet; ergò. Probatur major. conclusio affirmat, habitum Logicæ non esse compositum ex pluribus habitibus, nec specie, nec numero distinctis; sed ratio facta non probat, habitum non esse compositum ex pluribus habitibus solo numero distinctis juxta datam solutionem: ergò conclusionem non probat. Quapropter aliter, illa relicta.

Respondetur, rationem Div. Thom. per consequentiam immediatam solum probare unitatem specificam, mediatè verò probare etiam numericam unitatem, nam si semel habitus Logicæ est unus in specie, debet etiam esse numericè unus, & non compositus ex pluribus habitibus solo numero distinctis, eo quod duo habitus, & duo accidentia solo numero distincta non possunt esse in eodem.

Secundò respondetur: D. Thom. non probare habitus simplicitatem specificam, & numericam ex ordine ad objectum præcisè, sed etiam ex proportione cum potentia, eo quod sicut potentia est una numero per ordinem ad objectum unica ratione formali constituta, ita habitus debet similem unitatem habere.

Tertiò dici potest: Simplicitatem, vel compositionem esse prædicata specifica, & ideò esse desumenda per ordinem ad objectum, & consequenter Div. Thom. per ordinem ad objectum probasse, benè habitus simplicitatem, sed non probasse unitatem numericam, quæ formaliter distinguitur à simplicitate rei, nam quantitas non est simplex; sed composita ex partibus unitis; & tamen est una numero.

Tertiò arguitur: salvâ proportione inter habitum, & potentiam, potest habitus multiplicari, non multiplicata potentia; ergò ratio Div. Thom. non probat assumptum. Probatur anteced. primò. Salvâ proportione inter habitum, & potentiam, potest habitus esse intensibilis, & remissibilis, quamvis intellectus non possit remitti, & intendi, ut per se manifestum est: ergò poterit etiam multiplicari non multiplicata potentia.

Secundò probatur anteced. una, & eadem potentia sufficit ad omnia, quæ cadunt sub ratione entis, & non sufficit unus habitus: ergò poterit

fit etiam habitus multiplicari non multiplicata potentia, non obstante proportione utriusque.

3. Actus est perfectio potentiæ, cum illa proportionatus; & tamen intra eandem scientiam reperiuntur plures actus: ergò poterit etiam habitus multiplicari, non obstante proportione.

Respondetur ad argumentum, negando anteced. & ad primam probationem negatur conseq. Ratioque discriminis est. Quia habitus cum potentia proportionari debet in ea ratione, in qua habitus est perfectio, & potentia perfectibilis est, non tamen in omnibus debet servari proportio; cumque habitus sit perfectio potentiæ non quidem in ratione intensibilis, & remissibilis, sed illius tantum in ordine ad attingentiam objecti, inde fit, in hoc debere proportionari cum illa, & debere esse unum numero circa idem objectum formale, sicut est ipsa potentia, non autem debere proportionari in ratione intensibilis.

Secundò respondetur: proportionem inter habitum, & potentiam servandam esse in his, quæ utrique possibilia sunt, esse autem intensibilem, & remissibilem nequit convenire potentiæ, quæ capax intensionis, & remissionis non est, & ideò in hoc non est servanda proportio.

Ad secundam probationem negatur conseq. quia proportio inter habitum, & potentiam servanda est, quantum fieri potest, & conservata natura habitus; cumque habitus sit perfectio potentiæ per modum formæ determinantis potentiam, & universalitatem illius, inde fit, non debere esse ita universalem, & ad omnia sufficientem, ad quæ sufficit potentia, nam forma determinans non est ita universalis, sicut forma determinata, ut patet indifferentia individuali, quæ determinat speciem, & ita ampla non est: in ordine verò ad ea, quæ continentur intra eandem rationem formalem habitus, potest ipse servata propria natura proportionem habere.

Ad tertiam probationem respondetur: actum esse perfectionem potentiæ per modum termini, & actualis exercitij, & actus secundi, de cujus ratione est limitatio juxta determinationem objecti, quod actualiter attingitur, & ideò non debet actus proportionari cum potentia in extensione ad plura, habitus verò est perfectio per modum principij se tenentis ex parte potentiæ, & ideò in extensione ad plura debes

bet proportionari cum illa, quia de ratione principij maior eſt amplitudo.

Sed inſtabis primò: quia actus eſt principium productivum habitus: ergò eſt perfectio potentiæ etiam per modum principij.

Secundò etiam: ſpecies impreſſa eſt perfectio potentiæ per modum principij, & efficienter cum potentia concurrit ad actum; & tamen intra eandem rationem formalem multiplicantur ſpecies circa objecta materialia: ergò idem dicendum de habitu.

Tertiò, modi extendentes, & perficientes habitum ſunt perfectiones potentiæ, & tamen multiplicantur circa objecta materialia, & veritates intra eandem rationem formalem exiſtentes: ergò idem.

Quarto, lumen gloriæ eſt perfectio potentiæ per modum principij; & tamen non extenditur pluſquam ipſius actus, ſed cum unica viſione beata eſſentialiter adæquatur: ergò licèt habitus ſit perfectio per modum principij, poterit adæquari cum quolibet actu, & multiplicari ſicut actus.

Reſponderi poteſt ad primam, diſtinguendo conſequens, per modum principij influentis ratione potentiæ, & eius virtute, concedo conſequent. ratione ſui, nego conſeq. Quia licèt actus ſit principium habitus, non tamen illum producit ratione ſui, ſed ratione potentiæ, cuius virtute poteſt tantum habitum univerſalem producere, ratione vero ſui eſt terminus coartatus ad objectum materiale, habitus vero ratione ſui facilitat ad actum, & eſt principium illius, & ideo debet ſe extendere ad plura, & ad omnes actus intra eandem rationem objectivam exiſtentes.

Addimus: actum per ſe primum folum eſſe terminum, & ultimam actualitatem, quæ potentiam ultimo cum objecto coniungit, eſſe vero principium habitus non per ſe primo, ſed ſolum ex conſequenti, & minus principaliter importatur in illo, & propterea extenſio ad plura non debet actui competere, nam extenſio ſolum eſt propria formæ, quæ primò, & principaliter eſt principium.

Ad ſecundam inſtantiam reſpondetur: ſpeciem impreſſam eſſe principium, quod ſe tenet ex parte objecti, & proportionatur cum illo, & ideo objecto multiplicato debet etiam ſpecies multiplicari; habitus vero ſe tenet ex parte potentiæ, & cum illa debet proportionem habere.

Dices: quod ideo ſpecies multiplicatur ad multiplicationem

nem objecti; quia est veluti semen illius; sed etiam habitus est veluti semen relictum ex actu, per quem habitus fuit productus: ergò debet commensurari cum actu, & multiplicari sicut actus.

Respondetur primo: negando casualem. Species namque non ideò multiplicatur ad multiplicationem objecti, quia est illius semen, & causatur ab illo, sed quia est illius imago unicè adæquate cum ipso, & ita multiplicatur objecto multiplicato.

Secundo poterat dici: speciem multiplicari objecto multiplicato, quia gerit vices eius, & pro illo substituit, tanquam illius vicaria, & ideo cum illo proportionatur; habitus vero non gerit vices actus, nec illi deservit, sed soli potentiæ, consequenterque cum ipsa potentia debet proportionem habere.

Ad tertiam replicam supra factam respondetur: Modos extendentes habitum solum perficere potentiam mediante habitu, ipsum vero habitum immediate potentiam perficere, & ideo magis participare de universalitate potentiæ, nam quod magis accedit ad maximè tale, est magis tale, consequenterque habitus debet esse universalior, quam modus, & poterit unus manere, quamvis modi multiplicentur.

Dices: Modos perficere habitum immediate; & tamen non proportionantur cum illo: ergò poterit habitus non proportionari cum potentia, quam perficit immediate.

Sed negatur conseq. Quia modi se habent tanquam ultimæ determinationes, & modificationes habitus in ordine ab objectum, & ita se habent per modum termini coartantis habitum ad determinatum objectum, consequenterque non possunt proportionari in universalitate cum habitu, sed potius quilibet modus secundum suam naturam exigit non exire, vel extendi ad alterum objectum distinctum. Poterat etiam dici modos ipsos in universalitate proportionari cum habitu, quia idem modus potest esse principium plurium actuum circa unum, & idem objectum.

Ad 4. negatur conseq. Quia visio beata est actus ab intrinseco permanens, necessarioque oritur à lumine gloriæ, ita perpetua, & in amissibilis sicut lumen, & propterea lumen cum una visione adæquatur, secus dicendum de habitu, cuius actus sunt amissibiles, & possunt multiplicari.

Hæc omnia adducit Sapien-

pientissimus quidam Thomista, quæ satis probabilia sunt. Modo autem solutione communi ad hæc omnia respondemus: Objecta materialia comparativè ad habitum esse formalia comparativè ad species, modos, & actus. Undè rationes formales speciei, actus, & modi formaliter multiplicantur, sicut etiam species, actus, & modi multiplicantur formaliter, quia tamen ad unum objectum, & sub una ratione formali speciei, actus, vel modi, solum datur una species, unicus actus, vel modus, ideo etiam hæc omnia in simplicitate sua cum potentia proportionantur, & sicut ad omnia, quæ continentur intra eandem rationem formalem solum datur una potentia, & unicus habitus, ita ad unam rationem formalem propriam speciei solum datur una species, & idem de modo, & actu dicendum.

Dices: sub eadem ratione formali comparative ad habitum continentur objecta distincta formaliter comparative ad species, & actus: ergò etiam sub eadem ratione formali unius habitus attingentis rationem communem modi sciendi, poterunt dari objecta distincta formaliter comparativè ad alios habitus inferiores, & partiales.

Respondetur: negando consequent. Quia objecta contenta intra rationem formalem habitus non conveniunt in ratione repræsentabilis per unam, & eandem speciem, nam objectum particulare, quod secundum rationem particularem repræsentatur per speciem, secundum eandem rationem particularem terminat repræsentationem illius, & specificat illam, & ideò non convenit in ordine ad eandem speciem cum alio objecto, eo quod debebat in ratione particulari à qua specificatur species convenire cum alio, quod tamen est impossibile, siquidem objecta in rationibus particularibus differunt, idemque dicendum de objectis comparativè ad modos, & actus: quapropter objecta, quæ continentur intra rationem communem habitus; differunt formaliter comparativè ad species, modos, & actus, objecta vero contenta intra rationem communem modi sciendi non attinguntur secundum rationes particulares, ut ad invicem distinctas formaliter ex parte rationis sub qua, sed potius, ut ad invicem convenientes in prædicta ratione communi secundum quam attinguntur ab habitu, & ideo sub eadem ratione formali unius habitus attingentis rationem communem modi sciendi

di, non poſſunt dari objecta diſtincta formaliter comparativè ad alios habitus inferiores, & partiales; ſicut intra eandem rationem formalem ſpecificativam virtutis moralis temperantiæ; v. gr. non poſſunt dari objecta diſtincta formalitèr comparativè ad temperantias partiales, quia omnia objecta prædicta attinguntur à virtute temperantiæ ſecundum rationem communem, in qua habent vnivocam convenientiam in eſſe objecti, quod totum ipſi adverſarij fatentur.

§. IV.

Argumentis contra concluſionem occurritur.

CONtra ipſam concluſionem arguitur primo: Si habitus Logicæ eſſet una ſimplex qualitas, cum errore circa unam concluſionem, non perſeveraret habitus circa alias, ſed cum errore circa unam concluſionem manet habitus circa alias: ergò habitus prædictus non eſt una ſimpliciſsima qualitas. Probatur mai. Quia habitus fidei in ordine ad veritates quas credimus eſt unicus, & ſimplex cum errori pertinaci circa unam veritatem non manet fides circa alias, ut patet in hæreticis, in quibus propter errorem pertinacem circa aliquas veritates non manet habitus fidei etiam in ordine ad alias: ergò ſi habitus Logicæ eſſet una qualitas ſimplex, cum errore voluntario, & pertinaci circa aliquam veritatem, non maneret Logica circa alias.

Reſpondetur negando major. & ad probationem, nego cauſalem. Nam ratio quare cum errori pertinaci circa unam veritatem non manet fides in ordine ad alias, non ideo eſt, quia habitus fidei eſt unus, & ſimplex, ſed quia ratio formalis fidei una eſt, tàm materialitèr, quàm formalitèr, & ita deſtructa circa unam veritatem non poteſt circa alias permanere.

Dices: Ratio formalis fidei ideò, tàm materialitèr, quàm formalitèr una, & indiviſibilis eſt, quia habitus fidei eſt unus, & ſimplex: ergò ſi habitus Logicæ eſt unus, & ſimplex, ratio formalis illius, tàm materialitèr, quàm formalitèr una erit.

Reſpondetur etiam, negando cauſalem antecedi. Nam ratio formalis fidei, quæ eſt divina revelatio, non ideò eſt una materialitèr, & formalitèr, quia habitus eſt unus, & ſimplex, ſed quia ipſa revelatio eſt extrinſeca veritatibus revelatis, & propterea illis multiplicatis, non multiplicatur revelatio, eo quod forma extrin-

trinseca non multiplicatur ad multiplicationem subjecti, unde hæretici nolentes credere aliquas veritates, non habent fidem circa alias, quia non credunt illas, quia Deus dicit, alias crederent omnes dictas, & revelatas à Deo, cum dictum Dei æqualitèr se habeat ad omnes; ratio vero formalis Logicæ est intrinseca objectis Logicæ, & consequenter multiplicatur materialitèr ad multiplicationem illorum, nam forma intrinseca saltim materialitèr multiplicatur, multiplicato subjecto, & ita ratio formalis Logicæ materialitèr divisibilis est.

Secundò arguitur: Secunda demonstratio Logicæ etiam producit habitum sicut prima: ergò in Logica dantur plures habitus, & consequenter simplex qualitas non est. Probatur antec. Secunda demonstratio habet vim productivam habitus, sicut, & prima, quando quidem utraque est eiusdem speciei: ergò producit habitum sicut prima.

Responderi poterat demonstrationem non esse productivam habitus, nisi quatenus primam, & dependenter ab hoc connotato, sicut intellectus Divinus non est productivus ad extra, nisi ut connotat voluntatem, & ideò secundam demonstrationem non esse productivam propter defectum connotati, & quia prima non est.

Melius tamen respondetur: neg. antec. & ad probationem negatur conseq. Quia de potentia ad actum non valet conseq. Sicut non valet: potest quis ridere: ergò ridet: ratio autem quare secunda demonstratio, quamvis habeat virtutem productivam non producit de facto habitum, ea est, quia subjectum non est capax alterius habitus solo numero distincti ab habitu producto per primam, eo quod duo accidentia solo numero distincta non possunt esse in eodem subjecto; cumque habitus producibilis per secundam solo numero distinguatur ab habitu producto per primam, inde fit, secundam demonstrationem non producere habitum, quem potest producere.

Sed instabis primò: In intellectu datur capacitas ad secundum habitum: ergò secunda demonstratio debet producere illum. Probatur anteced. primo. In intellectu datur capacitas ad habitum erroris circa secundam conclusionem: ergò datur capacitas ad alium habitum scientiæ. Secundò probatur antec. In intellectu datur capacitas ad plures modos perficientes habitum: ergò etiam ad alium, & alium habitum scientiæ.

Se-

Secundò instabis: Frustra est potentia, quæ non reducitur ad actum; sed secunda demonstratio est productiva habitus; ergò debet illum producere, alias esset frustranea virtus illius.

3. Instabis: Secunda demonstratio producit aliquid, cum omnis actio sit productiva alicuius effectus, sed non aliud, quam habitum scientiæ: ergò illum producit. Patet minor. Nam illud, quod producit, est facilitas ad objectum scibile, quæ non habetur, nisi per habitum scientiæ: ergò prior, quod producit, non est aliud, quam habitus scientiæ.

Quartò instabis: Quia habitus dantur ad vincendas difficultates; sed per secundam demonstrationem vincitur difficultas ad secundam conclusionem, quando quidem talis difficultas victa non erat per primam demonstrationem, per quam solum vincitur difficultas circa primam veritatem: ergò per secundam demonstrationem debet habitus produci.

Respondetur ad primam replicam, negando anteced. & ad probationem negatur conseq. Quia habitus erroris specifice distinguitur ab habitu scientiæ, ideoque supposito habitu scientiæ manet in intellectu capacitas ad habitum erroris habendum, nam accidentia specie distincta benè possunt esse in eodem, sicut in anima sunt simul intellectus, & voluntas; habitus verò scientiæ per secundam demonstrationem producendus solo numero distinguitur ab habitu producto per primam demonstrationem, unde dispar est ratio.

Dices: Causæ specifice diversæ habent virtutem ad effectus specifice distinctos; sed secunda demonstratio specifice distinguitur à prima demonstratione: ergò poterit producere habitum specie diversum, & potentem existere simul cum habitu producto per primam.

Respondetur tamen facile: secundam demonstrationem specie differre à prima materialitèr, & secundum se, non tamen in ratione principij, & in ordine ad habitum producendum, sicut auxilium productivum actus charitatis specificè distinguitur ab habitu materialitèr, & in se, non tamen in ordine ad actum, nam actus, qui procedit ab auxilio est eiusdem speciei cum illo, qui procedit ab habitu charitatis.

Ad secundam probationem antec. principalis respondetur: modos essentialitèr specifice distingui inter se, & ideò posse plures modos in eodem in-

intellectu reperiri; habitus verò non possunt specificam distinctionem habere propterea, quæ satis explicata relinquimus.

Ad secundam replicam principalem respondent aliqui; Virtutem secundæ demonstrationis posse producere alium habitum in sensu diviso, & si non inveniat productum, & aliunde defacto perficere primum habitum, & hoc sufficere, ut frustranea non sit.

Respondetur tamen conformiter ad doctrinam superius tradditam; virtutem, aut potentiam tunc esse frustraneam, quando non reducitur ad actum, ubi, quando, & quomodo oportet, & non oportet secundam demonstrationem producere habitum, eo quod illum invenit productum, & facilitantem ad omnia, quæ in Logica attinguntur, sicut si circa secundam conclusionem repetatur demonstratio, secunda in ordine non producit habitum, quia illum invenit productum, ut fatentur adversarij, & actus virtutis, qui sequitur ad habitum iam productum non producit habitum, quin virtus illius frustranea sit, & sacramenta mortuorum per se instituta, & habentia virtutem ad producendam primam gratiam, illam aliquando non producunt, quando videlicèt subjectum accedit in gratia ad prædicta sacramenta.

Ad tertiam replicam etiam aliqui respondentur per secundam demonstrationem aliquid de novo produci, & illud novum esse quendam modum extendentem habitum præexistentem, & facilitantem ad secundam conclusionem.

Sed nulla datur necessitas talis modi, & entitates absque necessitate multiplicari non debent. Et quidem si doctrina vera est per tertiam demonstrationem produceretur alius modus, & alius per quartam, & sic de singulis, & ita darentur infinitè penè modi.

Secundò impugnatur: quia tales modi per secundam, & alias demonstrationes producti solo numero distinguerentur, eo quod haberent unam rationem formalem, siquidem respicerent rationem formalem habitus, quæ est una formaliter, nam modi illi sunt via, & dispositiones ad perfecte cognoscendam rationem formalem habitus, & ita illam respicere debent, & ad ipsam ordinantur: ergò habitus esset compositus ex pluribus modis solo numero distinctis, ac proinde essent simul in eodem intellectu plura accidentia solo numero distincta.

Addimus; Tales modos non

non requiri, nec dari in virtutibus moralibus, ſicut 1. 2. q. 66. art. 1. docet Angel. Doct. & conſequenter nullum eſſe fundamentum, ut in habitibus ſcientiæ admittantur, quapropter tali ſolutione relicta.

Ad tertiam Replicam reſpondetur: ſecundam demonſtrationem habere terminum cognitum, vel contemplatum, non tamen terminum productum, nec eſſe neceſſarium, omnem actionem aliquid defacto producere, ſed ſufficit aliquid contemplari, vel cognoſcere. Inſtantia eſt in viſione Beata, quæ non habet verbum productum, ſed ſolum contemplatur objectum in ſenſibus exterioribus, quæ non producunt idolum, vel aliquem alium terminum, & in ſecunda demonſtratione iterum repetita circa ſecundam veritatem, quæ ut ſic repetita ſolum habet terminum cognitum, & non terminum productum.

Ad 4. replicam reſpondetur: Habitum requiri ad vincendam difficultatem formalem, non verò ad materialem difficultatem vincendam, & difficultatem formalem ſolum dari circa rationem formalem habitus, & eſſe iam ſuperatam per primam demonſtrationem attingentem, & convincentem circa rationem formalem, conſequenterque non vinci difficultatem prædictam per ſecundam demonſtrationem, per quam ſolum vincitur difficultas materialis, ad quam non requiritur novus habitus, ſed ſufficit primus ut applicatus per ſecundam demonſtrationem ad ſecundam veritatem.

Sed inſtabis: Nam habitus etiam neceſſarius eſt ad vincendam materialem difficultatem: ergò nulla eſt traddita doctrina. Probatur anteced. in opinione aſſerente, Logicam eſſe neceſſariam ad adquirendas alias ſcientias quantum ad ſtatum perfectum, licèt non quoad ſubſtantiam, in qua quidem opinione habitus Logicæ non requiritur ad vincenda difficultatem formalem Philoſophiæ, ſed illam ſupponit victam, & ſolum requiritur ad perfectionem accidentalem, vel ſubſtantialem Philoſophiæ, circa quam ſolum difficultas materialis invenitur: ergò habitus etiam neceſſarius eſt ad difficultatem materialem ſuperandam.

Reſpondetur tamen facile: Habitum Logicæ ad vincendam difficultatem materialem Philoſophiæ ſolum ex conſequenti, & ſecundario requiri, & primario neceſſarium eſſe ad vincendam difficultatem formalem Logicæ, verum quia hæc difficultas debet ſuperari, ut perfecte adquiratur Philoſophia,

phia, propterea habitus Logicæ ex consequenti necessarius est ad difficultatem materialem in Philosophia vincendam.

Tandem ad principale argumentum dicere poteramus; in qualibet scientia dari duplicem demonstrationem: alteram secundam per se, quæ videlicèt probat secundam, vel tertiam proprietatem objecti, & hanc non esse productivam habitus; aliam verò esse demonstrationem per se primam, & solum per accidens secundam, quatenus addiscens scientiam pro sua libertate, vel alia causa incipit ab alia demonstratione, & hanc demonstrationem esse productivam habitus, quia per se est destinata à natura ad habitum producendum: primam verò demonstrationem prius dictam, quæ videlicèt est secunda per se, non esse productivam constat ex eo, quod implicat, aliquam causam habere per se, & ex propria natura virtutem ad producendum effectum, & esse per se impeditam ad effectum producendum, alias natura ageret contra se ipsam dando virtutem, & virtutem impediendo; sed secunda demonstratio, quæ est secunda per se, etiam per se est impedita ad habitum producendum, cum per se supponat primam demonstrationem, & habitum per illam productum: ergò talis demonstratio nequit esse productiva habitus.

Cæterum, quia hæc secunda demonstratio per se, potest per accidens esse prima, in quo eventu produceret habitum, quem tamen non produceret si non contineret, propterea verius est etiam secundam demonstrationem per se esse productivam habitus, non quidem per se primo, sed solum ex consequenti, & potest optime aliqua causa supponere productum, & esse per se impeditam ad producendum effectum, quem continet ex consequenti, & quatenus substituitur pro altera causa, sicut sacramenta vivorum per se supponunt sacramenta mortuorum, & primam gratiam productam, ad quam tamen habent ipsa ex consequenti virtutem, & eam producunt, si non inveniant productam: quapropter solutionem istam, qua aliquando usi sumus, modo non approbamus, sed ad alias recurrendum asserimus.

Tertiò arguitur: per habitum productum per primam demonstrationem non vincitur tota difficultas formalis; ergò per secundam, & alias debet habitus produci. Probatur anteced. primo. In Philosophia producto habitu per primam demonstrationem manet in-

intellectus cum difficultate formali ad alias demonſtrationes, caſu quo Philoſophia ſine Logica adquiratur, & conſervetur: ergò etiam in Logica per habitum productum per primam demonſtrationem non vincitur tota difficultas formalis. Probatur antec. Intellectus non eſt facilis ad aliquod artificium, niſi ſit facilis ad formam artificialem; ſed intellectus ſine habitu Logicæ non eſt facilis ad formam artificialem ſecundæ demonſtrationis: ergò caſu quo habitus Philoſopiæ adquiratur ſine Logica, & ſine illa conſervetur, adhuc habitu adquiſito per primam demonſtrationem in Philoſophia, manet intellectus cum difficultate formali ad alias demonſtrationes. Probatur minor. Nam in ſententia probabili Thomiſtarum ſola Logica producit efficienter formam artificialem in omni demonſtratione repertam, conſequenterque ſola facilitat ad formam artificialem: ergò intellectus ſine habitu Logicæ non eſt facilis ad formam artificialem.

Secundo probatur antec. Habitus productus per primam demonſtrationem non attingit difficultatem formalem totam, & totaliter: ergò per illum non vincitur tota difficultas formalis. Probatur antec. Habitus primæ demonſtrationis ſolum attingit rationem formalem ut contractam, & determinatam ad veritatem, quæ probatur per primam demonſtrationem: ergò non attingit difficultatem formalem totam, & totaliter.

Reſpondetur ad argumentum: in illo caſu, qui ſupponitur, adquiſito habitu per primam demonſtrationem Philoſophiæ non manere intellectum cum difficultate formali ad omnes demonſtrationes, ut ad Philoſophiam pertinentes, videlicèt quantum ad ſubſtantiam, & aſſenſum cuiuſcumque veritatis, quod ſolum pertinet ad Philoſophiam, & ideò non indigere novo habitu Philoſophiæ, manere tamen intellectum cum difficultate formali ad formam rationis artificioſam, quam ſola Logica facit, & producit efficienter, ex quo autem intellectus ſine Logica non ſit facilis ad formam artificioſam ſolum infertur, non eſſe facilem ad totum inſtrumentum Logicale conficiendum, non tamen infertur non eſſe facilem ad ſubſtantiam aſſenſus ſcientifici, & ad veritatem quamcumque cognoſcendam per principia Philoſophiæ.

Ad ſecundam probationem reſpondetur, negando antec. & ad probationem, diſtinguo antec. totaliter extenſivè, con-

concedo antec. intensivè, nego antec. & conseq. licet namque habitus per primam demonstrationem productus non attingat totam rationem formalem extensivè, quatenus habitus in principio non attingit rationem prædictam, ut applicatam omni objecto materiali; attingit tamen illam rationem totam, & totalitèr intensive, eo quod tota ratio formalis objectiva Logicæ secundum omnem perfectionem substantialem reperitur in objecto primæ demonstrationis; quapropter habitus ut primo productus attingit rationem formalem totam, & totalitèr intensivè; sicut quia tota perfectio essentialis naturæ humanæ reperitur in Petro, qui illam prout in Petro cognosceret, attingeret essentialem perfectionem hominis, & speciem humanæ naturæ totam, & totalitèr intensivè.

Sed instabis: actus primæ demonstrationis non attingit totam rationem formalem adæquate intensivè, alias unicus actus extenderetur, & atingeret adæquate rationem formalem habitus: ergò habitus productus per primam demonstrationem non attingit totam rationem formalem adæquate intensive, quia effectus non potest excedere virtutem suæ causæ.

Secundo instabis; habitus, qui facilitat ad rationem formalem in diffinitione repertam, non facilitat ad syllogismum: ergò habitus productus per primam demonstrationem probantem naturam, vel proprietatem diffinitionis, non attingit totam rationem formalem adæquate intensivè, alias facilitaret ad ipsam ut in syllogismo repertam. Probatur antec. Nam potest quis esse facilis in definiendo, & in probando proprietatem diffinitionis, & non esse facilis in construendo syllogismos circa alias materias non enim est assignabilis ratio, quare aliquis non possit esse facilis, & expeditus in probando diffinitionem esse clariorem definito, & non esse facilis in probando, demonstrationem debere procedere ex proprijs, & non posse procedere ex extraneis, nec ex puris negativis: ergò habitus qui facilitat ad rationem formalem in diffinitione repertam, non facilitat ad syllogismum.

Respondetur negando ant. quia licèt actus primæ demonstrationis solum attingat veritatem determinatam, illam tamen attingit sub ratione formali communi omnibus veritatibus, quæ in Logica demonstrantur, & ideò attingit totam rationem formalem, & communem adæquate intensi-

vè, consequenterque potest producere habitum attingentem etiam totam rationem formalem adæquate intensivè.

Dices: actus qui attingit veritatem determinatam sub ratione communi, non potest attingere aliam veritatem distinctam etiam sub eadem ratione communi: ergò nequit producere habitum attingentem unam, & alteram veritatem sub eadem communi ratione.

Respondetur: distinguendo conseq. Ratione sui, concedo conseq. in virtute potentiæ, cuius est causalitas, nego conseqnent. sicut namque actus formaliter transiens potest in virtute potentiæ permanentis producere habitum permanentem, & accidens in virtute substantiæ potest substantiam producere, ita actus determinatus ad veritatem particularem, poterit in virtute potentiæ producere habitum universalem, & potentem attingere illam, & alteras veritates.

Ad secundam instantiam, distinguo antec. non facilitat facilitate formali, nego antec. materiali defectu applicationis, concedo antec. & nagatur conseq. Habitus namque, qui facilitat ad rationem formalem in diffinitione repertam, etiam ad syllogismum, & alia prebet facilitatem formalem, siquidem inclinat ad omnia sub eadem ratione formali, quamvis non facilitet ad syllogismum, & alia materiali facilitate, ad quam habendam requiritur applicatio ad illius cognitionem quapropter non potest quis esse facilis formaliter in diffiniendo, & non esse facilis facilitate formali circa alia objecta, quæ in Logica continentur; & si ille, qui facilis est in diffiniendo, difficultatem habet in syllogizando, & probando alias veritates Logicæ, talis difficultas solum materialis est defectu specierum, & applicationis, & usus, aliorum vè, quæ requiruntur, ut scientifice alias veritates attingat, & hoc idem tenentur adversarij concedere, nam in quocumque tractatu adquisito habitu per primam demonstrationem circa primam veritatem, adhuc manet intellectus cum difficultate ad cognoscenda alia objecta ad eundem tractatum pertinentia, vel quia nondum habet species illorum, vel quia nondum habet ordinatas; & tamen in sententia contrariorum non requiritur novus habitus ad talem difficultatem vincendam, quia pure extrinseca, & materialis est, & provenit ex defectu specierum, vel ordinationis illarum, vel applicationis ad objectum, & non ex defectu habitus primo adquisiti ex illo tunc

in-

inclinantis ad omnia illa attingenda.

Sed instabis: Potest prima demonstratio primam veritatem probare non sub ratione communi, sed sub ratione peculiari propria definitionis, & non communi ad ipsam, & syllogismum; sed in hoc eventu non potest producere habitum facilitatem ad rationem communem, ut in syllogismo repertam: ergò potest habitus facilitare ad rationem formalem in diffinitione repertam, quin facilitet ad syllogismum, & illius proprietates. Probatur mai. Potest prima demonstratio probare diffinitionem esse convertibilem cum diffinito, & esse idem cum illo; sed hoc non competit diffinitioni, quia sit modus sciendi, sed quia talis est, vel quia est diffinitio: ergò potest prima demonstratio primam veritatem probare, non sub ratione communi, sed sub ratione particulari, & propria diffinitionis.

Respondetur, distinguendo mai. sub ratione particulari ex parte rationis quæ, concedo mai. Sub qua, nego mai. min. & conseq. Licèt namque prima demonstratio, qua probaretur proprietas singularis diffinitionis, vel alterius artificij logicalis attingeret diffinitionem, & illius proprietatem secundum rationem particularem ex parte rationis quæ; ratio tamen sub qua semper esset ratio communis modi sciendi, quæ sola est ratio formalis objecti constitutiva, & ita debet movere, & formaliter se habere ad omnem Logicæ actum, ita quod nullus possit à Logica procedere nisi sub illa ratione: sicut intellectus cognoscit differentiam individualem, convenientem Petro, quia talis homo est, ex parte rationis quæ, & omnia alia propria aliorum objectorum, semper tamen omnia hæc ex parte rationis sub qua sub ratione entis attingit.

Tandem arguitur: nam casu quo circa primam conclusionem habeat quis habitum scientiæ, & circa secundam conclusionem habeat habitum erroris, per secundam demonstrationem debet habitus scientiæ produci: ergò in Logica possunt dari plures habitus. Probatur antec. Habitus erroris non potest expelli nisi per habitum scientificum per secundam demonstrationem productum: ergò per illam debet produci habitus scientiæ. Probatur antec. Habitus erroris non potest expelli per habitum productum per primam demonstrationem, siquidem cum illo comparitur: ergò non potest expelli nisi per habitum per secundam de-

monſtrationem productum.

Reſpondetur negando duo antec. prima, & ad probationem diſtinguo antec. Per habitum ſecundum ſe, concedo antec. ut applicatum ad ſecundam veritatem, nego ant. & conſeq. Quia habitus erroris expellitur per habitum ſcientiæ per primam demonſtrationem productum, non quidem ſecundum ſe, ſed ut applicatum de novo per ſecundam demonſtrationem ad ſecundam veritatem.

Sed inſtabis: Habitus erroris nullo modo poteſt expelli per habitum productum per primam demonſtrationem: ergò ſolutio nulla eſt. Probatur antec. Habitus primæ demonſtrationis non ſe extendit ad ſecundam concluſionem, alias antecedenter ad ſecundam demonſtrationem habitum erroris expelleret: ergò habitus erroris nullo modo poteſt expelli per habitum ſcientiæ productum per primam demonſtrationem.

Secundò inſtabis: Habitus erroneus ſolum expelli poteſt per habitum ſcientificum receptum in eadem virtualitate, ſicut frigus ſolum poteſt expelli per calorem receptum in eadem parte ſubjecti; ſed habitus primæ demonſtrationis non recipitur in illa virtualitate, in qua erroneus exiſtit, alias ſpecificè mutaretur, quia antecedenter non erat in illa virtualitate, ſed in alia diſtincta, conſequenterque ſi modo recipitur in virtualitate prædicta erit ſpecie diſtinctus, eo quod ſimul exiſteret in duabus virtualitatibus, & accidentia, quæ ſunt in ſubjecto ſecundum diverſas virtualitates ſpecie, & numero diſtinguntur.

Reſpondetur ad primam, negando antec. & ad primam probationem dicimus, habitum per primam demonſtrationem productum radicalitèr extendi ad ſecundam concluſionem; ut tamen antecedenter expelleret habitum erroris, debebat etiam formalitèr extendi ad ſecundam concluſionem, quam quidem extenſionem antecedenter non habebat.

Dices: Lumen primorum principiorum radicalitèr extendis ad omnes concluſiones logicæ; & tamen nunquam expellit habitum logicæ circa eaſdem concluſiones: ergò nec habitus ſcientiæ poterit expellere habitum erroris circa ſecundam concluſionem, quamvis radicalitèr extendatur ad illam.

Sed negatur conſeq. Quia lumen principiorum ſolum radicalitèr remote extenditur ad concluſiones Logicæ, non verò radicaliter proximè, eo quod ſo-

ſolum inclinat proximè in rationem formalem propriam, & non in rationem formalem Logicæ, nec illam unquam attingit; habitus verò Logicæ per primam demonſtrationem productus radicaliter proximè inclinat ad cæteras concluſiones, quia inclinat proximè in unam rationem formalem, ſub qua omnes continentur, & ideo diſpar eſt ratio.

Ad ſecundam inſtantiam, diſtinguo mai. in eadem virtualitate, ut una cum præcedenti, concedo mai. ut à præcedenti diſtincta, nego mai. & diſtinguo min. ut diſtincta à præcedenti, concedo min. ut una, & eadem, nego min. & conſeq. Quamvis namque habitus ſcientificus per ſecundam demonſtrationem applicatus ad ſecundam veritatem recipiatur in illa virtualitate, à qua expellit erroneum, non propterea diſtinctus habitus eſt, quia non recipitur in ſubjecto ſecundum diverſas virtualitates, nam ex virtualitate nova, & altera præcedente fit una, & eadem totalis, & adæquata reſpectu habitus ſcientifici ut extenſi, & applicati ad utramque concluſionem.

*** *** *** ***
*** *** ***
*** ***

ARTICULUS VII.

Vtrùm objectum Logicæ ſit ens rationis?

§. I.

Quibuſdam ſuppoſitis ſtatuitur prima concluſio.

IN difficultate iſta graviſſima, quæ gravior effecta eſt varietate ſententiarum, & modis diverſis, difficilimiſque diſcurrendi circa ſubſtantiam objecti logicæ, & illius proprietates: ante omnia præmittendum eſt, ſubjectum, objectum, & materiam ſcientiæ per ſe primo inſpectam ab illa pro eodem uſurpari, nam objectum dicitur, ſecundum quod objicitur ſcientiæ, ut ab ea cognoſcatur, ſubjectum vero nominatur, non quia ſcientia recipiatur in illo, ſed quia paſsiones de illo demonſtrat; materia autem appellatur, quia eſt id, circa quod ſcientia verſatur.

Secundò notandum eſt: objectum ſcientiæ aliud eſſe materiale, & aliud eſſe formale; materiale, quidem dicitur illud, quod non ratione ſui attingitur, ſed ratione objecti formalis, ſicut corpus attingitur à potentia viſiva ratione coloris, formale verò illud eſt, quod

quod per ſe, & ratione ſui attingitur ab habitu, vel potentia, ſicut color eſt objectum formale potentiæ viſivæ, quia per ſe, & ratione ſui attingitur ab illa.

Tertiò ſupponendum eſt: objectum aliud eſſe primarium, quod ratione ſui, & independenter ab alio attingitur ab habitu, vel potentia; aliud eſſe ſecundarium, quod ſolum attingitur à potentia, vel habitu dependenter ab objecto primario, & per ordinem ad ipſum, qualiter ens rationis eſt objectum ſecundarium metaphiſicæ, à qua attingitur per ordinem ad ens reale, & dependenter ab illo.

Quartò ſupponendum eſt: objectum primarium, aliud eſſe attributionis; & aliud principalitatis. Objectum attributionis eſt illud, cui attribuuntur omnia, quæ in ſcientia pertractantur, & de omnibus illis, ſivè in recto, ſivè in obliquo prædicatur tale objectum; omnia quippè objecta ſcientiæ ordinantur ad objectum attributionis, & ad cognitionem perfectiſsimam illius, ſicut omnia, quæ tractantur in metaphiſica ordinantur ad perfectam cognitionem entis realis, & omnia, quæ in theologia pertractantur ordinantur ad Deum. Propterèaque ens reale eſt objectum primarium attributionis Metaphiſicæ, & Deus reſpectu Theologiæ.

Objectum autem principalitatis dicitur illud, cuius cognitio principalitèr intenditur inter omnia illa objecta, quæ continentur ſub objecto attributionis, ſicut objectum principalitatis Metaphiſicæ, eſt ſola ſubſtantia, quatenus eius cognitio inter omnia entia realia principalitèr deſideratur.

Quinto ſupponendum eſt: Finem proximum, & intrinſecam Logicæ, eſſe cognitionem modi ſciendi, & proprietatum illius, verum quia modus ſciendi alius eſt formalis, conceptus videlicèt intellectus ordinatè repræſentantes objecta, & alius objectivus, quæ ſunt ipſa objecta ordinata, ut lite adhuc manet quiſnam illorum poſsit, vel debeat eſſe objectum Logicæ primarium, cuiuſque cognitio ſit finis intrinſecus Logicæ.

Sextò ſupponendum eſt: finem mediatum Logicæ tamen proprium eſſe, dirigere operationes intellectus, in qua tamen directione concurrunt plura, voces videlicèt ſignificantes, & conceptus formales, qui ſunt actus, & conceptus intellectus, & etiam objecta repræſentata, quæ conceptus objectivi appellantur, & quia omnia hæc poſſunt dirigi per actiones intellectus, ultra ea, reperitur etiam in directione prædicta, actio di-

rigens, vel directiva intellectus, & extrinseca denominatio, qua per talem actionem extrinsecè directa denominantur: Datur insuper intrinseca forma rationis, quæ ex tali directione resultat in conceptibus ordinatis, per quam omnes intrinsecè disponuntur in modum artificij logicalis, & intrinsecè manent ad invicem ordinati, ex qua rerum conjunctione oritur diversitas sententiarum, nedum circa objectum formale, verum etiam circa materiale objectum, ad cujus pleniorem intelligentiam.

Septimo notandum est: omnia entia, sivè realia, sivè rationis pertinere quidem ad objectum Logicæ materiale, quia omnia ea possunt denominari, ab intentione aliqua rationis ad Logicam pertinente, nam intentiones logicales sunt intentiones subjecti, vel prædicati, generis, vel differentiæ, & hujusmodi aliæ intentiones, quæ in Logica recensentur, & nullum est reale, vel rationis, quod ab aliqua illarum non possit denominari, & ratione illius à Logica attingi: undè Angelic. Præcept. 4. Metaph. lect. 4. & 1. Poster. lect. 20. cum Aristotel. affirmat, Logicum agere de omni ente, sicut etiam metaphisicum, quatenus secundus considerat res sub ratione entis, quæ in omnibus rebus invenitur, & primus agit de forma rationis, aqua nullum est objectum, quod denominari non possit.

Et si dicas: non benè pro objecto Logicæ materiali assignari ea, quæ sunt materia propria aliarum scientiarum, quæ agunt de ente reali, nam diversæ scientiæ diversa materia assignari debet: ergò entia realia, quæ sunt aliarum materia, non benè assignantur pro objecto Logicæ materiali.

Respondetur: distinguendo anteced. prout aliarum materia, concedo anteced. Sub alia consideratione, nego anteced. & conseq. Nam entia realia quatenus cognoscibilia sunt in se, & per speciales causas, pertinent ad alias scientias, ad Logicam verò pertinent, quatenus disponuntur in modum artificij logicalis, vel ordinantur ad ipsum, undè materia formalitèr diversa est, & materialitèr eandem esse, nullam repugnantiam involvit.

Ex eadem doctrina constat operationes intellectus, quatenus ab objectis distinguntur pertinere etiam ad objectum materiale, in quo unanimitèr Scholastici conveniunt, ipsumque docuit An-

ge-

gelic. Præcept. in principio Poster. per ea verba: *Ars quædam necessaria est, quæ sit directiva ipsius actus rationis, per quam homo in ipso actu rationis facilitèr, & ordinatè, & sine errore procedat: & hæc est ars Logicæ, id est rationalis scientia*: in quibus verbis, & doctrina nostra, & illius ratio probativa continetur, nam sola Logica, quæ cognoscit, cui debetur intentio subjecti, & intentio prædicati, intentio generis, vel intentio differentiæ, potest intellectum dirigere, ut objectum cum intentione rationis sibi debita, & non cum altera attingat: In quo amplius immorari non licèt, quomodo namque Logica dirigat operationes intellectus, ad Dialecticam disputatam differimus, ut ad longum ibi de difficultate ista dicamus.

His igitur prænotatis, asserit prima sententia: objectum formale Logicæ, de quo major est difficultas, esse aliquid reale, quæ sententia est omnium ferè Jesuitarum, & communis extra Scholam Div. Thom. cujus tamen Authores illius defensione dividuntur, aliqui namque defendunt objectum formale Logicæ esse actus intellectus, & conceptus formales, quatenus conformantur objectis, quæ conformitas realitèr in conceptibus, & actibus invenitur: alij verò sentiunt, objectum formale esse conceptos objectivos, ut dirigibiles per actionem intellectus in virtute Logicæ scientiæ, alij autem dicunt esse ipsos conceptus objectivos ut extrinsecè directos, quæ omnia aliquid reale sunt in conceptibus, & objectis.

Secunda sententia affirmat: objectum formale Logicæ esse secundam intentionem rationis resultantem in rebus ordinatis per actionem intellectus; hæc est omnium Thomistarum, quibus adhærent Scotistæ, & alij extra Scholam Div. Thom. pro quo sit.

§. II.

PRIMA CONCLUSIO.

Objectum formale Logicæ non est aliquid reale.

CConclusionem istam esse mentem Div. Thom. manifestum est apud omnes, & constabit ex dicendis in secunda conclusione, modo autem ratione illam probamus: Quia non est dabilis specialis abstractio sub qua ens reale possit Logicam specificare: ergò ens reale nequit esse Logicæ objectum, nam ob-

objectum Logicæ ſub aliqua ſpeciali abſtractione ſpecificare debet Logicam, & per ipſam attingi. Antecedens probatur. Omnis abſtractio poſſibilis enti reali debet eſſe, vel à materia ſenſibili, vel à materia ſingulari, vel ab omni materia poſitivè, aut ab omni materia negativè propter perfectionem objecti; ſed ſecundum primam abſtractionem ſpecificat Mathematicas, ſub ſecunda Philoſophiam, ſub tertia Metaphiſicam, ſub quarta Theologiam: ergò nulla eſt dabilis abſtractio, ſub qua Logicam ſpecificare poſſit.

Reſpondebis: ens reale poſſe Logicam ſpecificare ſub abſtractione ab omni materia negativè propter imperfectionem, eo quod ſecundum iſtam abſtractionem non conſideratur ens reale ab altera ſcientia.

Sed contra eſt: Quia prædicta abſtractio non eſt poſſibilis enti reali: ergò ſub ea Logicam ſpecificare non poteſt. Probatur antecedens. Abſtractio ab omni materia, in quocumque ente reali debet fundari in illius perfectione, nam abſtractio ab omni materia in ente reali debet neceſſario fundari in poſitiva immaterialitate, quam habet, ratione cujus abſtrahit à materia, & conſequenter ſundari debet in illius perfectione: ergò abſtrahere ab omni materia propter imperfectionem non eſt poſſibile enti reali.

Explicatur impugnatio prædicta: abſtractio ab omni materia in ente reali debet fundari in elevatione ſupra materiam: ergò debet fundari in illius perfectione, conſequenterque nullum ens reale poterit abſtrahere propter imperfectionem ab omni materia. Probatur antecedens. Abſtractio ab omni materia in ente reali non poteſt fundari in inferioritate ad materiam, eo quod nullum ens reale abſtrahens à materia poteſt eſſe ad materiam inferius: ergò debet fundari in elevatione, & ſuperioritate ad materiam.

Secundò probatur concluſio noſtra ratione: objectum formale Logicæ conſiſtere debet in aliquo ex illis, quæ concurrunt ad directionem intellectus, cum Logica ſit directiva rationis; ſed in nullo reali ex his, quæ prædictam directionem ingrediuntur, conſiſtere poteſt: ergò objectum formale Logicæ non poteſt eſſe reale. Probatur minor. Objectum formale Logicæ debet eſſe forma illa per quam formaliter conſtituitur artefactum Logicale, nam objec-

jectum cujuscumque artis est forma constitutiva artefacti, quod per talem artem producitur, sicut patet in arte domificatoria, cujus objectum formale est intrinseca dispositio, qua partes domus ordinantur, & totum constituitur artefactum, ipsa videlicèt domus, & idem in quacumque arte cernere licèt; sed nihil reale ex his, quæ prædictam directionem ingrediuntur, potest esse forma constitutiva artefacti Logicalis: ergò in nullo reali ex his, quæ prædictam directionem ingrediuntur, potest consistere objectum Logicæ formale.

Probatur minor. Forma constitutiva artefacti logicalis ea est, per quam partes artificij, v. g. definitionis intrinsecè disponuntur, & ad invicem ordinantur; sed talis ordo nequit esse realis: ergò nihil reale ex his, quæ directionem intellectus ingrediuntur potest esse forma constitutiva artefacti Logicalis. Probatur minor. Quia animal, & rationale, quæ sunt partes definitionis identificantur realitèr; sed ejusdem ad se ipsum realitèr non est relatio realis: ergò ordo inter prædictas partes inventus non potest esse realis.

Confirmatur, & explicatur: quia objectum Logicæ formale debet esse forma illa, qua partes artefacti ad invicem disponuntur; sed talis forma est generis, vel speciei medij, vel extremitatis, majoris, vel minoris, quæ omnes sunt formæ rationis, & præter tales formas nihil reale intrinsecè artificium disponit: ergò objectum formale Logicæ non potest esse reale.

Tertiò probatur conclusio sententias contrarias per ordinem impugnando: quia objectum formale Logicæ non potest consistere in conceptibus formalibus, & objectivis, quatenus dirigibiles sunt, nec in illis quatenus extrinsecè directi denominantur: ergò nequit consistere in aliquo reali ex illis, quæ directionem intellectus ingrediuntur. Probatur anteced. Quantum ad primam partem primò. Quia objectum formale Logicæ est forma, quam in materia introducit, sicut objectum formale artis domificandi, vel pingendi est forma illa, quæ per tales artes introducitur in materia; sed dirigibilitas conceptus, tàm formalis, quàm objectivi non introducitur in ipsis per Logicam, siquidem talis dirigibilitas nihil aliud est, quam capacitas illorum ut per artem dirigantur, & capacitas prædicta convenit illis ab intrin-

trinſeco, & per propriam eorum naturam: ergò objectum formale Logicæ non poteſt conſiſtere in conceptibus formalibus, & objectivis, quatenùs dirigibiles ſunt. Quod utique conſtare poteſt in exemplo artis domificatoriæ, cujus objectum formale non ſunt lapides, & ligna, quatenùs dirigibilia per artem, quod quidem habent antequam objectum artis domificandi exiſtat in rerum natura.

Secundò probatur antec. principale. Quia objectum formale Logicæ ſunt inſtrumenta Logicalia, diffinitio videlicèt, diviſio, & argumentatio, & alia; ſed conceptus, ut dirigibiles licèt poſſint eſſe, non tamen defacto ſunt inſtrumenta Logicalia: ergò in conceptibus quatenus dirigibiles ſunt, conſiſtere non poteſt objectum formale Logicæ.

Quantum ad ſecundam verò partem, non poſſe ſcilicèt objectum formale Logicæ conſiſtere in conceptibus formalibus, & objectivis, ſecundum quod extrinſecè directi denominantur; probatur principale anteced. Quia objectum formale Logicæ eſt forma, qua conſtituitur artefactum Logicale v. g. ſyllogiſmus, ſed forma conſtitutiva artefacti Logicalis non poteſt eſſe extrinſeca denominatio proveniens ab actione directiva: ergo objectum formale Logicæ conſiſtere non poteſt in conceptibus ut extrinſecè directis. Probatur minor. Nullum artefactum conſtituitur formalitèr per extrinſecam denominationem provenientem ab actione, qua producitur, alias conſtitueretur per eandem actionem, qua fit, ſiquidem denominatio extrinſeca non eſt realitèr ab actione diſtincta: ergò nec forma conſtitutiva artefacti Logicalis poteſt eſſe denominatio extrinſeca proveniens ab actione directiva.

Probatur ſecundò ad hominem contra aliquos ex adverſarijs; nam ipſi aſſerunt, nullam formam rationis poſſe eſſe objectum formale Logicæ, quia nulla poteſt conſtituere artefactum logicale in ratione inſtrumenti cauſantis realitèr ſcientiam; ſed hoc idem habet extrinſeca denominatio, quando quidem ratione ſolius denominationis extrinſecæ non poteſt aliqua cauſa realitèr, & intrinſecè effectum continere, eo quod intrinſeca continentia provenire debet ab aliqua forma intrinſeca: ergò objectum Logicæ formale non poterit conſiſtere in prædicta continentia.

Ex

Ex quo fit: objectum Logicæ formale, non posse consistere in actione directiva intellectus, propter rationes adductas, & insuper quia nulla potentia, vel habitus, aut ars habet pro objecto formali proprias actiones, sicut objectum formale potentiæ visivæ non est actualis visio, nec volitio est objectum voluntatis, nec operationes artis domificatoriæ, vel pictoriæ sunt verè illarum objecta.

§. III.

Argumentis contra conclusionem istam occurritur.

ARGUITUR primò contra conclusionem prædictam, & specialiter contra primam partem illius: Quia actus, & conceptus intellectus, ut dirigibiles sunt objectum formale Logicæ directivæ, tàm conceptus, quàm actus; sed prout sic sunt entia realia: ergò objectum formale Logicæ est aliquid reale. Probatur major. primò. Objectum formale intellectus est ens intelligibile, & amabile est objectum formale voluntatis: ergò actus, & conceptus intellectus, ut dirigibiles debent esse objectum formale Logicæ directivæ.

Secundò probatur major. Sicut comparatur dirigens ad directum, comparatur directivum ad dirigibile; sed objectum formale actus dirigentis est directum: ergò objectum formale Logicæ directivæ debet esse dirigibile, proindeque conceptus, & actus intellectus, ut dirigibiles erunt objectum formale Logicæ.

Tertiò probatur major. Actus, & conceptus intellectus attinguntur à Logica, quia dirigibiles sunt, & quia possunt disponi in modum artificij Logicalis, sicut intellectus versatur circa ens, quia ipsum est intelligibile, & potest per intellectum cognosci; ergò actus, & conceptus ut dirigibiles sunt objectum formale Logicæ, siquidem attinguntur ab ipso ratione dirigibilitatis, illud verò ratione cujus aliquod materiale attingitur à potentia, vel habitu, se habet ut objectum formale.

Quartò probatur major. Quia actus, & conceptus quatenus dirigibiles sunt objectum formale alicujus scientiæ. nam prout sic sunt verè scibiles; sed non alterius quam Logicæ: ergò sunt objectum formale Logicæ.

Respondetur ad argumentum, negando major. & ad primam probationem negatur conseq. Quia ens intelli-

li-

ligibile, & bonum amabile non ſolum dicunt capacitatem, ut unum extrinſecè intelligatur, & aliud extrinſecè ametur, ſed inſuper in ſe ipſis habent unum quidem intrinſecam intelligibilitatem, & veritatem, quæ per ſe, & ratione ſui inſpicitur ab intellectu, & alterum bonitatem quæ ratione ſui amatur à voluntate; ſed conceptus, & actus intellectus quatenus dirigibiles ſunt, non habent in ſe ipſis rectitudinem intrinſecam modi ſciendi, quam per ſe primo Logica intendit, ſed ſolum capacitatem ad formam prædictam, & ad extrinſecam denominationem provenientem ab actione directiva, propterea que non poſſunt eſſe objectum formale Logicæ, quod per ſe, & ratione ſui intenditur, & attingitur ab illa.

Ad ſecundam probationem diſtinguo major. Ly ſicut dicente aliqualem paritatem, concedo maj. in omnibus parificante, neg. maj. Quia proportio ſolum ſalvatur in eo, quod materia directivi eſt dirigibile, ſicut materia dirigentis eſt directum, nam ſicut quod attingit exercitè dirigens eſt res directa, ita quod reſpicit directivum eſt dirigibile per ipſum, non tamen poteſt proportio conſiſtere in eo, quod objectum directivi ſit dirigibile, ſicut directum eſt objectum dirigentis, quia idem debet eſſe objectum formale habitus, & actus, & conſequenter directivi, & dirigentis, undè probatio forſtaſſe probat oppoſitum.

Ad tertiam diſtinguo anteced. Ly quia dicente rationem primariam attingendi, nego anteced. Secundariam, concedo anteced. & negatur conſeq. Nam licèt conceptus, & actus quatenus dirigibiles attingantur à Logica, non tamen ratione dirigibilitatis primario attinguntur ab illa, ſed ſolum ſecundario, quatenus dirigibilitas non eſt ratio formalis attingendi tales conceptus, niſi dependenter à forma rationis, qua poſſunt intrinſecè dirigi, & per ordinem ad ipſam, ſicut lapides, & ligna quatenus dirigibilia per artem ſolum ſecundario conſiderantur ab arte domificandi per ordinem, & attributionem ad formam artificialem, quam in ipſis introducere intendit. Undè conceptus, & actus quia dirigibiles, ſolum ſecundario attinguntur à Logica.

Ad 4. probationem negatur maj. Quia conceptus, & actus non quæruntur propter ſe, ſed ſolum deſiderantur propter intrinſecam directionem,

bem, & formam per se primo intentam ab habitu, & ideò actus, & conceptus quatenus dirigibiles reduplicativè non possunt scientiam specificare, quamvis sub alia ratione ad alteram scientiam possint primario pertinere.

Sed instabis: Conceptus, & actus intellectus per se primo intenduntur per Logicam, & illius habitudinem terminant: ergò debent pertinere ad objectum formale specificativum illius. Probatur anteced. primò. Quia Logica per se primo traddit regulas, & præcepta ad dirigendos conceptus, & operationes intellectus; sed hæc doctrina, & traditio regularum non respicit conceptus, & actus ut actu directos, sed solum quatenus sunt dirigibiles: ergò quatenus tales primario intenduntur à Logica, & terminant habitudinem illius.

Secundò probatur anteced. Actus voluntatis, ut moralitèr dirigibiles intenduntur per se primo à Philosophia morali; hæc namque per se primo intendit voluntatem dirigere, & actus illius debitè ordinare: ergò etiam conceptus, & actus intellectus, quatenus sunt dirigibiles intenduntur per se primo à Logica, & terminant habitudinem illius.

Respondetur ad replicam, negando anteced. & ad primam probationem distinguo minor. ut directos per se primo in executione, concedo minor. in intentione, nego minor. & conseq. Quia licèt conceptus quatenus dirigibiles sint prius in executione, solum tamen ipsi ut intrinsecè directi sunt finis per se primo intentus à Logica: undè illorum actualis, & intrinseca directio per se primo intenditur per doctrinam, & præcepta logicalia, sicut forma substantialis per se primo intenditur per actionem generantis, quamvis in executione dispositiones præcedant.

Ad secundam probationem anteced. negatur anteced. Quia objectum Philosophiæ moralis non sunt actus voluntatis, quatenus dirigibiles, sed solum objectum primarium illius est ens morale objectivum, nam Philosophia Moralis per se primo docet, quæ nam objecta sunt vitanda quæ namque fugienda, ut ita voluntas alia reliquat, & tendat ad alia.

Secundò respondetur: objectum illius non esse actus quatenus dirigibiles, sed solum quatenus actu directos. secundum quam rationem sunt actu morales, & hanc moralitatem intendit in illis per

se

se primo Philosophia Moralis, cujus intentum principale est, quod actus voluntatis honestatem habeant, & legi conformentur.

3. respondetur: Actus voluntatis non procedere efficienter à Philosophia Morali, & ita mirum non est, quod sint objectum illius, à Logica tamen efficienter procedunt, & consequenter non poterunt esse illius objectum, nam implicat actum sub nulla formalitate esse objectum habitus, à quo efficienter procedit.

Dices: ergò actus aliarum scientiarum, quatenus per Logicam dirigibiles poterunt esse ejus objectum formale, quando quidem tales actus non procedunt efficienter à Logica.

Respondetur: negando conseq. Quia actus aliarum scientiarum quatenus dirigibiles à nulla scientia possunt principaliter intendi, nam scientia debet intendere per se primo intrinsecam directionem, eo quod scientia per se primo intendit scientificam cognitionem objecti, & scientifica objecti cognitio solum habetur ratione intrinsecæ directionis, ratione cujus habent conceptus ignotum manifestare.

Dices contra solutionem datam, & totâm doctrinam antecedentem: quod scientia quælibet per se primo intendit cognitionem scientificam veritatis; sed cognitio scientifica veritatis est verus actus realis: ergò aliquid reale est intentum per se primo à quacumque scientia, proindeque erit objectum formale cujuscumque.

Respondetur: primarium intentum subjectivè, & ut quo in quacumque scientia esse cognitionem scientificam veritatis, non tamen primarium intentum objectivum, & per modum rei cognoscibilis, & solum hoc secundum potest esse formale scientiæ specificativum.

Secundò arguitur, & specialiter contra alteram partem conclusionis conceptus objectivi, ut extrinsecè directi pertinent ad objectum formale Logicæ; sed ut sic aliquid reale sunt: ergò objectum formale Logicæ est aliquid reale. Probatur maj. conceptus illi ut extrinsecè directi sunt artificiosè dispositi: ergò objectum formale Logicæ. Nam objectum Logicæ formale debet esse artificium Logicale. Probatur anteced. Paries extrinsecè visus, denominatur visus formaliter, & objectum cognitum extrinsecè, denominatur formaliter

cognitum: ergò conceptus objectivi ut extrinſecè directi denominantur formaliter artificiosè diſpoſiti.

Reſpondetur: conceptus objectivos ut extrinſecè directos denominari formaliter diſpoſitos extrinſecè, & in fieri ab actione intellectus dirigente, & diſponente, ſicut paries dicitur extrinſecè viſus ab actione videntis, & objectum extrinſecè cognitum ab actione cognoſcente; non tamen conceptus objectivi denominantur intrinſecè, & in facto eſſe diſpoſiti ab extrinſeca directione, ſed ſolum à forma intrinſeca in illis reſultante, quæ quidem non realis, ſed formi rationis eſt, & illa ſola conſtituere debet objectum formale Logicæ, nam illam Logica per ſe primo intendit introducere in conceptibus objectivis, & ad eam tanquam ad finem proprium ordinatur per ſe primo.

Sed inſtabis primo: illa extrinſeca directio, ratione cujus conceptus objectivi extrinſecè diſponuntur formaliter, ſpecificare poteſt habitum Logicæ: ergò conceptus ut extrinſecè diſpoſiti pertinere poterunt ad objectum Logicæ formale. Probatur antecd. Bonitas finis extrinſecè afficiens media ſpecificat actum aliquem voluntatis, videlicèt ſpecialem electionem in ſententia probabili Thomiſtarum; ergò etiam directio extrinſeca reperta in conceptibus objectivis ſpecificare poterit habitum Logicæ.

Secundò inſtabis: per extrinſecam diſpoſitionem conſtituuntur conceptus in ratione inſtrumenti cauſativi ſcientiæ: ergò ut ſic diſpoſiti pertinent ad objectum formale. Probatur anteced. primo. Per extrinſecam directionem conſtituuntur termini diſpoſiti in modo, & figura, & ſyllogiſmus ex vi prædicta diſpoſitionis conſtat ex primis, veris, cauſiſque concluſionis: ergò per extrinſecam diſpoſitionem conſtituuntur conceptus objectivi in ratione inſtrumenti cauſativi ſcientiæ.

Secundò probatur anteced. cum hac ſola extrinſeca directione hic ſyllogiſmus: omne admirativum eſt riſibile: omnis homo eſt admirativus: ergò omnis homo eſt riſibilis: eſt bona, & infallibilis conſeq. ſiquidem in tali ſyllogiſmo non poteſt dari antec. verum, & conſequens falſum: ergò per illam extrinſecam directionem conſtituuntur conceptus in ratione inſtrumenti cauſativi ſcientiæ.

3. probatur anteced. Nam per hoc quod intellectus affirmet unum de alio, nulla inter-

terveniente forma rationis, resultat vera propositio, & partes illius intelliguntur habere rationem subjecti, copulæ, & prædicati; & per hoc præcisè quod intellectus cognoscat extremitates ut connexas cum medio, potest moveri ad inferendam connexionem extremitatum inter se: ergò idem quod priùs.

Respondetur ad primam replicam negando anteced. & ad probationem, negatur conseq. Qua voluntas fertur ad res prout sunt in se, & non ponit bonitatem in objecto, sed illam in objecto supponit, undè si objectum tantum habet extrinsecam bonitatem, voluntas tendit in ipsum, quatenus gaudet bonitate prædicta, & propterea aliquis actus voluntatis specificari poterit ab extrinseca bonitate, Logica verò tendit in proprium objectum, ipsum efficiendo, & introducendo formam in materia, & hoc primo per se intendit, sicut quælibet ars per se primo intendit, formam in propria materia introducere, & talem solum formam habet pro objecto formali.

Secundò poterat dici: extrinsecam bonitatem tantum posse specificare actum secundarium voluntatis, & virtutis moralis per se primo solum respicientis objectum honestum intrinsecè, ex quo solum potest inferri, extrinsecam directionem posse specificare actum secundarium Logicæ (quod non negamus) non tamen actum primarium.

Ad secundam instantiam respondetur distinguendo anteced. in ratione instrumenti vialitèr, & in fieri, aut fundamentalitèr, concedo anteced. in facto esse, & formalitèr, nego anteced. & conseq. sicut namque paries per actionem de albantis, & extrinsecam denominationem inde provenientem, dicitur albus in fieri, sed in facto esse solum dicitur albus per albedinem receptam intrinsecè, & sicut domus per actionem artificis solum habet esse artefactum in fieri, sed in facto esse constituitur per formam intrinsecam, & ordinem productum in partibus, ita per extrinsecam directionem constituuntur conceptus objectivi in ratione instrumenti causativi scientiæ vialitèr, & in fieri, & dispositi in modo, & figura eodem modo, & syllogismus constans ex veris, causisque, conclusionis; sed formalitèr, & in facto esse solum hoc habent per formam rationis intrinsecè introductam in illis, non enim datur syllogismus formalitèr,

niſi præmiſſæ cognoſcantur cum ordine ad concluſionem, & unus terminus cum ordine ad alterum, quod completè, & in facto eſſe per formam rationis habetur.

Ad ſecundam probationem dicimus, quod ratione ſolius extrinſecæ directionis non datur antec. nec conſequens formalitèr, ſed tantum fundamentalitèr, & in fieri, & ſyllogiſmus tantum erit conſeq. & bona conſeq. in fieri, & fundamentalitèr, ſed non in facto eſſe, & formalitèr; hoc enim fit per formam rationis intrinſecè introductam in conceptibus objectivis, ut vidimus.

Ad tertiam probationem ejuſdem antec. ex eadem doctrina conſtat, ex vi directionis extrinſecæ ſolum dari propoſitionem fundamentalitèr, & in fieri, formalitèr namque conſtituitur per intentionem intrinſecam ſubjecti, copulæ, & prædicati, quæ producitur ab intellectu, & ſimil tèr per hoc quod intellectus cognoſcat extremitates eſſe connexas cum medio, ſolum fundamentalitèr, & in fieri poteſt moveri ad aſſenſum concluſionis, ſed formalitèr, & in facto eſſe ſolum movetur, quando intelligitur forma rationis intrinſeca in extremitatibus ipſis.

Alijs terminis poterat dici; per extrinſecam directionem conſtitui conceptus diſpoſitos terminativè in ratione propoſitionis, & in ratione ſyllogiſmi, quatenùs intelliguntur extrinſecè terminare actionem directivam, & artificioſam intellectus, non tamen conſtitui conceptus ipſos diſpoſitos relativè, ut ſe mutuo reſpicientes per modum ſubjecti, & prædicati, concluſionis, & principij, nam hæc diſpoſitio ſolum habetur per relationem rationis intrinſecam ab intellectu factam, & in conceptibus introductam.

Sed inſtabis: Ut conceptus objectivi dicantur ad invicem ordinati formaliter ſufficit extrinſeca directio: ergò ut formalitèr, & completè intelligantur in ratione inſtrumenti cauſativi ſcientiæ, eadem ſufficere debet. Probatur antec. primo. Sola extrinſeca impoſitio ſufficit, ut ſignum ad placitum ordinetur formalitèr ad ſignatum, in probabili ſententia: ergò etiam, ut conceptus dicantur ad invicem ordinati, ſufficiet extrinſeca directio.

Secundò probatur antec. Sola bonitas extrinſeca ſufficiens eſt, ut media referantur ad finem, ut conſtat in mediis putè utilibus, quæ ſolum habent extrinſecam bonitatem de-

desumptam à fine, ad quem utilia sunt; & tamen referuntur ad ipsum: ergò idem de extrinseca directione.

Respondetur ad replicam negando antec. & ad primam probationem, negatur conseq. Quia relatio signi ad signatum est relatio transcendentalis, & ita ad talem relationem fundandam sufficit extrinseca denominatio, sicut extriuseca denominatio sufficit, ut moneta plus, vel minus æstimetur; relatio verò reperta inter partes artificij Logicalis est prædicamentalis relatio, quæ semper fundatur super formam intrinsecam.

Secundò respondetur negando antec. Quia ratione extrinsecæ impositionis non refertur signum formaliter ad signatum, nec ad ipsum formaliter ordinatur, sed solum vialiter, & in fieri; hoc tamen sufficit, ut signum ducat in cognitionem signati, eo quod ratione impositionis extrinsecæ connotat signatum, & connectitur cum illo, quod satis est, ut ducat in cognitionem illius, & hoc, & non aliud admissa sententia intendit.

Ad secundam probationem, negatur conseq. Quia media referuntur ad finem relatione transcendentali, ad quam fundandam sufficit extrinseca denominatio, nam forma extrinseca potest constituere unum in ratione dependentis ab alio, & consequenter fundare potest relationem transcendentalem, relatio verò, qua conceptus objectivi dicuntur ad invicem ordinati prædicamentalis est, nam relatio prædicati respicit subjectum, ut purum terminum, & præmissæ tanquam purum terminum respiciunt conclusionem, & absque dependentia unius ab altero, ad quod forma intrinseca necessario requiritur, quia non potest unum intrinsecè ad alterum referri per formam intrinsecam existentem in alio.

Dices: non videtur assignabilis ratio, quare extrinseca denominatio sufficiat, ut unum specificet aliud, quod habent media purè utilia respectu electionis, & non sufficiat etiam extrinseca denominatio, ut unum relatione prædicamentali referatur ad aliud: ergò ut conceptus objectivi ad invicem referantur relatione prædicamentali, extrinseca denominatio sufficiet.

Respondetur: negando anteced. rario autem ea est, quia ad specificandum nihil aliud requiritur nisi per se primo terminare respectum, & habitudinem alterius, ad quod sufficit denominatio tantum ex-

extrinſeca, ſicut in probabili ſententia Deus ut extrinſecè denominatus à relatione, quam creatura dicit ad ipſum, terminat per ſe primo, & ſpecificat relationem creaturæ, & quia ea denominatio relativa eſt ſecundum conceptum terminandi, ſalvant Authores illius ſententiæ prædictam relationem terminari ad relativum; verum per extrinſecam denominationem non poteſt unum intrinſecè ad alterum referri, & ita ratione denominationis extrinſecæ non poteſt prædicamentali relatione ad alterum ordinari, nam prædicamentalis relatio intrinſece unum ad alterum refert abſque ulla dependentia.

§. IV.

STATUITUR SECUNDA Concluſio.

Objectum formale quod Logicæ eſt aliquid rationis.

CONCLUSIONEM iſtam 4. Metaph. lect. 4. docuit Angelic. Doct. per ea verba: *Ens eſt duplex, ens naturæ, & ens rationis. Ens rationis propriè dicitur de illis intentionibus, quas ratio ad invenit in rebus conſideratis, ſicut intentio generis, & ſpeciei, & ſimilium, quæ quidem non inveniuntur in rerum natura, ſed conſiderationem rationis conſequuntur; & hujuſmodi ſcilicèt ens rationis eſt propriè ſubjectum Logicæ.* Et in Proœm. Ethicæ ſimilia habet Doct. Angelic. ubi aſſerit, eſſe quendam ordinem, quem ratio non facit, ſed ſolum conſiderat, ut ordo rerum naturalium. Alium eſſe ordinem, quem ratio conſiderando facit in proprio actu, ſicut cum ordinat conceptus ſuos ad invicem. Et infra proſequitur: *Ordo, quem ratio conſiderando facit pertinet: ad Philoſophiam rationalem.* Quæ verba clariſſima ſunt pro ſententia noſtra, nec alijs indigemus, quamvis pluribus alijs in locis eadem repetat Div. Thom.

Reſpondent adverſarij: nomine entis rationis intelligere Div. Thom. ipſos actus intellectus, qui in ipſa ratione ſubjectivè recipiuntur, & verè ſunt entia realia, non tamen intelligere nomine entis rationis illud objectum, quod ratio facit, fingit, & ad invenit in rebus conſideratis.

Hæc tamen ſolutio ipſa ferè ſe ipſam impugnat, quia Div. Thom. loquitur de illis intentionibus, quas ratio ad invenit in rebus conſideratis, quæque in rerum natura non inveniuntur; ſed actus intellectus verè inveniuntur in rerum

rum natura, non ergò de illis loquitur D. Thom.

Rursus: Div. Thom. loquitur de illis intentionibus, & de ordine illo, qui ad considerationem rationis consequitur; sed actus intellectus non consequitur considerationem rationis, sed potius est ipsa consideratio intellectus: ergò idem quod priùs.

3. Quia D. Thom. prædicta entia rationis appellat ibi intentiones intelligibiles; sed actus intellectus potiùs sunt intentiones, quibus intelligimus: ergò non loquitur de actibus intellectus. Quod confirmat eadem doctrina, quam ibi docet D. Thom. siquidem ibidem æquiparat Logicum Metaphisico, quatenus Logicus per se agit de illis intentionibus, quæ possunt attribui enti, de quo Metaphisicus agit; sed actus intellectus non possunt attribui cuicumque enti: ergò non loquitur de actibus intellectus.

Ratione verò probatur conclusio nostra. Quia objectum Logicæ formale (ut vidimus etiam supra) debet esse forma illa, qua formaliter constituitur artefactum Logicale, sicut objectum formale artis pingendi est ordo repertus inter colores, & cætera ex quibus pictura constat, quo quidem ordine constituitur pictura in ratione artefacti talis artis, & objectum formale domus est forma illa intrinseca, qua partes domus ad invicem ordinantur, & ratione cuius constituitur domus in ratione artefacti proprij artis, & universaliter quæcumque ars pro objecto formali habet formam artificialem, quam in rebus introducit; sed forma intrinsece constitutiva artefacti Logicalis solum est forma rationis: ergò objectum formale Logicæ aliquid rationis est. Probatur min. ea forma est formaliter, & intrinsece constitutiva artefacti Logicalis, per quam partes artificij intrinsece disponuntur, & ad invicem ordinantur; sed forma per quam partes artificij Logicalis disponuntur, & ordinantur intrinsece, est sola forma rationis: ergò sola forma rationis est intrinsece constitutiva artefacti Logicalis. Maj. patet. Nam omne artificium constituitur intrinsece per illam formam, per quam partes ipsius artificij intrinsece disponuntur, & min. probatur primò. Nam partes diffinitionis v.g. animal rationale, solum disponuntur intrinsece, & ordinantur in modum diffinitionis, quatenus habent formaliter rationem generis, & rationem differentiæ, eo quod diffinitio constituitur ex genere, & differentia,

ſed intentio generis, & intentio differentiæ ſunt relationes rationis : ergò forma, per quam partes artificij Logicalis diſponuntur, & ordinantur intrinſecè eſt ſola forma rationis.

Secundò probatur minor. forma per quam partes artificij Logicalis diſponuntur, & ordinantur intrinſecè, v.g. animal rationale, in modum diffinitionis, non eſt relatio realis: ergò eſt ſola forma rationis. Probatur antec. Animal, & rationale, quæ ſunt partes artificij diſpoſiti in modum diffinitionis, identificantur realitèr; ſed ejuſdem ad ſe ipſum realitèr non eſt relatio realis: ergò forma per quam partes artificij Logicalis diſponuntur, & ordinantur intrinſecè, non eſt relatio realis.

3. probatur minor. forma, per quam partes diffinitionis prædictæ ad invicem ordinantur, & intrinſecè diſponuntur, eſt forma illa, per quam uniuntur formalitèr; ſed forma prædicta eſt forma rationis: ergò forma per quam partes artificij Logicalis diſponuntur, & ordinantur intrinſecè, eſt ſola forma rationis. Probatur minor. unio inter extrema ſola ratione diſtincta, non poteſt eſſe realis, nam realitèr in diſtincta ſunt idem, ſed non uniuntur realitèr, quia unio realis eſt illorum, quorum unum eſt, & alterum realitèr eſt, & unum realitèr non eſt aliud, quod verum non eſt de illis, quæ realitèr ſunt idem; ſed animal, & rationale non diſtinguntur realitèr, ſed ſola ratione differunt : ergò forma, vel unio, per quam uniuntur formalitèr, eſt ſola forma rationis.

Confirmatur, & explicatur : artefactum Logicale conſtituitur formalitèr, & intrinſecè per formam illam, qua ſubjectum refertur ad prædicatum, & extremitates ad medium, & præmiſſæ ad concluſionem; ſed ordo ſubjecti ad prædicatum, extremitatis ad medium, & præmiſſæ ad concluſionem non eſt aliquid reale : ergò forma conſtitutiva artefacti Logicalis non poteſt eſſe realis, ac proinde non poterit forma realis eſſe objectum formale Logicæ. Probatur minor. ordo ille non invenitur à parte rei, & in ipſa natura rerum, quia animal in re non dicit ordinem ad rationale, nec præmiſſæ objectivæ habent in re ordinem ad concluſionem, ſicut nec natura communis dicit à parte rei ordinem ad inferiora, nec inferiora ad naturam : ergò prædicati ad ſubjectum extremitatis ad medium, & præmiſſæ

ad

ad conclusionem non est aliquid.

Ulterius confirmatur data doctrina: ea forma est objectum formale Logicæ, quam intellectus apprehendit, ut quod in conceptibus objectivis, ut illorum ordinativam; sed forma apprehensa per intellectum, ordinativa illorum non potest esse realis: ergò objectum formale Logicæ non potest esse reale, sed est aliquid rationis. Probatur min. Forma per intellectum apprehensa, ut ordinativa objectorum, non sunt objecta apprehensa, ut ordinata, prout sic enim non sunt forma ordinativa, sed potius apprehenduntur, ut ordinata per formam. Rursus: etiam forma per intellectum apprehensa, ut objectorum ordinativa, non est ipsa ordinata apprehensio intellectus, quæ se ipsam non attingit, ut quod, nec extrinseca denominatio ab apprehensione prædicta, quæ non distinguitur ab actione intellectus apprehendente, sed præter enumerata non est dabilis forma aliqua realis per intellectum apprehensa objectorum ordinativa: ergò forma per intellectum apprehensa illorum ordinativa, non potest esse realis.

§. V.

Solvuntur argumenta contra istam conclusionem.

COntra conclusionem istam poterat in primis argui: quod ens rationis, est objectum secundarium intellectus; sed non est dabilis habitus circa objectum secundarium intellectus: ergò Logica versari non potest circa ens rationis tanquam circa proprium objectum. Min. patet: quia habitus intellectualis est determinatio ad objectum primarium, & formale potentiæ, eo quod habitus dantur ad vincendam difficultatem formalem, & potentiæ circa objectum secundarium nullam habent difficultatem.

Respondetur: ens rationis, ut absolute cognoscibile esse objectum secundarium intellectus, in ratione tamen scientificè cognoscibilis, esse objectum primarium, nam in ratione scibilis, non est tale secundum quid, sed potius est tale simpliciter, sicut ipsum ens reale, unde in ratione scibilis non attingitur ab intellectu dependenter ab ente reali, cuius oppositum contingeret, si in ratione scibilis esset secundarium objectum, & hæc est vera solutio.

Ref-

Respondent alij; potentiam intellectivam, non solum indigere habitu facilitante ad objectum primarium, sed etiam ad objectum secundarium, sicut intellectus respicit secundario verum practicum, & rationes extensionis ad actus aliarum potentiarum, & tamen in intellectu datur habitus prudentiæ; qui primario terminatur ad verum practicum, & specificatur ab illo.

Secundo poterat argui. Quia ens rationis continetur sub abstractione ab omni materia positive, siquidem attingitur à Metaphisica, & nulla scientia potest attingere, etiam secundario objectum non contentum sub illius abstractione, alias excederet propriam rationem formalem; ergò ens rationis non est capax abstrahendi à materia negativè propter imperfectionem objecti, consequenterque, non habet abstractionem sub qua possit esse objectum formale Logicæ, hæc enim alia esse non potest, quam abstractio ab omni materia negativè propter objecti imperfectionem.

Respondetur: quod, ut metaphisica secundario attingat ens rationis, non est necessarium, quod ipsum contineatur subjectivè sub abstractione propria Metaphisicæ, sed satis est importare ordinem ad illam, & ad objectum Metaphisicæ primarium, quod est ens reale. Et instantia est in Theologia, quæ secundario creaturas attingit, & tamen nulla creatura continetur subjectivè, sub abstractione ab omni materia negativè propter perfectionem, quæ est propria abstractio Theologiæ, sed solum terminativè continentur creaturæ sub abstractione prædicta, quatenus per ordinem ad illam, & ad Deum primò cognitum, attinguntur à Theologia.

Tertiò poterat argui: quod duplex scientia circa idem objectum superflua est; sed Metaphisica agit de ente rationis: ergò Logica non poterit ipsum habere pro objecto.

Respondetur, Metaphisicam agere de ente rationis sub ratione communi entis secundum quam rationem habet radicare passiones communes entis, non tamen agere de illo sub ratione particulari, qua per Logicam attingitur, & quatenus radicat passiones proprias modi sciendi, vel alterius artefacti Logicalis, & propterea ad illud sub hac ratione attingendum Logica superflua non est, sed ipsum prout sic pro objecto habere potest. Instantia est in ente mobili naturali, quod sub ratione entis per Metaphisicam attingitur, & quæcumque creatura, & tamen hoc non obest, quod

quod ens mobile naturale ſub abſtractione particulari attingatur à Philoſophia primario, & creaturæ ſecundario attingantur per Theologiam.

Dices: Metaphiſica etiam agit de modo ſciendi, & alijs entibus rationis ſecundum rationes particulares, ſiquidem agit de ente rationis ſecundum rationem communem, & ea ſcientia, quæ agit de ratione communi debet agere de particularibus ſub illa contentis: ergò ad ens rationis ſecundum rationem modi ſciendi attingendum Logica ſuperflua erit.

Reſpondetur: diſtinguendo anteced. ex parte rationis quæ, concedo antec. ſub qua, nego antec. & conſeq. Metaphiſica namque agit de modo ſciendi, & quocumque ente rationis in particulari ex parte rationis quæ, eo quod nulla ratio quantumvis particularis datur non attracta per Metaphiſicam. Non tamen agit Metaphiſica de modo ſciendi, & alijs ſecundum rationes particulares ex parte rationis ſub qua, eo quod ipſa ſolum conſiderat ſub ratione entis, non tamen ſub ratione modi ſciendi, alias ſolum poſſet attingere modum ſciendi, & non alia entia rationis, & ideo relinquitur locus, ut ens rationis ſub ratione alia formali ſub qua particulari poſsit eſſe objectum Logicæ formale, ipſamque ſpecificare.

Quartò arguitur: Scientia realis ſpecificari non poteſt ab aliquo rationis; ſed Logica eſt ſcientia realis: ergò objectum formale illius non poteſt eſſe aliquid rationis. Probatur mai. Specificativum præſtat perfectionem, & ſpeciem; ſed ens rationis non poteſt præſtare perfectionem, & ſpeciem alicui enti reali: ergò ſcientia realis ſpecificari non poteſt ab aliquo ente rationis.

Reſpondetur: negando mai. & ad probationem diſtinguo min. per modum cauſæ formalis intrinſecæ, concedo min. per modum cauſæ formalis extrinſecæ, nego min. & conſeq. Duplex namque eſt ſpecificativum habitus, & ſcientiæ, aut potentiæ intellectivæ, unum quidem intrinſecum, quod eſt ipſa habitudo, vel reſpectus, quem habitus dicit ad objectum, & terminum extrinſecum, & hæc habitudo neceſſario debet eſſe realis, quia nihil aliud eſt, quam ipſe habitus, vel potentia, quatenus reſpicit objectum, & ab illo dependet: aliud autem eſt ſpecificativum, quod extrinſecum eſt, & eſt ipſum objectum, vel terminus habitudinis habitus, & tale ſpecificativum bene poteſt eſſe rationis, quia nulla repugnantia eſt in eo, quod ens rationis ſit objectum,

tum, vel terminus alicujus entis realis, cum ens rationis ſit verè, & ſimplicitèr ſcibile, conſequentèrque poſsit primario terminare habitudinem ſcientiæ realis. Inſtantia eſt in cognitione, quæ primario terminatur ad ens rationis, quæ ab ipſo ſpeficari debet tanquam ab extrinſeco termino, & tamen cognitio illa realis eſt.

Sed inſtabis primo: ſpecies habitus Logicæ eſt vera ſpecies, veraque perfectio realis; ſed ens rationis etiam per modum cauſæ extrinſecæ nequit præſtare ſpeciem, & perfectionem realem: ergò Logicam ſpecificare non poteſt. Probatur min. Specificativum etiam per modum cauſæ extrinſecæ debet in ſe præhabere perfectionem illam, quam præſtat ſpecificato; ſed ens rationis in ſe habere non poteſt aliquam perfectionem realem: ergò etiam per modum cauſæ extrinſecæ non poteſt tribuere ſpeciem, & realem perfectionem.

Secundò inſtabis: ens rationis proportionatum non eſt cum habitu reali: ergò ſpecificare non poteſt habitum realem Logicæ, propterea namque ens ſupernaturale non poteſt eſſe ſpecificativum etiam extrinſecum alicujus entis naturalis, quia cum illo proportionatum non eſt.

3. inſtabis: ſpecificativum pendet à ſpecificato; ſed ens reale non poteſt dependere ab ente rationis, quia perfectius ab imperfectiori non dependet: ergò habitus realis Logicæ nequit etiam extrinſecè ſpecificari ab ente rationis.

4. quia ſcientia divina perfectior eſt creaturis, nequit etiam extrinſece ſpecificari ab illis, & propterèa eandem rationem non poteſt ſubſtantia ſpecificari ab accidenti, ſicut dicitur in 2. Phyſic. ſed ens rationis minus perfectum eſt ente reali: ergò idem quod priùs.

Reſpondetur ad primam replicam: negando minor. & ad probationem diſtinguo maj. præhabere objectivè, & terminativè, concedo maj. Formalitèr ſubjectivè, nego maj. & diſtinguo min: formalitèr ſubjectivè, concedo min. terminativè, nego min. & conſeq. Licèt namque ſpecificativum extrinſecum, quod eſt ens rationis, non poſsit ſubjectivè, & formalitèr in ſe præhabere perfectionem realem tanquam ſubjectum illius, eo quod capax non eſt, ut ſit perfectum realitèr; poteſt tamen tale ſpecificativum per modum objecti, vel termini prædictam perfectionem continere, nam ſic illam continere nihil aliud eſt, quam eſſe terminum primarium habitus, vel potentiæ, quod enti ra-

rationis repugnare non poteſt, cum habeat veras paſsiones primario demonſtrabiles de ipſo, & conſequenter poſsit exercitium ſcientiæ, ſcire videlicèt, terminare primario.

Inſtantia eſt in ente materiali, quod ſpecificat actum ſpiritualem intellectus, illeque tribuit ſpeciem, & perfectionem immaterialem propriam talis actus, quam tamen in ſe ſolum objectivè, & terminativè præhabet.

Ad ſecundam inſtantiam diſtinguo antec. Proportionatum in eſſe entis, concedo antec. proportione habitudinis, nego antec. Quia quamvis ens rationis materialitèr, & in eſſe entis non ſit proportionatum cum ente reali, proportionatum tamen eſt proportione ordinis, & habitudinis, nam poteſt veras paſsiones habere, quæ poſſint primario actum ſcientiæ terminare; de ente autem ſupernaturali diſpar eſt ratio, quia de conceptu illius eſt eſſe ſupra totum ordinem naturæ, & exigentiam illius, & propterea non poteſt eſſe proportionatum cum ente naturali etiam proportione habitudinis. Inſtantia argumenti invenitur in ipſo Deo, qui in eſſe entis infinite diſtat ab habitu creato Theologiæ, & tamen cum illo proportionatum eſt proportione habitudinis, & idem de viſione beata, & alijs; quæ primario terminatur ad Deum.

Dices: habitus Logicæ non poteſt dicere realem ordinem ad ens rationis: ergò non proportionantur proportione ordinis. Probatur ant. ordo realis petit terminum realem: ergò Logica non poteſt dicere ordinem realem ad ens rationis.

Facile reſpondetur ordinem prædicamentalem realem non poſſe terminari ad aliquid rationis, quia talis ordo petit terminum realiter exiſtentem, poſſe tamen ordinem tranſcendentalem terminari ad entia rationis, ſicut patet in actu, quo formo chymeram, & fabulas fingo.

Ad 3. negatur min. Quia perfectius poteſt ab imperfectiori dependere ſaltim extrinſecè, ſicut patet in actu reali, quo chymeram fingimus.

Dices: Scientia pendet ab objecto primario tanquam à fine; ſed finis perfectior eſt his quæ ordinantur ad finem: ergò non poteſt ſcientia ab aliquo rationis dependere tanquam ab objecto primario.

Reſpondetur facile: Scientiam dependere ab objecto tanquam à fine, non quidem proprie ſumpto, ſed accepto latè, quatenus finis, & terminus idem ſunt, & finis ſic acceptus non debet eſſe perfectior, ſicus

patet in cognitione primario ad peccatum terminata, quæ tamen non potest peccatum tanquam verum finem respicere.

Ad 4. instantiam respondetur distinguendo causalem: quia perfectior perfectione dicente excessum simpliciter infinitum in omni linea, concedo causalem; quacumque perfectione, nego causalem, non enim cognitio divina specificari non potest ab aliqua creatura quia perfectior præcisè, sed quia perfectior perfectione infinita, & entis impotentis ab aliquo extra se dependere, & ab eo mensurati, quæ ratio non militat in ente rationis, & instantia est, quia cognitio divina non potest pro objecto primario habere aliquid rationis; & tamen cognitio creata potest aliquid rationis habere pro objecto, ut patet in cognitione primario ad chymeram terminata.

Ad paritatem superadditam de substantia dicimus: non ideò non posse specificari ab accidenti, quia perfectior præcisse, sed quia perfectior est perfectione entis ad se, substantia namque est ens absolutum, & ad se, & propterea non potest specificari ab aliquo extrinseco, alias esset ad aliud; quę ratio non militat in habitu reali Logicæ, qui essentialiter ad aliud respectivus est.

Quinto arguitur: Objectum Logicæ sunt operationes intellectus, diffinitio videlicèt, divisio, & argumentatio, sed operationes istæ non sunt aliquid rationis, sed ipsi actus, quibus intellectus diffinit, dividit, & argumentatur: ergò objectum Logicæ non est aliquid rationis.

Confirmatur: illud est objectum formale Logicæ, quo diriguntur operationes intellectus; sed illæ non diriguntur mediante forma rationis resultante in conceptibus objectivis: ergò objectum Logicæ non est aliqua forma rationis. Probatur min. Forma rationis, quæ resultat in conceptibus objectivis supponit operationes directas: ergò per formam prædictam nòn diriguntur operationes intellectus. Probatur antec. Forma rationis, quæ resultat in conceptibus objectivis producitur per operationes ipsas intellectus directas, & ordinatas, & procedentes ab intellectu ordinate intelligente: ergò supponit operationes directas, nam quilibet effectus debet supponere causam.

Secundò confirmatur, & urgetur: Objectum formale Logicæ debet esse forma illa, qua constituitur demonstratio; sed forma prædicta non est aliquid rationis: ergò objectum Logicæ non est aliquid rationis,

nis. Probatur min. Per eam formam constituitur demonstratio, à qua habet realiter causare scientiam, sed hoc non habet à forma rationis, quæ non potest dare virtutem ad causandum, & agendum realiter : ergò forma, qua constituitur demonstratio non est aliquid rationis.

Respondetur ad argumentum: objectum formale Logicæ non esse operationes intellectus, nam prædictum objectum non est diffinitio effectiva, id est, actus quo intellectus conficit diffinitionem, sed est diffinitio effecta, seu diffinitio objectivia artificiosè ab intellectu disposita per formam rationis resultantem ex operatione intellectus, quæ forma rationis est, & idem de divisione, & argumentatione dicendum, sicut objectum artis pictoriæ non est operatio, per quam artifex picturam facit, sed forma ipsa artificialis, quæ causatur per actionem artificis, & constituit picturam ipsam.

Ad confirmationem primam negatur min. Ad probationem distinguo ant. supponit in genere causæ efficientis, concedo ant. in genere causæ formalis nego ant. & conseq. Prædicta namque forma rationis, cum sit objectum, & terminus operationum intellectus, & primario terminet illas, eo quod operationes, quibus fit sunt operationes artificiosè, & scientificè, quæ primario terminari debent ad rationem formalem sciendi, & constituentem artificium Logicale, propterea præcedit eas in genere causæ formalis specificantis, & objectivè dirigentis, subsequitur tamen ad illas in genere causæ efficientis, quod quidem nullam implicationem involvit ; nam terminus primarius per quamcumque actionem productus supponit actionem in genere causæ efficientis, quatenus efficienter procedit ab illa, quam tamen præcedit in genere causæ formalis, siquidem specificat illam.

Ad secundam confirmationem, negatur min. Ad probationem, distinguo mai. à qua tanquam à conditione, concedo mai. tanquam à ratione formali, nego mai. & sub eadem distinctione min. nego conseq. Demonstratio namque sumpta subjective pro actibus intellectus causat scientiam efficienter, quatenus assensus præmissarum concurrit efficienter ad assensum conclusionis, & mediante illo producit habitum scientiæ, qui quidem actus intellectus, vere sunt aliquid reale : Demonstratio verò sumpta objectivè causat scientiam objectivè movendo per modum objecti ad assensum veritatis, &

sic

sic objectivè concepta realiter causat scientiam, sed non ratione formæ rationis, qua conceptus objectivi constituuntur artificiole dispositi, sed ratione veritatis objectivæ, quæ vere realis est in objectis dispositis, & illa sola concurrit per modum causæ realis ad realiter objective causandum habitum scientiæ, & forma rationis solum per modum conditionis se habet, quatenus sine illa, præmissæ objectivæ non movent realiter ad scientiam producendam, sicut apprehensio est conditio necessaria ad actum voluntatis, quia bonum non nisi ut cognitum, potest realitèr movere voluntatem.

Sed instabis: forma constitutiva demonstrationis non debet esse conditio, sed ratio formalis causandi: ergò si hoc non potest habere forma rationis, non poterit forma prædicta constituere demonstrationem formalitèr. Probatur ant. primo. In quacumque causa realitèr operante, forma, quæ dat esse, dat etiam operari, nam operari sequitur ad esse: quod in omni agente videmus, in quo principium radicale operandi est ipsa forma constitutiva, quæ dat speciem, & est principium essendi: ergò forma constitutiva demonstrationis non debet esse conditio, sed ratio formalis causandi.

Secundò probatur antec; forma constitutiva cuiuscumque instrumenti debet esse causativa ut quo, sicut & ipsum instrumentum est causativum ut quod, sed demonstratio est instrumentum causativum scientiæ: ergò forma constitutiva demonstrationis non debet esse conditio, sed potius debet esse ratio formalis, & causativa formaliter.

Respondetur ad replicam: negando ant. & ad primam probationem, distinguo ant. in ente naturali, concedo ant. in ente artificiali, nego ant. & conseq. In quocumque namque ente naturali forma, quæ dat esse, dat etiam operari, vel est ratio formalis agendi; non tamen hoc est verum in entibus artificialibus, & instrumentis dialecticis, vel politicis, quia entia artificialia non habent in se principium motus, & operationis formaliter, sed solum per modum conditionis se habet forma artificialis illorum constitutiva, sicut dispositio artificiosa navis est conditio, ut velociter se moveat per aquas, non tamen principium motus, cumque demonstratio sit artificium Logicale, inde fit, formam illius non debere esse rationem formalem, sed solum conditionem operandi.

Ad secundam probationem ant. negatur mai. Quia in

inst-

instrumento artificiali forma constitutiva non debet esse ratio formalis agendi, ut explicatum relinquimus.

Dices: Instrumentum idem est atque causa instrumentalis; sed forma constitutiva causæ instrumentalis debet esse causativa formaliter: ergò etiam forma constitutiva instrumenti.

Respondere poteramus: instrumenta Logicalia esse tantum metaphorice instrumenta, quatenus adiubant, & movent objective intellectum, ut causet, & ideò necessarium non esse, formam illorum esse vere causativam.

Respondetur tamen aliter: distinguendo mai. idem in supponendo, concedo mai. in significando, nego mai. & concessa min. negatur consequent. Quamvis namque instrumentum artificiale idem sit in supponendo, cum causa instrumentali, quatenus pro eodem suppo nunt, non tamen est idem in significando, eo quod in ratione causæ instrumentalis significat virtutem realiter causativam, & per illam cònstituitur, in ratione vero instrumenti constituitur per formam artificialem, quæ non est principium motus, & operationis. Exemplum adest in sacramentis, quæ in ratione causæ instrumentalis constituuntur per virtutem realem, & realiter communicatam à Deo, in ratione vero instrumenti constituuntur per relationem rationis.

§. Ultimus.

Corollarium ex dictis.

EX dictis colligitur primo: conceptus formales ut repræsentantes objecta, & voces, quatenus eadem significantes, ut ad invicem ordinata per formam artificialem pertinere non posse ad objectum formale Logicæ: nam objectum formale Logicæ debet esse forma intrinsece constitutiva artefacti Logicalis; sed prædicta forma non invenitur intrinsece in conceptibus, & vocibus; sed solum extrinsece quatenus repræsentant objecta ordinata per formam artificialem: ergò conceptus, & voces prout sic pertinere non possunt ad objectum formale Logicæ. Probatur min. primo. Quia forma prædicta solum reperitur in conceptibus, & vocibus extrinsecè, & repræsentativè, & tanquam in signo, quatenus repræsentant formam, & ordinem repertum in conceptibus objectivis, & sunt illius signa: ergò forma prædicta non invenitur intrinsece in conceptibus, & vocibus, sed solum extrinsece, & impropriè, & tanquam in

ſigno ſui, ſicut urina tantum extrinſece, & analogice eſt ſana, quia ſanitas tantum in urina reperitur ut in ſigno.

Secundo probatur min. Quia forma intrinſece conſtitutiva artefacti Logicalis eſt intentio generis, vel ſpeciei diffinitionis, vel diviſionis, & argumentationis, & etiam prædicati, vel ſubjecti, & his ſimilium; ſed intentiones iſtæ non inveniuntur in vocibus, & conceptibus intrinſece: ergò min. principalis vera eſt. Probatur min. Intentio diffinitionis ſolum reperitur proprie, & intrinſece in eo, quod convertitur cum diffinito, & eſt idem cum illo, & intentio ſubjecti ſolum invenitur in eo de quo prædicatum affirmatur; ſed conceptus, & voces non ſunt idem inter ſe, nec ad invicem convertuntur, nec unum affirmatur de alio, nec cum objectis convertuntur, vel de illis affirmantur, quia vox homo non eſt vox albus, vel objectum illius, nec conceptus hominis eſt conceptus albi, vel illius objectum: ergò intentiones prædictæ non inveniuntur intrinſece in conceptibus, & vocibus, ſed extrinſece tantum, & tanquam in ſigno repræſentante, vel ſignificante talem formam, & objecta ordinata per illam.

Addimus: conceptus formales per ſuam naturalem entitatem repræſentare objecta ordinata per formam artificialem, & conſequenter repræſentationem prædictam non eſſe artificialem in illis, proindeque ut ita repræſentantes non eſſe artefactum Logicale, nec ad Logicam pertinere poſſe tanquam objectum formale.

Dices: conceptus formales, & operationes intellectus eſſe finem Logicæ, quæ per ſe primò intendit operationes, & conceptus dirigere: ergò debent eſſe objectum formale illius, nam finis Logicæ debet eſſe illius objectum.

Reſpondetur, objectum Logicæ debere eſſe finem proximum illius, non vero finem remotum, vel ex conſequenti ſe habentem, & huiuſmodi ſunt operationes, & conceptus intellectus, quia Logica per ſe primo intendit modum ſciendi objectivum, & ad illius perfectam cognitionem habendam intendit ex conſequenti operationes intellectus dirigere, ut ſic perveniat ad perfectam objecti cognitionem. Ex quo etiam habetur, operationes intellectus non eſſe primarium materiam Logicæ, in qua per ſe primò intendit introducere formam artificialem rationis, ſed ſolum eſſe materiam ſecundariam, quam intendit dirigere, ut perfecte primarium attingat objectum.

Di-

Dices: Illud esse objectum formale, quod est capax directionis; sed solum operationes, & conceptus sunt capaces directionis, non vero objecta, in quibus, nec potest esse error, nec confusio: ergò operationes, & conceptus debent esse objectum formale Logicæ.

Respondetur: in objectis non posse esse errorem, & confusionem formalem, quæ solum reperitur in actibus intellectus, posse tamen esse in objectis errorem, & confusionem objectivam, & occasionantem formalem errorem, nam objecta non bene ordinata, & dispositа movent ad actum intellectus formaliter errantem, & ad hunc errorem tollendum ordinatur Logica per se primo.

Ex his etiam constare potest, quod si voces, & conceptus considerentur non ut quo, quatenus significantes, & repræsentantes objecta; sed potius considerentur ut quod, secundum quod sunt quædam res, possunt bene prout sic subinduere intentionem subjecti, & intentionem prædicati, ut in his propositionibus: terminus est vox, nomen est terminus, & in his: conceptus est actus, conceptus est ens reale; sed secundum considerationem istam adhuc non pertinent ad objectum primarium Logicæ, sed solum ad objectum secundarium, & attinguntur ab illa in ordine ad modum sciendi objectivum, & dependenter ab illo.

Secundò ex dictis colligitur objectum primarium, & attributionis Logicæ esse modum sciendi objectivum in diffinitione, divisione, & argumentatione repertum, quia omnia alia considerat per ordinem ad modum sciendi, vel quatenus ordinantur ad manifestationem artificiosam veritatis, quod insuper constat ex eo, quod objectum primarium Logicæ debent esse artefacta illa, quæ per se conducunt ad scientias adquirendas, quod solum habent diffinitio, divisio, & argumentatio.

Dices: diffinitionem, & divisionem ad argumentationem ordinari: ergò sola argumentatio est objectum attributionis. Probatur ant. tum quia imperfectum ordinatur ad perfectum, & diffinitio, & divisio imperfectiores sunt: tum etiam quia sunt partes componentes ipsam demonstrationem: ergò ad illam ordinantur; tum quia sola demonstratio est modus sciendi, siquidem sola generat scientiam: ergò diffinitio, & divisio ordinantur ad illam.

Respondetur: diffinitionem, & divisionem secundum

rationem communem non ordinari ad argumentationem, ſed æqualitèr cum illa convenire, & ſolum ordinari ad eam ſecundum rationes particulares, in quibus minus perfectæ ſunt, & exceduntur ab illa, & ita ordinantur ad eam, ſicut imperfectum ad perfectum.

Et ad aliud ex eadem doctrina conſtat: diffinitionem, & diviſionem non eſſe partes formalitèr argumentationis, ſed independenter ab illa obtinere rationem modi ſciendi, eſſe tamen partes materialitèr, quia diffinitio alias perfecta in ratione communi modi ſciendi aſſummitur per modum partis ad aliquam proprietatem in ſyllogiſmo inferendam. Sicut oratio imperfecta, quæ in ratione totius dialectici perfecta eſt, materialitèr aſſummitur ad perfectam orationem componendam.

Ad ultimam vero dicitur: Solam demonſtrationem eſſe modum ſciendi ſcientia ſtricte, & proprie accepta, quia ſola illa facit ſcientifice cognoſcere veritatem; non tamen ſolam illam eſſe modum ſciendi abſolute, & proprie ut in præſenti uſurpatur, pro modo videlicèt artificioſo cognoſcendi veritatem.

Tandem infertur ex dictis: Solam demonſtrationem eſſe objectum principalitatis, quia inter omnes ſpecies modi ſciendi principalior, & perfectior eſt, & intentum principale inter ea, quæ primario intenduntur, nam per eam ſolam ultimate devenimus in cognitionem ſcientificam veritatis.

Dices: Argumentationem pertinere ad tertiam operationem, alia verò inſtrumenta pertinere ad primam, quæ in probabili ſententia perfectior eſt: ergò demonſtratio inter inſtrumenta ſciendi nequit eſſe perfectior.

Reſpondetur: tertiam operationem eſſe imperfectiorem prima ſumpta ultimate, & quatenus ad illam pertinet iudicium reſolutorium, quod ſupponit iam veritatem demonſtratam; eſſe tamen tertiam operationem perfectiorem prima, ſi prima conſideretur præciſſe quatenus diffinitiva, & diviſiva, nam prout ſic non adæquat prima operatio tertiam operationem utentem diffinitione, & ex illa formaliter inferentem.

)(✠)(

LIBER

LIBER SECUNDUS.

DE ENTE RATIONIS, ET IN EO Quæstio prima.

DE QUIDDITATE ENTIS RATIONIS, & illius existentia.

ARTICULUS I.

An dentur entia rationis?

§. I.

Sensus difficultatis apperitur, & statuitur affirmativa conclusio.

OMNIA, quæ à ratione dependent, vel sunt rationis objectum possunt entia rationis appellari, & ideò multiplicitèr contingit, aliquid ens rationis nominari subjectivè videlicèt, effectivè, & objectivè: subjectivè quidem, quatenus in ratione recipitur, sicut species expressa, vel impressa, actus, & habitus intellectus, quæ omnia recipiuntur in intellectu tanquam in proprio subjecto. Efficientèr etiam quatenus ab intellectu efficientèr producuntur, sicut actus intellectus, & cætera alia, quæ per operationes intellectus fiunt. Objectivè verò sicut omnia objecta, quæ ab intellectu cognoscuntur, inter quæ tamen magna differentia est; nam plura, quæ cognoscuntur ab intellectu habent esse in rerum natura, vel illud habere possunt, qualitèr homo cognitus habet esse in rerum natura, vel

à parte rei, & non ſolum habet eſſe cognitum ab intellectu, & homo poſsibilis quamvis de facto non habeat aliud eſſe ſaltim exiſtentiæ prætèr eſſe cognitum ab intellectu, poteſt tamen verè exiſtere à parte rei, & habere aliud eſſe: alia autem objecta prætèr eſſe cognitum, & objectivum quod habent in intellectu non habent aliud eſſe, nec illud habere poſſunt, ſicut quæcumque chymæra, & omnia illa, quibus ab intrinſeco propter repugnantiam prædicatorum, vel partium repugnat exiſtere à parte rei: & quia omnia entia ſupradicta verè ſunt entia realia prætèr hoc ultimum, quod non habet aliud eſſe niſi illud, quod habet in intellectu; propterea ſolum de ente rationis in hac ultimata acceptione in præſenti diſputamus.

Ex quo conſtat, optimam eſſe diffinitionem traditam ab Angelic. Mag. 1. *part. quæſt.* 16. *artic.* 3. *ad* 2. dicente: *Ens rationis eſt, quod, cum non ſit in rerum natura accipitur ut ens in ratione*, quæ quidem coincidit cum definitione communi, ens videlicèt rationis *eſſe illud, quod tantum habet eſſe objectivè in intellectu*: quæ definitiones explicant eſſentiam entis rationis per illius genus, & ipſius differentiam, per genus quidem, quia per ly ens, vel habet eſſe convenit ens rationis cum ente reali; per differentiam verò quatenus per ly *cum non ſit in rerum natura, a, vel habet eſſe tantum objectivè in intellectu*, diſtinguitur ab ente reali, quod habet non ſolum eſſe objectivè in intellectu, ſed etiam in rerum natura ſaltim poſsibiliter, ut quælibet creatura, quam Deus poteſt realiter producere, & in rerum natura ponere. Quo præintellecto affirmarunt aliqui, nulla dari entia rationis, & idem aſſerere plures, qui entia rationis in extrinſeca denominatione, vel aggregato ex pluribus rebus realibus conſtituunt, ex eorum dictis infertur, & voce tenus concedere entia rationis, ex doctrina illorum colligitur, ſed.

§. II.

Noſtra Concluſio eſt.

Verè dantur entia rationis.

CONCLUSIO iſta probatur: plura dantur entia, quæ non habent eſſe in re, ſed ſolum habent eſſe objectivè in intellectu: ergò plura dantur entia rationis. Probatur anteced. relatio generis ad ſpecies, & ſpeciei ad individua, & diſtinctio inter attributa Divina, & hujuſmodi alia

alia non habent esse à parte rei, nec illud habere possunt: ergò plura dantur entia, quæ non habent esse à parte rei, sed solum habent esse objectivè in intellect. Probatur anteced. Quia animal à parte rei non refertur ad species, nec species refertur ad individua, nec unum Divinum attributum est ab altero distinctum: ergò relatio generis ad species, & speciei ad individua, & distinctio inter attributa Divina non habent esse à parte rei, nec illud habere possunt.

Confirmatur: Chymera quæcumque illa sit, non habet esse in re, nec illud habere potest, alias non esset chymera, & ens realitèr impossibile, sed potius haberet veram possibilitatem. Similitèr etiam carentia visus in homine non est forma positiva à parte rei, cum tamen intellectus concipiat illam ad modum formæ positivæ, & inhærentis: ergò dantur entia, quæ tantum habent esse objectivè in intellectu.

Respondebis: omnia numerata in ratione nostra non esse entia rationis, quia quod non est ens, non potest esse ens rationis, eo quod à superiori ad inferius negativè valet benè consequent.

Contra tamen est: nihil ab intellectu cognoscitur, nisi sit aliquomodo ens, sed omnia prædicta cognoscuntur ab intellectu: ergò debent habere aliquam rationem entis. Probatur maj. cognoscibilitas est passio entis, & supra immaterialitatem, vel entitatem fundatur: ergò nihil ab intellectu cognoscitur, nisi sit aliquomodo ens.

Probatur secunda conclusio: in hac propositione, homo est species: quod affirmatur de subjecto est aliquid rationis: ergò verè dantur entia rationis Probatur anteced. Quod affirmatur de subjecto non est prædicatum reale, alias conveniret individuis, eo quod omnia prædicata realia positiva, quæ competunt naturæ secundum se, conveniunt in omni individuo, quod tamen in præsenti esset falsum, quia individua non sunt species: ergò illud, quod affirmatur de subjecto, est aliquid rationis.

§. III.

Occurritur argumentis.

ARGUITUR primò: si daretur ens rationis, quod posset tantum existere per considerationem intellectus, posset existere essentia sine passione de lege ordinaria, & ratio specifica sine generica,

nam intellectus est liber, & potest considerare, vel fingere essentiam, & non fingere passiones, & similiter fingere potest intentionem speciei, quin fingat intentionem generis; sed hoc implicat: ergò implicat dari entia rationis.

Confirmatur: ex quo dentur entia rationis sequitur non dari entia rationis: ergò implicat dari entia rationis. Anteced. probatur. Ex quo dentur entia rationis, sequitur non dari negationem entis rationis; sed negatio entis rationis est ens rationis, nam ut infra dicemus, quæcumque negatio formaliter sumpta est ens rationis; ergo ex quo dentur entia rationis sequitur non dari entia rationis.

Respondetur ad argumentum: quod in ente reali implicat dari essentiam, ad quam de lege ordinaria non sequantur proprietates, eo quod proprietates naturaliter ab essentia dimanant, & cum illa naturaliter connectuntur, & è contra; sed in ente rationis oppositum contingere potest, quia intellectus est præcisivus, & potest unum considerare, & non aliud, & consequenter potest fingere essentiam, & non fingere proprietatem; de intentione tamen generis, & speciei negamus assumptum, quia intentio generis habet pro termino *quo* intentionem speciei, & species pro termino *quo* intentionem generis, nam relatio generis terminatur, ad species formaliter ut inferiores, & ita ex parte speciei relatio propria se habet ad terminandum formaliter: undè istæ intentiones, vel relationes essentialiter connectuntur, & una sine alia existere nequit, sicut relatio Patris, & filij essentialiter connectuntur, quia ex parte termini se habet una formaliter ad alteram terminandum.

Ad confirmationem respondetur, negando anteced. & ad probationem distinguo maj. negationem remotivè, conc. d. maj. per modum formæ positivè, neg. maj. & distinguo min. concepta per modum formæ positivè, concedo min. remotivè accepta, nego min. & conseq. Quia ex quo dentur entia rationis, sequitur benè non auferri entia rationis, & non dari negationem eorum per modum removentis, secundum quam considerationem non est ens rationis, sed solum concepta per modum formæ positivæ, & quam is dentur entia rationis potest illorum negatio concipi per modum formæ positivæ, licèt sine fundamento; undè negatio entis rationis, eo modo quo ens rationis, nunquam auferetur.

Se-

Secundò arguitur: ex quo dentur entia rationis, sequuntur contradictoria: ergò non possunt dari entia rationis. Probatur antec. sequitur non ens rationis esse ens rationis, & aliquid concipi ab intellectu, quod non potest ab intellectu cognosci, & aliquid cognosci, quod prius non fuerit cognoscibile, quæ etiam contradictoriè opponuntur, quia negatio cognoscibilis infert negationem cogniti, sicut negatio potentiæ infert negationem actus: ergò contradictoria sequuntur. Probatur antec. quantum ad primam partem. Sequitur negationem entis rationis esse ens rationis, siquidem, si dantur entia rationis, illorum negatio erit chymerica, & fictitia; sed negatio entis rationis est non ens rationis: ergò sequitur non ens rationis esse ens rationis.

Quantum ad secundam partem probatur anteced. non potest, aliquid concipi ab intellectu, quod prius non fuerit in sensu; sed entia rationis, cum in re non sint, non possint in sensibus esse: ergò ex quo dentur entia rationis, sequitur aliquid concipi ab intellectu, quod ab illo concipi non potest.

Quantum ad tertiam probatur anteced. Quod non est, etiam non est cognoscibile, sed ens rationis non est prius quam ab intellectu cognoscatur, nam solum dum cognoscitur habet esse: ergò ex quo dentur entia rationis, sequitur aliquid cognosci, quod prius non fuerit cognoscibile.

Respondetur negando antec. & ad probationem quantum ad primam partem negatur antec. & ad ejus probationem distinguo maj. negationem sumptam per modum formæ positivæ, concedo maj. sumptam remotivè, nego maj. & distinguo min. sumpta remotivè, concedo min. positivè, nego min. & negatur conseq. Nam ex quo dentur entia rationis, sequitur, ipsam negationem entis rationis conceptam ad modum rei positivæ esse ens rationis, quamvis sine fundamento, quod tamen est verum, non tamen sequitur, negationem per modum removentis esse aliquid rationis.

Sed instabis: negatio entis rationis sumpta remotivè debet necessario esse aliquid rationis: ergò solutio nulla est. Probatur antec. Negatio entis rationis sumpta remotivè nequit esse aliquid reale: ergò debet necessario esse aliquid rationis; nam negatio sumpta remotivè unum vel alterum debet esse. Probatur anteced. Negatio entis rationis remotivè

tivè accepta solum habet esse objectivè in intellectu, & nullo modo habet veram existentiam, alias verè removeret entia rationis, consequenterque non darentur entia rationis, sicut non datur visus, quando datur illius carentia per modum removentis: ergò negatio entis rationis remotivè sumpta non potest esse realis.

Respondebis: negationem entis rationis sumptam remotivè non existere actualitèr verè, & propriè, posse tamen absolutè existere verè, quia si nullus (ut potuit) daretur intellectus creatus, nullum ens rationis existeret, eo quod solum fiunt entia rationis ab intellectu creato in communiori sententia, in quo quidem eventu verè existeret negatio entis rationis sumpta remotivè, siquidem omnia entia rationis removerentur in hypotesi dicta.

Sed contra est: nam licèt verum sit, quod negatio existentiæ entis rationis possibilitèr existat, quatenus entia rationis poterant carere existentia, quam habent; negatio tamen possibilitatis entis rationis sumpta remotivè, nullo modo potest existere, quia quando unum extremum est possibile, necessario est possibile, & consequentèr carentia possibilitatis illius est impossibilis necessario, proindeque carentia prædicta sumpta remotivè erit aliquid rationis; sed carentia entis rationis possibilis est non ens rationis, quandò quidem negat possibilitatem omnis entis rationis, & illam removet; ergò ex data solutione sequitur non ens rationis esse ens rationis.

Respondetur: Carentiam possibilitatis entis rationis sumptam etiam remotivè nullo modo existere posse, quia possibilitas entis rationis est necessaria. Cæterum illa prout sic non est aliquid rationis, sed solum remotio est entis rationis, vel non ens rationis; undè non sequitur, non ens rationis esse ens rationis.

Sed instabis: Illa carentia possibilitatis entis rationis remotivè sumpta non est aliquid reale, siquidem nunquam existere potest: ergò est aliquid rationis; consequenterque non ens rationis erit ens rationis.

Respondetur, negando conseq. Quia carentia possibilitatis entis rationis, nec est aliquid reale, nec est aliquid rationis sumpta remotivè, eo quod prout sic nequit existere verè, ut suadet argumentum, nec etiam potest existere fictè, nam quando intellectus fingit

jam

jam illa carentia habet esse ad modum formæ positivè, & jam non est carentia remotivè tantum accepta: undè prout sic solum est remotio, vel negatio entis rationis, non tamen est ens rationis, ac proinde non infertur, non ens rationis esse ens rationis. Nec indè inferas, non esse cognoscibilem, quia quod nihil est, cognosci non potest. Nam hoc solum probat non esse cognoscibilem signatè, & per modum rei, non tamen non esse cognoscibilem exercitè, & ex parte modi, sic enim ipsum nihil est cognoscibile.

Modo autem ad secundam partem antec. principalis respondemus, negando etiam antec. & ad probationem dicimus: quod ut aliquid concipiatur ab intellectu, non est necessarium, quod prius fuerit in sensu per speciem propriam, sed satis est, quod prius fuerit in sensu per speciem alterius, & ens rationis, antequam concipiatur, fuit in sensu per speciem entis realis, sicut priusquam Deum concipiamus, fuit Deus in sensu speciem rei materialis, & non per propriam speciem.

Ad tertiam probationem principalis antec. negatur similiter antec. & ad probationem ejus distinguo maj. quod non est tàm exercitè, quàm signatè, concedo maj. exercitè, nego maj. & distinguo min. exercitè, concedo min. signatè, nego min. & conseq. Quia ut ens rationis exercitè cognoscatur ab intellectu, & per cognitionem istam adquirat esse existentiæ, satis est, quod sit prius signatè, & quantum ad esse essentiæ, nam ad entitatem essentiæ sequitur cognoscibilitas.

Dices: Quod ens rationis quantum ad essentiam non respicit potentiam intellectivam, ut potentem illi tribuere denominationem extrinsecam cogniti; nam denominatio extrinseca supponit esse existentiæ: ergò si ens rationis solum habet esse essentiæ priusquam ab intellectu cognoscatur, non erit cognoscibile, antequam concipiatur ab intellectu.

Respondetur, negando anteced. Cujus instantia est in creaturis possibilibus; quæ priusquam habeant esse existentiæ denominantur extrinsecè cognitæ per actionem intellectus; undè probatio prædicta procedit æqualitèr contra omnes.

Poteramus tamen secundo ad eandem probationem respondere: quod sicut intellectio quatenus dictio se ipsam præcedit, quatenus contemplatio est, ita ipsum ens ra-

rationis, ut productum per actionem intellectus, secundum quod fictio est, est prius cognoscibile, & supponitur ad se ipsum, ut cognitum per actionem intellectus quatenus contemplatio, & speculatio est, proindeque supponitur cognoscibile priusquam cognoscatur exercitè.

Tertiò arguitur: Intellectus non potest producere entia rationis; sed alia causa præter intellectum assignabilis nulla est; ergò non est dabilis causa entis rationis, consequenterque ens rationis non est admittendum, ut effectus sine causa. Prob. maj. Causa realis non potest producere effectum rationis, nam causa realis agit mediante actione reali, & causalitas realis terminari non potest ad entia rationis; sed intellectus est causa realis; ergò nequit producere entia rationis.

Resp. negando maj. & ad probationem distinguo maj. primario, concedo maj. indirectè, & secundario, nego maj. & concessa min. negatur consq. sub distinctione maj. Nam ex quo intellectus sit causa realis, solum infertur non posse primario producere entia rationis, quod utique verum est: quia terminus primarius causalitatis realis semper est realis, undè per actionem intellectus facientis, entia rationis, producitur primario species expressa, vel alius modus realis; potest tamen per eandem realem actionem secundario, & per quandam resultantiam produci forma rationis, sicut quando intellectus cognoscit naturam in ordine ad individua ex cognitione prædicta, resultat in natura relatio ad individua, quæ non invenitur à parte rei in natura, sed tantum ab intellectu concipitur, quæque relatio in ipsa natura resolvat, ex quo intellectus illam cognoscit aliter ac est, vel cum ordine ad individua, cum tamen in re non habeat ordinem istum.

Sed instabis: Causa realis, nec secundario potest producere effectum rationis, quasi metaphoricè influendo: ergò solutio nulla est. Prob. anteced. primò. Causa naturalis, nec secundario potest producere supernaturalem effectum: ergò nec causa realis effectum non realem.

Secundò probat. anteced. Quia passiones hominis fiunt à causa reali, & mediante reali actione, sunt verè aliquid reale, quamvis secundario fiant: ergò causa realis, nec secundario potest producere effectum rationis.

Tertiò: Existentia realis, nec secundario potest facere exis-

existere ens rationis, alias ens rationis posset existere existentia fundamenti : ergò paritèr causa realis non poterit etiam secundario producere effectum rationis.

Respondetur ad replicam: negando conseq. paritatis quia effectus supernaturalis est supra totam naturam, & illius exigentiam, & ideò nullo modo contineri potest in virtute causæ naturalis, nec ab illa produci, alias non esset supra ordinem naturæ. Ens autem rationis quid imperfectissimum est, & ita virtutem causæ realis excedere nequit, sed potius poterit ab illa produci secundario saltim, & per quandam resultantiam, quam vis primario, & per veram efficientiam non possit ab illa fieri.

Ad secundam probationem antec. negatur causalis; nam passiones hominis non ideò reales sunt, quia producuntur mediante actione reali, sed quia ad terminum realem primarium consequuntur per veram dimanationem realem, & in ipso realitèr radicantur. Quæ ratio non invenitur in ente rationis.

Ad tertiam probationem negatur conseq. Quia existentia realis nullum effectum specificum potest communicare enti rationis, quando quidem non potest facere illud existere realitèr, nec existere per rationem, cum effectus formæ sit forma subjecto communicata, & existentia realis, cuicumque communicatur, conveniat realitèr, ac proinde non possit ipsum facere existere per rationem, fictè quidem, & non realitèr; actio verò intellectus potest esse fictio realitèr, & propterea potest secundario aliquid rationis producere.

§. III.

Corollaria ex dictis.

EX dictis in artic. discursu colligitur primò : ens rationis non habere speciem impressam propriam, sed solum ab intellectu cognosci per speciem impressam entis realis, quæ primario repræsentat ens reale, & secundario ens rationis propter similitudinem, quam habet cum ente reali. Probatur assumptus. Quia species prædicta superflua est : ergò non est admittenda. Probat. antec. Ens reale, & rationis repræsentari possunt per speciem impressam entis realis: ergò species impressa propria entis rationis superflua est. Probatur antec. Quando unum cognoscitur ad modum alterius potest repræsen-

ſentari per ſpeciem impreſſam propriam illius, ſicut Angelus repræſentatur per ſpeciem impreſſam rei materialis, quia ad modum entis materialis cognoſcitur; ſed ens rationis cognoſcitur ad ſimilitudinem, & modum entis realis: ergò poteſt repræſentari per ſpeciem impreſſam entis realis.

Confirmatur: Species impreſſa propria entis rationis ſupponit ens rationis, nam ſpecies propria alicujus objecti, ipſum neceſſario ſupponit; ſed ſpecies impreſſa entis rationis nequit ſupponere ipſum: ergò non eſt propria entis rationis. Probatur min. Species impreſſa entis rationis antecedit cognitionem entis rationis, quia cognitio ſupponit ſpeciem; ſed cognitio entis rationis ipſum neceſſario præcedit, ſiquidem ens rationis fit per cognitionem, qua ab intellectu cognoſcitur: ergò ſpecies impreſſa entis rationis nequit ſupponere ipſum:

Secundò principaliter prob. aſſumptum: non poteſt à phantaſmatibus abſtrahi ſpecies impreſſa propria entis rationis: ergò nequit illam habere, nam omnis ſpecies impreſſa abſtrahitur à phantaſmatibus. Probatur antec. Non poteſt à phantaſmatibus abſtrahi ſpecies propria alicujus objecti, cujus ſingularia non reperiuntur in phantaſmatibus: quia ſpecies naturæ communis abſtrahuntur à ſingularibus ejuſdem naturæ; ſed ſingularia entis rationis non reperiuntur in phantaſmatibus, ubi ſolum inveniuntur ſingularia materialia, & ſenſibilia, qualia non ſunt ſingularia entis rationis: ergò non poteſt à phantaſmatibus abſtrahi ſpecies impreſſa propria entis rationis.

Sed inſtabis: Majorem convenientiam habere hominem, & equum, quam ens reale, & rationis, quæ ſolum conveniunt analogicè, & non univocè, ſicut equus, & homo; & tamen equus non poteſt repræſentari per ſpeciem impreſſam hominis: ergò nec ens rationis per ſpeciem impreſſam entis realis.

Reſpondetur: Hominem, & equum magis convenire in eſſe rei, non tamen in eſſe objecti repræſentabilis, quia equus non repræſentatur, & cognoſcitur ad modum hominis, ſicut ens rationis ad modum entis realis.

Secundo inſtabis: Quia natura materialis continetur in ſingulari ſenſibili, poteſt abſtrahi à prædicto ſingulari ſpecies propria naturæ materialis; ſed ens rationis continetur in

ente

ente reali sensibili, saltim ut in fundamento: ergò poterit à singulari sensibili abstrahi species propria entis rationis, consequenterque poterit illam habere.

Respondetur: Ens rationis non contineri propriè in ente reali sensibili, sicut natura materialis, quæ de sensibilibus essentialitèr prædicatur, & in illis invivitur; sed solum ibi contineri metaphoricè, & improprie tanquam in extremo similitudinis, quatenus cognoscitur ad modum illum, quæ continentia satis non est, ut à sensibilibus possit abstrahi species propria entis rationis, sicut non potest abstrahi species propria Dei, & Angeli, qui ad modum rei sensibilis cognoscuntur.

Dices tertiò: Cognitionem quidditativam fieri per propriam speciem, & non per speciem alterius, & ideò Deus, & Angeli per speciem rei materialis non possunt quidditativè cognosci; sed ens rationis quidditativè cognoscitur: ergò propriam speciem habet.

Distinguo maj. non per speciem alterius inferioris, concedo maj. superioris, nego maj. Nam ut aliquid quidditativè cognoscatur, sufficit species aliena, si sit alicujus superioris, hæc namque repræsentat rem inferiorem quantum ad omnia prædicata quidditativa, & modo superiori, sicut essentia divina quidditativè creaturas repræsentat, & ens reale perfectius, & superius est, consequenterque per speciem ejus potest ens rationis quidditativè cognosci.

Etsi dicas: Quod ens materiale perfectius est ente ut sic; & tamen per speciem entis materialis non potest ens, ut sic cognosci quidditativè, quod tanquam probabilius in Procemial. Philosophiæ defendimus.

Respondetur: quod in ordine ad existentiam perfectius est ens materiale, nam magis ad existentiam accedit; sed in esse objecti perfectius est ens ut sic, quia magis immateriale, vel abstractum à materia. Quamvis etiam possemus dicere, ens rationis contineri in ente reali ut in proprio fundamento, quod non habet ens, ut sic in ordine ad ens materiale.

Secundò infertur ex dictis: quod quando ens rationis cognoscitur secundario per cognitionem primario terminatam ad ens reale, non habet etiam speciem expressam propriam, quia quando ita cognoscitur, attingitur per eandem cognitionem entis realis.

sed

sed ad unam cognitionem sufficit unica species, quæ unum primario, & alterum secundario, vel ordine quodam repræsentet: ergò quando ens rationis ita cognoscitur non habet speciem expressam propriam.

Dices: quod eadem species non potest esse naturalis similitudo duplicis objecti diversi: ergò ens rationis non potest per eandem speciem expressam repræsentari, qua repræsentatur ens reale, & consequentèr propriam expressam habebit.

Sed contra: quia eadem species expressa potest esse naturalis similitudo duplicis objecti diversi ordinatè se habentis, nam in hoc eventu objecta ordine quodam comparatur ad speciem, & ita per eandem speciem poterunt repræsentari, sicut attingitur per eandem cognitionem, sed ens reale, & rationis ordine quodam se habent, unum ut primarium, & aliud, ut secundarium, unumque cognoscitur ad modum alterius: ergò poterit per eandem speciem expressam utrumque repræsentari.

Tertiò infertur: quod quando ens rationis attingitur per cognitionem primario terminatam ad ipsum, habet propriam speciem expressam, sivè sit in propriâ cognitione scientifica, quam primario terminat, sivè sit in cognitione absoluta, quando illam terminat primario, quia postquam ens rationis jam factum est: potest primario contemplari per cognitionem absolutam, & ipsam terminare primario.

Ratio autem doctrinæ ea est: quando ens rationis primario cognoscitur, primario etiam per speciem repræsentatur; sed species est propria objecti, quod primario repræsentat: ergò quando ita cognoscitur habet speciem expressam propriam. Probatur maj. Quando ens rationis primario cognoscitur, cognitio ipsa primario terminatur ad ens rationis: ergo species expressa primatio ipsum repræsentat, nam species primo, & per se repræsentat, quod per se primo specificat, & terminat cognitionem; hæc namque eo ordine attingit objecta, quo sunt in specie expressa actualitèr repræsentata. Undè quod primario per cognitionem attingitur, signum est, quod etiam per speciem primario repræsentatur.

Dices: ens rationis semper cognoscitur per speciem impressam entis realis: ergò etiam cognoscitur semper per speciem expressam illius, & consequenter non habebit propriam.

Ne-

Negatur conſeq. Quia ſpecies expreſſa eſt formalis ſimilitudo, & actualis ipſius objecti, & ideò illud primario repræſentat, quod primario per cognitionem attingitur; ſpecies verò impreſſa eſt ſimilitudo objecti, non actualis, & per modum imaginis, & expreſsionis in actu ſecundo, ſed tantum eſt ſimilitudo in actu primo, & ita neceſſarium non eſt, quod primario repræſentet terminum cognitionis primarium, ſed ſatis eſt, quod illud ſecundario repræſentet.

Sed inſtabis: Quia ſpecies expreſſa oritur ab impreſſa, & fortaſſe procedit efficienter ab illa, ut fert communis opinio: ergò illud primario repræſentare debet, quod primario repræſentat impreſſa.

Reſpondetur: diſtinguendo antec. ab impreſſa ſecundum formalitatem ſecundariam, vel primariam, concedo antec. Primariam determinatè, nego ant. & conſeq. Quia ſpecies expreſſa aliquando procedit ab impreſſa ſecundum formalitatem ſecundariam ipſius, & ideò poteſt primario repræſentare, quod ſecundario repræſentat impreſſa. Inſtantia eſt in ſpecie impreſſa rei corporalis, quæ primario repræſentat rem corporalem, & ſecundario, vel virtualiter Angelum, & tamen ſpecies expreſſa primario Angelum repræſentat, ſicut & intellectus in ſecunda cognitione Angelum primario cognoſcit.

Tandem infertur ex dictis: Intellectum in ſecunda cognitione, & alijs ſequentibus poſſe formare ſpecies impreſſas entis rationis, quia non minus perfectus eſt intellectus, quam potentia imaginativa, & potentia imaginativa ex præconceptis ſpeciebus montis, & auri, format ſpeciem montis aurei: ergò ex præconceptis ſpeciebus poterit intellectus formare ſpeciem impreſſam entis rationis in ſecunda cognitione, & in alijs, quæ ſequuntur ad ipſam, ſicut etiam in ſecunda cognitione poteſt formare ſpeciem impreſſam, & propriam re ſingularis.

Dices: omnem ſpeciem impreſſam pro ſtatu vitæ præſentis eſſe abſtractam à phantaſmatibus: ergò nullam poterit intellectus formare, ſed omnis ſpecies impreſſa à phantaſmatibus erit abſtracta.

Reſponderur: Omnem ſpeciem impreſſam pro ſtatu vitæ præſentis eſſe abſtractam immediatè à phantaſmatibus, & ab illis immediatè provenientem, vel eſſe abſtractam mediatè, ideſt, ab intellectu formatam ex primis ſpeciebus, quas à phantaſmatibus abſtraxit; ſed omnem ſpeciem impreſ-

preſſam eſſe abſtractam immediatè à phantaſmatibus, minimè neceſſarium eſt.

Ex qua doctrina clariſſimè conſtat ſpeciem impreſſam deſervientem ad ſecundam, vel ad tertiam cognitionem, eſſe veram entitatem realem ab intellectu productam, ſiquidem realitèr determinat intellectum ad cognitionem objecti, & realiter in intellectu recipitur.

Ex eadem etiam doctrina manifeſtum fit, falſam eſſe opinionem plurimorum aſſerentium, quod ens rationis, quando primo cognoſcitur, non cognoſci per quamcumque ſpeciem impreſſam entis realis, ſed tantum per ſpeciem impreſſam entis realis, in quo fundatur: infertur quidem eſſe falſam opinionem prædictam, quia ens rationis cognoſcitur per ſpeciem impreſſam illius entis realis, ad cujus ſimilitudinem cognoſcitur, & omnis relatio rationis cognoſcitur ad ſimilitudinem relationis realis, conſequenterque per ſpeciem ejus attingitur; ſed non omnis relatio rationis fundatur in relatione reali, ut per ſe manifeſtum eſt: ergò non omne ens rationis in prima cognitione cognoſcitur per ſpeciem fundamenti.

ARTICULUS II.

Vtrùm ens rationis dividatur adæquatè in negationem, privationem, & relationem.

§. I.

Quibuſdam ſuppoſitis ſtatuitur affirmativa concluſio.

QUAMVIS quæcumque res prius ſit in ſuo eſſe, quam per partes dividatur. Quia tamen à faciliori bus eſt incipiendum, & diviſio entis rationis facilior eſt, quam illius conſtitutio, propterea incipimus ab illius diviſione, ut in ſequentibus de illius conſtitutivo diſſeramus. Ad intelligentiam ergò diviſionis prædictæ: primo ſupponendum eſt: duplicem dari intentionem, unam videlicèt objectivam, & alteram ſubjectivam, vel formalem. Intentio formalis eſt ſpecies expreſſa, aut conceptus, vel actus, per quem intellectus attingit objecta, & objectum ipſum actus intentio objectiva nominatur; utraque autem eſt duplex, prima videlicèt, & ſecunda. Prima intentio formalis eſt conceptus, vel actus, quo intellectus attingit objectum ſecundum illud, quod habet in re. Undè ter-

terminus ſignificans tale objectum appellatur à dialecticis terminus primæ intentionis: prima verò intentio objectiva eſt ipſum objectum attactum per talem actum. V.g. homo ſecundum quod eſt animal rationale, quæ prædicata illi conveniunt in re.

Secunda intentio formalis eſt ille actus, quo intellectus attingit objectum ſecundum illud, quod habet ex conſideratione intellectus, ſicut conceptus, quem intellectus format de animali ſecundum quod eſt genus, & actus, per quem attingit hominem, ut eſt ſpecies. Secunda tamen intentio objectiva eſt objectum talis actus, & terminus ſignificans tale objectum appellatur terminus ſecundæ intentionis, ex quibus tàm prima, quàm ſecunda intentio formalis ſunt aliquid reale, ut per ſe patet, ſecunda verò intentio objectiva ſemper eſt rationis; nam ſemper eſt aliquid fictum ab intellectu, & quod res non habet in re.

Circa primam tamen intentionem objectivam diſſidium eſt inter noſtros, quibuſdam aſſerentibus, aliquando eſſe aliquid reale, aliquando quid rationis, alijs verò affirmantibus ſemper eſſe quid reale, cum quibus ſumus.

Ratio autem ea eſt: quia prima intentio objectiva eſt objectum primæ intentionis formalis; ſed tale objectum ſemper eſt reale: ergò prima intentio objectiva ſemper eſt realis. Probatur min. Prima intentio formalis ſignificat objectum ſecundum illud, quod habet in re: ergò objectum talis intentionis ſemper eſt reale. Probatur anteced. Terminus primæ intentionis ſignificat rem ſecundum illud, quod habet in re, ſed prima intentio formalis eſt terminus formalis primæ intentionis: ergò ſemper ſignificat rem ſecundum illud, quod habet in re.

inſtabis cum adverſarijs: nam eſſe viſum in lapide cognitum ad modum formæ intrinſecæ eſt aliquid rationis, & tamen talis intentio objectiva non poteſt eſſe ſecunda, ſed debet eſſe prima: ergò prima intentio objectiva aliquando rationis eſt. Probatur min. Talis intentio objectiva proximè fundatur in aliquo reali, videlicèt in viſione reali ad lapidem terminata: ergò non poteſt eſſe ſecunda intentio objectiva; hæc namque in aliquo reali fundari non poteſt.

Reſponderur: eſſe viſum in lapide cognitum ad modum formæ intrinſecæ eſſe ſecundam intentionem rationis fundatam ſupra denominationem extrinſecam viſi cogniti ab intellectu;

tu: nec esse inconveniens, secundam intentionem, & alia entia rationis fundari supra aliquod reale, alias unum ens rationis fundaretur supra aliud, & illud aliud supra alterum prius, & sic daretur processus in infinitum.

Instabis secundò: Fundamentum comparatur per modum primæ intentionis ad rem fundatam supra ipsum, sed unum ens rationis potest esse fundamentum alterius, sicut universalitas fundat prædicabilitatem: ergò jam datur aliquod ens rationis, quod sit prima intentio objectiva.

Respondetur: quod quando unum ens rationis fundatur in alio, fundamentum se habet per modum primæ intentionis comparativè ad fundatum; non tamen est necessarium, quod in se ipso sit prima intentio, sed potius debet esse secunda, ut ratio postra suadet.

Tertiò instabis: chymera est ens rationis, & tamen est prima intentio, siquidem non supponit aliam intentionem objectivam, in qua fundetur: ergò aliqua prima intentio est aliquid rationis.

Respondetur: chymeram v. g. montem aureum esse ens rationis sine fundamento, & ita mirum non est, quod non supponit aliam intentionem objectivam supra quam vere fundetur; supponit tamen chymera cognitionem extremorum realium, ex quorum unione resultat, quod sufficit, ut sit secunda intentio rationis.

Secundò notandum est: secundam intentionem rationis dividi adæquatè in ens rationis cum fundamento in re, & ens rationis, quod non habet fundamentum: ens rationis cum fundamento est illud, ad quod faciendum in re invenitur aliquod incitamentum, vel occasio, sicut ex quo intellectus cognoscat hominem in ratione animalis convenire cum equo, & ab illo differre per prædicatum rationalis, incitatur, & movetur intellectus ad distinguendum per rationem utrumque prædicatum. Ens verò rationis sine fundamento in re est illud, quod pro libito suo, & sine occasione aliqua fingit intellectus, sicut quando fingit montem aureum, & hominem equum. Ex quo constat, divisionem esse adæquatam, quia inter habere fundamentum in re, vel illud non habere, non potest dari medium.

Dices: non potest dari fundamentum in re, ut intellectus concipiat rem, aliter ac est in se, nam quæcumque res movet ad sui cognitionem per suam entitatem, quæ non est aliter ac est: ergò non potest dari fundamen-

mentum; ut intellectus faciat aliquod ens rationis.

Respondetur: distinguendo antecced. in cognitione adæquata cum re, concedo antec. in adæquata, nego antec. & conseq. Quia cognitio adæquata terminatur ad objectum prout est in se adæquatè, & secundum omnia, quæ habet, & ita non potest rem intelligere, aliter ac est. Cognitio verò in adæquata potest rem, aliter ac est, intelligere, eo quod intellectus noster intelligit componendo, & dividendo, & rem simplicem intelligit per plures conceptus, & uni tribuit intentionem subjecti, & alteri intentionem prædicati, & naturam universalem intelligit separatam, & cum ordine ad individua, in quibus non intelligitur, quapropter res, prout in adæquatè concepta movet intellectum, ut cognoscat eam aliter ac est.

Tandem supponimus: Negationem, privationem, & relationem esse entia rationis cum fundamento in re, ut constabit ex dicendis, sed an divisio in hæc tria membra sit adæquata, est præsens difficultas, in qua aliqui negant: alij affirmant, cum quibus est.

§. II.

NOSTRA CONCLUSIO.

CONSTAT conclusionem nostram esse mentem Div. Thom. pluribus in locis, & *quæst. 21. de Veritat. artic. 1.* per ea verba: *Id, quod est rationis, tantum potest esse duplex, scilicèt relatio, vel aliqua negatio, omnes enim positio absoluta aliquid in rerum natura existens significat.* In quibus per negationem intelligit carentiam in communi, sivè sit in subjecto capaci ad formam, qualis est privatio: sivè in subjecto incapaci formæ, quæ carentia est tantum negatio, & per alia verba: *Positio absoluta, &c.* significat alia entia rationis præter ista esse sine fundamento.

Ratione autem probatur conclusio nostra: quia hæc tria membra assignata habent fundamentum in re, & nullum aliud ens rationis præter illa habet tale fundamentum: ergò divisio entis rationis cum fundamento in re in hæc tria membra est adæquata divisio. Probatur antec. Illud est ens rationis cum fundamento à parte rei, quod in proprio conceptu non explicat entitatem realem; sed sola membra assignata non explicant entitatem realem: ergò sola hæc, & non alia habent fun-

fundamentum in re. Min. quantum ad unam partem, videlicèt tria aſsignata non explicare in proprio conceptu entitatem realem probatur. Quia negatio à parte rei, ſolum dicit carentiam formæ, carentia autem nullam explicat entitatem realem; relatio verò tantum explicat concepturn *ad*, vel reſpectum rationis: ergò hæc tria in proprio conceptu non explicant realem entitatem.

Quantum ad ſecundam partem, videlicèt, omnia alia explicare entitatem realem, & conſequenter ſola prædicta non explicare, conſtat: Quia ſubſtantia, quantitas, & alia prædicamenta explicant in proprio conceptu entitatem poſitivam abſolutam, & realem: ergò quantum ad utramque partem vera eſt minor.

§. III.

Solvuntur argumenta.

ARgnitur primo: Quando quis concipit Angelum, nedum connotativè, & ad modum corporis; ſed etiam, ut corporeum, attribuendo illi propriam corporeitatem, facit ens rationis; ſed hoc ens rationis non eſt negatio, privatio, vel relatio: ergò diviſio non eſt adæquata.

Confirmatur: Quando quis fingit alterum Deum, vel montem aureum facit entia rationis, quorum neutrum eſt negatio, privatio, vel relatio: ergò idem quod priùs.

Confirmatur ſecundò: Unitas poſitiva naturæ univerſalis eſt aliquid rationis; & tamen non eſt negatio, vel privatio, eo quod unitas eſt quid poſitivum; nec eſt relatio, quia unitas eſt aliquid abſolutum: ergò idem.

Reſpondetur ad argumentum, & primam confirmationem: illa entia rationis eſſe ſine fundamento, & ita mirum non eſt, quod non pertineant ad aliquod ex præfatis, quæ ſolùm dividunt ens rationis cum fundamento in re.

Secundò poterat dici: Quod quando concipitur Angelus, ut corporeus, attribuendo illi corporeitatem per fictionem intellectus, concipitur corporeitas, ut unita, vel identificata cum Angelo, & hæc unio, vel identitas eſt relatio rationis; & quando concipitur mons aureus pro materiali importantur aurum, & mons; de formali verò identitas utriuſque, quæ etiam eſt relatio rationis. Quando autem alterum Deum concipimus, ipſum apprehendimus

à

à Deo præsenti distinctum, & hæc distinctio est etiam relatio rationis: undè omnia prædicta ad assignata membra reducuntur.

Ad secundam confirmationem respondetur: unitatem positivam universalis esse ipsam relationem rationis superioris ad inferiora, per quam constituitur natura universalis formalitèr, & ita ad relationem pertinere, si tamen sermo fiat de unitate præcisiva, ut extrinsecè cognita, & per intellectum potest modum apprehensa ad modum formæ positivæ respondemus, unitatem prædictam pro materiali esse quid positivum; pro formali verò carentiam divisionis, vel pluralitatis, & ideò ad negationem reduci.

Dices: Quando intellectus apprehendit Petrum, & Paulum, ut unum in natura hominis, & talem unitatem apprehendit ad modum rei positivæ, & ut formam positivam, facit ens rationis, sed illa unitas non consistit in carentia pluralitatis, & aliunde non est relatio: ergò non continetur sub aliquo membro.

Respondetur: Talem unitatem non esse carentiam pluralitatis numericæ; esse tamen carentiam pluralitatis formalis, eo quod intellectus Petrum, & Paulum apprehendit ut unum formaliter in natura hominis, & revera non sunt specificè plures, & ideò à parte rei carent pluralitate formali, & in carentia prædicta illa unitas rationis fundatur.

Arguitur secundo: Negatio, & privatio dantur à parte rei, nam à parte rei habet homo cæcus privationem visus, & equus negationem intellectus: ergò non benè numerantur inter entia rationis.

Confirmatur: non est assignabilis ratio, quare substantia rationis, & quantitas, & qualitas ficta non habeant fundamentum in re: ergò præter entia enumerata, alia sunt admittenda.

Respondetur ad argumentum: negationem, & privationem fundamentalitèr, & quatenus dicunt veram carentiam formæ, inveniri à parte rei; sed quatenus concipiuntur ut formæ positivæ solum habent esse objectivum, & in hac tantum consideratione loquimur in præsenti de illis.

Dices: negationem, & privationem conceptas per modum formæ positivæ, non sunt negatio, & privatio, sed aliquid positivum, quamvis fictum: ergò ut sic non sunt membra dividentia divisionis præsentis, quæ solum fit in negationem, & privationem.

Respondetur: Negationem, & privationem formaliter, ut entia rationis esse aliquid positivum, quia tamen non habent speciale nomen, quo illas nominare possumus, propterea utramque nomine fundamenti appellamus, & maximè cum divisio nostra sit entis rationis habentis fundamentum in re.

Ad confirmationem respondetur: Rationem esse in conclusione assignatam, quam 1. *part. quæst.* 28. *art.* 1. docuit Angelicus Doct.

Sed instabis: Etiam relatio secundum proprium conceptum explicat entitatem realem; & tamen potest intellectus cum fundamento in re fingere relationem: ergò ex ratione nostra non infertur esse impossibilem subsistantiam fictam cum fundamento in re.

Respondetur: Negando maj. Quia relatio secundum conceptum proprium solum explicat conceptum *ad*, & respectum ad terminum; non tamen ad subjectum, nec aliquam entitatem.

Dices: Etiam actio secundum proprium conceptum non explicat entitatem realem, sed solum conceptum *ab*, vel eggressionem ab agente: ergò si ratio assignata convincit, ultra præfata membra aliud poterit assignari, videlicèt actio ficta.

Sed facile respondetur: Actionem secundum proprium conceptum, non explicare formaliter entitatem; illam tamen explicare connexivè, quatenus actio secundum conceptum proprium importat actualitatem realiter egredientem, quæ realitas egressionis non potest enti rationis convenire, sicut ob eandem rationem non potest dari malitia rationis, & ficta cum fundamento in re, eo quod malitia licèt secundum proprium conceptum non explicet entitatem explicat tamen realitatem, & connexionem cum voluntate, ut realiter operante, quod idem importat actio formaliter.

Tandem arguitur: Potest negatio cognosci ad modum formæ positivæ, quin ut ita concepta sit ens rationis: ergò sic accepta non benè assignatur membrum divisionis prædictæ. Probatur antec. Quando cognoscimus negationem semper cognoscimus illam per speciem formæ, & ad modum illius; sed non semper quod cognoscimus illam per speciem suæ formæ, facimus ens rationis: ergò potest negatio cognosci ad modum formæ positivæ, quin, ut ita concepta sit ens rationis.

Co-

Confirmatur: Omnia entia rationis fundantur in negatione, siquidem omnia dicunt negationem entis realis: ergò sola hæc continentur sub ente rationis diviso.

Confirmatur secundò: Relatio in præsenti divisione assignata pro membro, nequit esse transcendentalis, cum hæc divagetur per omnia genera entis, nec potest esse prædicamentalis relatio, quia præter illam dantur relationes rationis transcendentales, quæ nec in negatione, nec in privatione fundantur, sicut relatio signi ad placitum ad signatum, & hujusmodi aliæ: ergò relatio non benè assignatur pro membro divisionis prædictæ.

Respondetur ad argumentum: Distinguendo anteced. ad modum formæ positivæ comparativè, & purè connotativè, concedo anteced. attributivè, & applicativè, nego anteced. & conseq. sub eadem distinctione anteced. Possumus namque negationem concipere ad modum formæ positivæ purè comparativè, quatenus illam attingimus per speciem formæ, quam removet, & in ordine ad ipsam tanquam ad extremum similitudinis, quin tale esse positivum applicemus negationi, & sic illam concipientes, concipimus ex parte rei negationem secundum propria prædicata, & ut removentem formam, & solum ex parte modi concipimus eam aliter ac est, undè non facimus ens rationis: Quando verò tale esse positivum applicamus negationi attingimus illam objectivè aliter ac est, & cum esse, quod non habet, quod est concipere illam ut formam positivam, & non solum ad modum rei positivæ; & sub hac consideratione in prædicta divisione continetur, sicut qui conciperet Angelum, non solum ad modum corporis, sed etiam ut corporeum, prædictum esse non removendo, sed potius applicando Angelo per intellectum faceret ens rationis, & Angelum fictum.

Ad confirmationem negatur anteced. Quia licèt entia rationis dicant negationem entis realis, illam tamen solum important concommittanter, vel ut prædicatum commune, & generale cuicumque enti rationis, non tamen ut fundamentum.

Ad secundam confirmationem sumus in ea sententia, quæ asserit, relationem in præsenti dividentem esse relationem abstrahentem à transcendentali, & prædicamentali, nam ultra relationem secundum

dum esse rationis respicientem terminum, ut purum terminum dantur relationes transcendentales, quæ vere sunt entia rationis, & non fundantur in negatione, aut privatione, sed potius in entitate positiva, sicut relatio rationis, quæ vox significativa ad placitum refertur ad signatum, fundatur in ipsa voce, & illius entitate, ut destinata per voluntariam determinationem reipublicæ ad illud significandum, quod idem dicimus de reliquis relationibus, quæ fundantur in entitatibus rerum, quatenus per republicam determinatis ad aliquod exercitium, vel magisterij, vel judicij, vel militiæ, quæ omnes fundantur in aliquo positivo, & ideò membrum diversum constituere debent à negatione, & privatione assignatis.

Sed instabis: Relatio transcendentalis coincidit cum negatione, & privatione, quando quidem negatio, & privatio conceptæ tanquam formæ positivæ dicunt relationem transcendentalem ad intellectum fingentem: ergò relatio prædicta assignari non debet pro tertio membro à negatione, & privatione distincto.

Replica hæc difficilis aliquibus visa est, qui propter eam per oppositam gradiuntur viam; mihi tamen non apparet ita difficilis, quia negatio, & privatio per se primo sunt formæ rationis fictæ, absolutæ tamen, & fundatæ in negatione, & privatione, ex consequenti verò relationem important, & respectum transcendentalem rationis ad intellectum fingentem, verum respectus, aut relatio ista non fundatur immediatè in negatione, vel privatione, sed in forma positiva, quam intellectus prius finxit, dum concepit negationem per modum rei positivæ: Quapropter omnis relatio rationis formaliter ut talis, fundatur in aliquo positivo, & non in aliqua negatione, sed solum hoc vere habet ens rationis, quod est negatio, vel privatio, quod unicè fundatur in carentia formæ privativa, aut negativa, consequenterque in divisione prædicta benè assignatur pro tertio membro ab omni alio distincto relatio rationis, quatenus à prædicamentali, vel transcendentali præscindit.

AR-

ARTICULUS III.

Vtrùm ens rationis in denominatione extrinseca consistat?

§. I.

Statuitur negativa conclusio.

COMPERTUM est duplicem dari denominationem, unam quidem intrinsecam provenientem à forma intrinseca, qualitèr denominatio albi provenit ab albedine intrinsecè in corpore recepta, & denominatio intelligentis provenit ab actione intellectiva, quæ intrinsecè in intellectu recipitur; aliam verò esse denominationem extrinsecam provenientem ab extrinseca forma existente in exteriori subjecto, sicut denominatio visi in pariete, quæ provenit à visione existente in potentia visiva, & denominatio cogniti in objecto, quæ provenit à cognitione intrinsecè in intellectu existente, & de prima denominatione nulla difficultas est, in secunda verò asserimus contra aliquos Authores, inter quos solet referri Durandus, non posse entia rationis constituere.

Assumptum probamus: quia denominatio extrinseca, quæ provenit à forma reali, est aliquid reale: ergò non potest in illa consistere ens rationis, siquidem ens rationis non potest consistere in aliquo reali. Antec. probatur primò. Talis denominatio extrinseca est effectus formæ realis, siquidem est ipsa forma intrinseca, extrinsecè communicata subjecto, vel ad ipsum terminata: ergò denominatio prædicta est aliquid reale, nam effectus formæ realis etiam realis est, sicut forma, à qua provenit, non enim est à forma realitèr entitativè distinctus.

Secundò probatur antec. Denominatio extrinseca, quæ provenit à forma reali habet esse ante considerationem intellectus, & independentèr ab illo: ergò est aliquid reale. Probatur antec. etiam si esset impossibilis intellectus, paries v.g. diceretur extrinsecè visus sicut, & potentia visiva diceretur videns, visum autem, & videns sunt correllativa, & unum sine alio esse non potest: quod idem de alijs denominationibus dicendum est: ergò prædicta denominatio extrinseca habet esse ante considerationem intellectus.

Respondent contrarij: denominationem extrinsecam non ponere in subjecto aliquid reale, & consequentèr non posse esse realem.

Sed

Sed contra: quamvis prædicta denominatio non ponat aliquid reale intrinsecum, ponit tamen aliquid extrinsecum reale: ergò aliquid reale est. Probatur antec. esse extrinsecè visum, & extrinsece cognitum objectum est aliquid, quod antea non habebat, licet extrinsecum; sed esse extrinsecè visum, vèl extrinsecè cognitum est aliquid reale, & non aliquid fictum: ergò quamvis prædicta denominatio non ponat aliquid reale intrinsecum, ponit tamen aliquid extrinsecum reale.

Secundò impugnatur: denominatio extrinseca cogniti, de qua est specialis difficultas, nihil rationis ponit in subjecto: ergò vel nihil ponit, vel ponit aliquid reale, & consequenter non potest in illa consistere ens rationis, quod necessario debet esse aliquid, quamvis fictum. Probatur antecedens. Si denominatio illa poneret aliquid rationis, nihil posset intellectus cognoscere, quin per talem operationem faceret aliquod ens rationis, & ipse Deus per omnem actum proprij intellectus faceret entia rationis; sed hoc dicendum non est: ergò illa denominatio nihil rationis ponit in subjecto.

Dices: prædictam denominationem non provenire à forma reali, eo quod cognitio non est forma realis rei cognitæ, sicut nec res cognita subjectum reale cognitionis, quæ non in illo, sed in intellectu recipitur, consequenterque denominatio hæc erit aliquid rationis.

Sed contra est: quia licèt cognitio non sit forma realis, realiter informans rem cognitam, est tamen forma realis, quæ realiter denominat illam, siquidem objectum realiter denominatur cognitum, sicut etiam intellectus realiter cognoscit objectum: ergò licèt denominatio prædicta non proveniat à forma realiter inhærente, provenit tamen à forma denominante realiter, & consequenter erit aliquid reale, & non aliquid rationis.

Confirmatur ratio supra facta conclusionis: quia denominatio dextri, vel sinistri est denominatio realis: ergò idem de omni alia dicendum. Probatur antecedens. Nullo intellectu considerante, nec aliqua potentia apprehendente, columna dicitur dextra, si sit magis propinqua dextræ, & sinistra, si sit ad latus sinistrum: ergò denominatio dextri, vel sinistri realis est.

Dices: Columnam nullam realem habitudinem importare ad manum, à qua dextra denominatur, nec manum importa-

tare habitudinem ad columnam : ergò columna non poteſt à manu realitèr dextra denominari.

Sed contra eſt; quia vere à parte rei columna approximatur magis ad unam, quam ad alteram manum; ſed propinquitas, vel approximatio iſta eſt aliqua realis habitudo, ſicut diſtantia inter duo extrema realis habitudo eſt : ergò nulla eſt data ſolutio.

Dices : Denominationem duplicis corporis, ut ſimul coexiſtentis, nullam importare habitudinem realem, nullam quippè habitudinem realem importare poteſt Gallus ad Hiſpanum, ex quo ſimul exiſtant: ergò etiam denominatio duplicis corporis habitudinem realem non involvit.

Sed contra : Quia duo corpora, ut ſimul exiſtentia dicunt habitudinem realem ad tempus, tanquam ad menſuram ſimul menſurantem utrumque, & à qua utrumque extrinſecè denominatur coexiſtens, coexiſtere namque unum alteri eſt, unum dicere habitudinem ad menſuram temporis, ut etiam alterum menſurantis: ergò ſolutio traddita nulla eſt.

§. II.

Argumentis contrariorum occurritur.

COntra concluſionem arguitur primo. Habitus Logicæ denominatur extrinſecè ſpecificatus ab enterationis, quod eſt objectum ſpecificativum illius; ſed talis denominatio eſt aliquid rationis: ergò aliqua denominatio extrinſeca eſt aliquid rationis. Probatur minor. Prædicta denominatio non diſtinguitur realiter à forma denominante; ſed forma denominans, à qua provenit, eſt forma rationis, ipſum videlicet objectum Logicæ, quod ſpecificat habitum realem : ergò prædicta denominatio eſt aliquid rationis.

Reſpondetur tamen facile prędictam denominationem non eſſe realiter diſtinctam ab objecto denominante, & conſequenter eſſe entitativè rationis, ſicut & ipſum objectum. Nos tamen in præſenti non loqui de quacumque extrinſeca denominatione, ſed de illa tantum, quæ provenit à forma reali.

Secundò arguitur : Denominatio extrinſeca cogniti eſt aliquid rationis : ergò etiam de-

denominatio extrinseca, quæ provenit à forma reali est aliquid rationis. Probatur antecedens. Talis denominatio habet tantum esse in intellectu, & solum existit dum intellectus cognoscit objectum: ergò talis denominatio aliquid rationis est.

Respondetur, negando antecedens, & ad probationem distinguo antecedens. Tantum esse subjectivum, concedo anteced. objectivum, nego antecedens. Nam ens rationis solum habet esse objectivum in intellectu, & illa denominatio non solum habet esse objectivum, sed etiam subjectivum in intellectu, eo quod est eadem entitas cum cognitione denominante, & cognitio intrinsece in intellectu recipitur.

Sed instabis primo: ergò illa denominatio non est realiter in rebus, & consequenter non est realitèr in rerum natura, sed est aliquid rutionis, & fictum ab intellectu.

Secundò instabis: Quando ens rationis postea est extrinsece cognitum, illa denominatio cogniti est aliquid rationis: ergò aliqua denominatio cogniti aliquid rationis est. Probatur antecedens hæc propositio: illud esse extrinsecè cognitum est aliquid reale, est falsa: ergò illa denominatio extrinseca in ente rationis cognito non est realis, sed aliquid rationis est. Probatur antecedens. In prædicta propositione extrema non supponunt pro eodem: ergò est falsa propositio. Probatur antecedens. In propositione prædicta prædicatum supponit pro ente reali, ut per se patet, & subjectum supponit pro ente rationis, siquidem supponit pro subjecto denominationis prædictæ, quod est ens rationis cognitum, eo quod omnia concreta pro subjecto suo supponunt: ergò in propositione prædicta extrema non supponunt pro eodem.

Respondetur ad primam, distinguendo consequens, realiter intrinsece, & informativè, concedo conseq. extrinsecè terminativè, nego conseq. Quia licèt denominatio recipitur intrinsece in solo intellectu, extrinsecè tamen applicatur rei cognitæ, vel objecto.

Dices: ergò prædicta denominatio non habet esse extra intellectum: ergò non habet esse realiter extra suam causam efficientem: ergò non est effectus realis realiter extra causas: ergò dum concipitur existere, fingitur existentia, quam non habet; ergò est aliquid rationis.

Sed facile dicitur, non habere esse extra causam subjec-

jectivè, quia in ipsa causa recipitur; habet tamen esse extra causam formalitèr, quia semel producta, non potest intellectus eam amplius producere.

Ad secundam replicam principalem negantur omnia antecedentia. Quia in prædicta propositione ly esse extrinsece cognitum, appellat conceptum proprium denominationis extrinsecæ, ideo propositio est vera quatenus subjectum supponit pro illo esse extrinseco reali, vel pro subjecto materiali reduplicativè, ut habente tale esse, secundum quam considerationem est aliquid reale; unde subjectum, ut in tali propositione ponitur, pro aliquo reali supponit.

Tertiò arguitur: Denominatio extrinseca visi non ponit aliquid reale etiam extrinsecum in subjecto: ergò realis non est. Probatur antecedens: quidquid est reale, vel est substantia, vel accidens; sed illa denominatio non est substantia, cum non habeat esse per se, nec est accidens in objecto extrinsece denominato, cum non inhæreat intrinsece tali subjecto: ergò prædicta denominatio non ponit aliquid reale etiam extrinsecum in subjecto.

Confirmatur: Denominatio creatoris est extrinseca Deo, siquidem provenit à creatura, quæ Deo extrinseca est; & tamen est aliquid rationis, siquidem advenit Deo in tempore, & nihil reale potest Deo in tempore advenire, alias de novo haberet Deus aliquid, quod non habebat ab æterno, consequenterque mutabilis esset: ergò denominatio extrinseca proveniens à forma reali aliquid rationis est.

Respondetur ad argumentum: Denominationem extrinsecam ponere in subjecto aliquod accidens, licèt extrinsecè, quia talis denominatio importat visionem ipsam, ut extrinsecè objecto applicatam; visio vero est verum accidens; nec necessarium est, denominationem, & accidens prædictum inhærere objecto, sed satis est, quod inhæreat in potentia visiva eo quod accidens debet inhærere in subjecto, in quo recipitur, & à quo sustentatur in esse, non tamen in subjecto illo, quod extrinsece afficit.

Ad confirmationem verò argumenti principalis responderi poterat: denominationem creatoris esse aliquid reale extrinsecum tamen Deo, & nullum esse inconveniens, aliquid reale extrinsecum Deo in tempore advenire, nam in tempore di-

dicitur de novo intuitivè visus, & extrinsecè dilectus à Beatis, quando Patriam ingrediuntur.

Secundò respondetur: denominationem creatoris esse intrinsecam in Deo, non quidem absolutam, sed connotativam provenientem ab actione creativa Dei, quatenus ad creaturas in propria mensura realiter terminatur, in qua solutione vim non habet argumentum.

Sed instabis: nihil reale intrinsecum potest Deo in tempore advenire, alias mutaretur Deus de non habente realitèr in realitèr habentem: sed denominatio creatoris Deo convenit in tempore: ergò denominatio intrinseca non est.

Respondetur: Distinguendo mai. quantum ad entitatem, & rectum, concedo maior. quantum ab obliquum, nego mai. & distinguo min. quantum ad obliquum, & connotatum, concedo min. quantum ad rectum, nego min. & conseq. Quia illa denominatio quantum ad suam entitatem æterna est, & in tempore advenire non potest; sed solum in tempore advenit quantum ad connotatum, quatenus in tempore connotat creaturas in propria mensura existentes, quas tamen ab æterno non connotabat: Deo autem aliquid reale intrinsecum in tempore advenire, quantum ad connotatum, nullum est inconveniens, eo quod hoc solum arguit mutationem connotati, non autem Dei mutationem, sicut Deum in tempore intrinsecè terminare humanitatem, solum arguit humanitatem in tempore mutari, non verò mutari Deum.

ARTICULUS IV.

Vtrum ens rationis consistat in aggregato ex rebus realibus, & cognitione intellectus?

§. I.

Statuitur negativa conclusio.

AFfirmant communiter Recentiores Iesuitæ, ens rationis consistere in pluribus entibus realibus falso adunatis per actionem intellectus, & propterea ens rationis esse aggregatum per accidens ex extremis prædictis, & cognitione intellectus, per quam falso iudicantur unita realiter, aut realiter identificata, cum tamen realitèr identificata non sint, nec possint talem identitatem habere: quibus ex parte adhæret Magist. Parra, qui *disp. 2. dub. 1. §. 3.* admittit entia rationis chymerica, & nullum habentia fundamentum in re constitui formaliter per cognitionem falsam intellectus, ut ad illa terminata;

cam: cæterum Thomistæ oppositum unanimi consensu defendunt, dempto prædicto Magist. qui ex illa parte extraneis præbet assensum, cum quibus nostra sententia, & conclusio.

Conclusionem istam probant aliqui Thomistæ: quia mons aureus; v.gr. non constat formaliter vero monte, & auro vero, sed hoc idem de omni alio dicendum: ergò ens rationis non consistit in aggregato ex entibus realibus falso adunatis per actionem intellectus, quando quidem solus verus mons, & verum aurum, & idem de extremis cuiuscumque alterius complexi, sunt vera entia realia, & realiter possibilia. Probatur mai. Mons aureus formaliter solum constat monete identificato cum auro, & ex auro Identificato cum monte; sed mons identificatus cum auro, & aurum identificatum cum monte non sunt verus mons, & aurum verum: ergò non constat vero monte, & auro vero. Probatur min. vero monti non repugnat existentia, quæ solum chymeræ, & impossibili repugnat, sed monti ideorificato cum auro formaliter, & auro formaliter, ut identificato cum monte repugnat existere: ergò mons identificatus cum auro, & aurum identificatum cum monte non habent rationem veri montis & auri veri.

Respondet quidam, & gravissimus Thomista, montem identificatum cum auro non esse verum montem, sed potius esse montem repugnantem, non tamen repugnare, quod verus mons concipiatur identificatus cum auro dererminabilis, & indistinctus ab illo, & ideo non valere consequentiam; dum concipio montem aureum, concipio montem, qui est aureus, sed mons verus non est aureus: ergò non concipio verum montem, cuius rationem assignat, quia verus mons potest esse aurus objectivè, & si non verè, & in re.

Sed ut verum fatear, non satis percipio Sapientissimum Mag. Nam vel loquitur de monte materialiter accepto, vel de illo formaliter, ut componente complexum, si primum, verum dicit, quia extrema montis aureis materialiter sumpta vera sunt, siquidem in re datur verus mons, & verum aurum, in quo tamen sensu non bene impugnat oppositum asserentes, qui quidem non loquuntur de monte, & auro materialiter sumptis; si secundum, asserit falsum, nam extrema formaliter sumpta sunt ipsa extrema, ut coniuncta, & ad invicem identificata; sed mons realiter

identificatus cum auro nequit eſſe verus mons, quando quidem illi, ut tali repugnat eſſentialiter exiſtere: ergò nulla eſt data ſolutio.

Secundò impugnatur ſolutio traddita: quia mons conceptus ut identificatus cum auro nequit eſſe verus mons: ergò repugnat, quod verus mons concipiatur identificatus cum auro determinabilis, & indiſtinctus ab illo, & ſit aureus objectivè. Probatur antec. Mons, cui repugnat eſſentialiter exiſtere, nequit eſſe verus mons, ſed potius eſt impoſsibile, & chymera; ſed monti concepto, ut identificato cum auro repugnat exiſtere: ergò mons conceptus ut identificatus cum auro nequit eſſe verus mons.

3. Impugnatur. Gratia concepta ut exiſtens cum peccato non eſt vera gratia, ſed gratia ficta, quando quidem eſt gratia repugnans: ergò mons conceptus, ut identificatus cum auro nequit eſſe verus mons, nam idem videtur in utroque caſu dicendum.

Dices: Gratiam conceptam, ut ſimul exiſtentem cum peccato eſſe veram gratiam objectivè, quamvis in re vera non ſit.

Sed contra: quia gratia concepta ſine prædicato ſibi eſſentiali nequit eſſe vera gratia objectivè, quia gratia ſine eſſentia gratiæ eſt chymera, etiam objectivè; ſed gratia concepta ut ſimul exiſtens cum peccato eſt gratia ſine prædicato ſibi eſſentiali, cum ſit prædicatum eſſentiale gratiæ animam mundare, & expellere culpam: ergò gratia concepta ut ſimul exiſtens cum peccato non eſt etiam objectivè vera gratia.

§. II.

Occurritur argumentis contra rationem prædictam.

QUando concipimus montem aureum, concipimus verum montem: ergò ratio ficta nititur falſo principio. Probatur anteced. Quando dicimus, mons eſt aureus, concipimus, verum montem: ergò etiam quando concipimus montem aureum, verum montem concipimus. Probatur ant. primo. Quando dicimus, mons non eſt aureus, concipimus verum montem, de quo verè negamus eſſe aureum: ergò quando dicimus mons eſt aureus, etiam verum montem concipimus, nam prædictæ propoſitiones ſunt contradictoriæ, quæ proinde debent eſſe eiuſdem de eodèm.

Secundò probatur antec. Nam prædicta propoſitio ideo fal-

falsa est, quia mons in illa supponit pro verò monte, de quo non verificatur esse aureum: ergò dum prædictam propositionem formamus, concipimus verum montem.

Tertiò probatur ant. de eo quod non concipimus nihil negare possumus; sed dum dicimus, mons est aureus, concipimus, objectum ita non esse, & subjecto non convenire prædicatum: ergò concipimus verum montem, de quo solo possumus prædicatum negare.

Quartò: Intellectus dum distinguit realiter inter prædicata identificata, vel naturam comparat ad inferiora, solum fingit relationem distinctionis, aut relationem speciei, vel aliam similem, non verò fingit extrema: ergò dum intellectus concipit montem aureum, fingit unionem, non verò extrema, sed verum concipit montem.

Respondetur, negando antec. Vel illud explicando iuxta distinctionem statim examinandam, & ad probationem distinguo antec. Verum montem ex parte rationis *quæ*, & in esse rei, concedo antec. Formaliter ut componentem, & in esse objecti, nego antec. & conseq. Quia dum dicimus mons est aureus, solum concipimus verum montem pro subtracto, & ex parte rationis *quæ*; non autem verum formaliter in ratione componentis complexum supradictum; sic enim est mons realiter identificatus, aut realiter coniunctus cum auro, qui verus esse non potest, ut ratio supra facta convincit, ut tamen propositio falsa sit satis est, quod pro subtracto, & ex parte rationis *quæ* concipiamus verum montem (sicut de facto contingit) nam de ratione *quæ* affirmatur, vel negatur prædicatum, non verò de subjecto sumpto in esse objecti formaliter; & ut vestito intentione componentis, ut cum dicimus, homo est animal, non verificatur prædicatum de subjecto formaliter in ratione componentis, alias verificaretur de subjecto, ut subjecto formaliter, & consequenter esset verum, in prædicta propositione subjectum ut tale est prædicatum. Et cum dicitur, omnis homo est animal est propositio, prædicatum verificatur de subjecto secundum rationem *quæ*, & non de illo, ut componente formaliter, quia prout sic subjectum est terminus, & non propositio. Pariter ergò cum dicimus, mons est aureus, prædicatum affirmatur de monte, non formaliter, ut componente fictitiè, alias esset vera propositio, sed de illo pro subtracto, & ex parte rationis *quæ*, cui tamen non convenit prædicatum. Qua

propter eum talem propositionem formamus, concipimus verum montem ex parte rationis *quæ*, & illi prout sic falsam applicamus identitatem, vi cuius formaliter, & exercitè in ratione componentis manet aliquid rationis.

Ad secundam probationem antec. principalis, distinguo consequens, verum montem pro subsstracto, & ex parte rationis *quæ*, concedo conseq. verum formaliter in ratione componentis, nego conseq. & simili modo, & sub eadem distinctione ad tertiam probationem respondemus.

Ad quartum probationem, distinguo antec. Extrema pro subsstracto, & ex parte rationis *quæ*, concedo antec. Formaliter sumpta, nego antec. Quinamque fingit distinctionem inter prædicata identificata, aut relationem speciei, non fingit materialiter extrema; v. gr. animal, & rationale, aut naturam humanam, fingit tamen illa formaliter, quia fingit ordinem, vel intentionem rationis, & extrema formaliter sub induunt intentionem rationis, & consequenter sumpta formaliter sunt aliquid fictum per formam fictam, & rationis formalitèr constituta.

Dices: Mons est aureus, & mons non est aureus sibi invicem contradicunt, sed in secunda propositione concipimus verum montem, cui non convenit verum aureum, & propterea vera est propositio negativa: ergò etiam in prima verum montem concipimus, quia contradictoriæ requirunt identitatem subjecti.

Respondetur: Propositiones contradictorias requirere identitatem subjecti affirmationis, & negationis, cumque prædicatum affirmetur, & negetur de subjecto ex parte rationis *quæ*, & non formaliter in ratione componentis, inde fit, quod ut secunda propositio sit vera, & prima falsa, satis est, quod in utraque concipiamus verum montem ex parte rationis *quæ*.

Secundò poterat argui: quia in hoc complexo mons aureus, ly *mons* non alienatur, sicut alienatur in altero *mons pictus*, sed potius ly mons removetur: sed remotio tunc contingit, quando terminus ratione alterius termini repugnantis non potest supponere: ergò in prædicto complexo ly aureus non repugnat monti, sed solum vero monti repugnat: ergò ly mons pro vero monte supponit.

Respondetur tamen facile: quod licèt mons in ratione componentis sit formaliter aliquid rationis, & fictum, materialitèr tamen, & ex parte rationis quæ, vel specificative est ve-

verus mons, & ideò removetur à ſupponendo, quia quando ſubſtantivo ſumpto ſpecificative adiectivum repugnat, non poteſt ſupponere ſubſtantivum, eo quod terminus non ſignificat ipſum, ut re vera determinabile per adiectivum coniunctum, & ideo ex argumento ſolum infertur, nos concipere verum montem ſpecificativè, & ex parte rationis *quæ*, non vero formaliter in ratione componentis, ſed potius infertur oppoſitum, quia ſi adiectivum ſubſtantivo repugnat, utrumque formaliter, ut coniunctum non erit aliquod verum ens, ſed ſolum aliquid fictum.

Iuxta quam doctrinam explicantur facile verba Aug. contra Arrium aſſerentem, filium eſſe inæqualem patri, verba autem ea ſunt: *Aliud eſt enim filius, aliud quod tu dicis.* Quod idem ac ſi diceret: Arrium concipere materialiter verum filium, ſed non formaliter verum, ſed potius filium formaliter repugnantem, quatenus cum concipiebat cum inæqualitate ad patrem, quę quidem inæqualitas non vera, ſed ficta eſt, cum ſit de fide filium eſſe æqualem in re cum patre; hæreticus namque filium Dei concipiebat inæqualem; ſed filius Dei eſt verus filius, quem nos fatemur: ergò concipiebat materialiter verum filium, quamvis formaliter apparentem, quod eſt formaliter alium concipere.

§. III.

Probatur ſecundo concluſio noſtra ratione.

MAgis diſtat ens rationis ab ente reali, quam accidens à ſubſtantia, indiviſibile à diviſibili, ſpirituale à materiali; ſed ex duplici accidenti, nequit reſultare ſubſtantia, & ex duplici indivinbili non poteſt diviſibile, & extenſum reſultare, nec ex duplici ente ſpirituali ſubſtantia, vel ens materiale reſultare poteſt: ergò ex extremis, quorum unumquodque eſt reale, & actione reali intellectus utrumque adunante, nullo alio ſuperaddito, non poteſt reſultare aliquid rationis formaliter, proindeque in aggregato prædicto nequit ens rationis conſiſtere.

Confirmatur: quando intellectus inter in diſtincta diſtinguit, non adunat, ſed potius dividit extrema; ſed talis diviſio eſt aliquid rationis: ergò non omne ens rationis conſiſtit in aggregato extremorum realium, & actione intellectus falſo adunante.

Tertiò probatur concluſio: quia ens rationis ut diſtinctum ab ente reali tantum habet eſſe objectivè in intellectu, ſed præ-

dictum aggregatum non habet tantum eſſe objectivè in intellectu: ergò ens rationis non eſt. Probatur min. extrema realia realitèr exiſtunt, & actio realis intellectus per quam adunantur extrema, etiam exiſtit realiter, & non ſolum objectivè; ſed aggregatum prædictum nihil aliud includit in ſententia contraria præter hæc enumerata: ergò non habet tantum eſſe objectivè in intellectu.

Reſpondebis: extrema falſo adunata ſeorſim ſumpta realiter exiſtere, non tamen exiſtere realiter, ut terminantia cognitionem, hæc namque terminatur ad illa non accepta divisivè, ſed potius quatenus unita, & identificata realitèr, quæ unio, & identitas realiter impoſsibilis eſt.

Sed contra: ergò ideo cognitio prædicta facit ens rationis, quia concipit extrema ut unita, & identificata realiter, & hæc unio realiter impoſsibilis eſt; ſed talis identitas eſt entitative diverſa ab extremis realibus, & cognitione falſo adunante: ergò non in his conſiſtit ens rationis, ſed in aliquo ſuperadito entitative. Probatur min. talis identitas non eſt realis, ſed aliquid pure objectivum, & cui eſſentialiter repugnat exiſtere à parte rei: ergò entitativè diſtincta eſt ab extremis, & cognitione adunante, alias illi non repugnaret exiſtere, ſicut non repugnat extremis, & cognitioni adunanti.

Confirmatur tertia ratio ſupra facta: ens rationis non poteſt realitèr exiſtere; ſed aggregatum prædictum poteſt exiſtere realiter: ergò ens rationis non conſiſtit in prædicto aggregato. Probatur min. Aggregatum nihil aliud eſt præter partes; ſed ſingulæ partes poſſunt exiſtere realiter: ergò ipſum aggregatum poteſt realiter exiſtere.

Reſpondebis: aggregatum nihil aliud eſſe præter partes ut unitas, & illas prout ſic realitèr exiſtere non poſſe.

Sed contra: partes ut unitæ realiter exiſtere poſſunt, ſi unio partium realitèr poteſt exiſtere, ſed unio prædictorum extremorum realiter exiſtere poteſt: ergò. Probatur minor. unio prædictorum extremorum eſt actio realis intellectus, ſed hæc realitèr exiſtit, ut per ſe manifeſtum eſt, & realiter apprehendit extrema: ergò unio prædictorum extremorum realitèr exiſtere poteſt.

Dices: actionem intellectus non unire vere, & realiter extrema, ſed tantum unire falſo, & ex modo quo tendit ad illa, & conſequenter totum reſultans non poſſe realiter exiſtere.

Sed contra: ſi ſolutio vera

ra est, ipsa cognitio sumpta entitativè non erit unio, nam secundum rationem istam realiter existere potest; sed solum erit unio ex modo tendendi, & quatenus extrema, ut unita cognoscit; sed talis unio cognita non est realis, quia unioni passivæ cognitæ repugnat existentia realis: ergò ens rationis non consistit in aggregato ex entibus realibus, sed in aliquo alio superaddito entitative.

Respondebis: quod ut cognitio uniat ex modo tendendi, non requiritur, quod unionem objectivam attingat, sed satis est, quod modo unitivo tendat ad extrema.

Sed contra: Quia cognitio illa unitiva falsa est; sed ab eo, quod res non est dicitur falsa cognitio: ergò cognitio unitiva attingit unionem, quæ non est, nec potest realiter esse: sed in illa unione consistit ens rationis: ergò consistit in aliquo, quod nec est, nec potest esse, proindeque non in aggregato ex entibus realibus, sed in aliquo superaddito entitative debet ens rationis consistere.

Confirmatur impugnatio prædicta: quia illa cognitio id attingit, quod affirmat, sed affirmat aliquid, quod non est, illa videlicet extrema esse realiter identificata, & unita: ergò attingit aliquid, quod non est, nec potest esse, sed quod non est, nec potest esse realiter, aliquid rationis est: ergò aliquid rationis attingit, per quod uniuntur extrema, consequenterque ens rationis non consistit in extremis, & actione tendente modo unitivo, sed in alio ab his omnibus condistincto.

Et si dicas: unionem objectivam attingere, non tamen fictam, sed veram, & realem, falsò tamen applicatam extremis.

Sed contra: quia unio illa applicata, ut sic applicata realiter existere nequit: ergò prout sic vera, & realis non est, alias existere posset.

Secundò impugnatur: Quia nulla identitas vera, & realis potest extremis applicari, etiam falsò, non quidem aliorum identitas, cum sit lumine naturali notum, identitatem aliorum non posse his extremis convenire, nec etiam identitas propria, cum lumine naturali notum sit, hæc extrema identificari non posse: ergò ruit data solutio.

Tertiò impugnatur: Tàm identitas propria, quàm identitas aliorum, in his extremis impossibilis est: ergò si in propria identitate, vel aliena his applicata consistit ens rationis, non consistit in aggregato extremorum realium, sed in aliquo impossibili ab his omnibus condistincto.

*** ***

§. IV.

Argumentis contra conclusionem occurritur.

COntra conclusionem nostram arguunt adversarij primò. Coexistentia, quam possumus apprehendere Petri seorsim possibilis, & illius carentiæ seorsim etiam possibilis, est aliquid rationis; sed coexistentia prædicta nihil aliud includit præter existentiam, & Petrum ut falso adunata per actionem intellectus: ergò in aggregato extremis realibus, ut falso adunatis per actionem intellectus, debet ens rationis consistere. Probatur min. primò. Existente modo Petro, & non illius carentia, deficit coexistentia utriusque, sed non defficit existentia prædicta per defectum Petri, qui modo est, sed præcisse per defectum carentiæ, quæ modò non est simul cum Petro: ergò coexistentia utriusque nihil includit præter existentiam, & Petrum falso adunata per actionem intellectus.

Secundò probatur minor. Prædicta coexistentia illud præcisè importat, quod in rerum natura esset, si coexistentia existeret in rerum natura; sed si coexistentia existeret, nihil aliud involueret, quam Petrum, & carentia illius, nam ut coexistentia sit in instanti A. v. g. satis est, & esse Petrum in tali instanti, & in eodem esse carentiam illius: ergò coexistentia prædicta nihil includit præter Petrum, & eius carentiam falso cum Petro adunatam per actionem intellectus.

Respondetur ad hoc argumentum negendo min. & ad probationem illius distinguo min. Petri quantum ad entitatem, concedo min. quoad ordinem realem ad tempus, nego min. & conseq. Quia coexistentia utriusque extremi importat ordinem realem ad idem instans, vel ad idem tempus, ut mensuram utriusque, qui ordo non reperitur in Petro, deficiente illius carentia, & ideo deficiente carentia, deficit coexistentia, non solum propter defectum carentiæ, sed etiam propter defectum Petri quantum ad ordinem realem ad tempus, ut mensuram utriusque, qui ordo in Petro non est deficiente carentia.

Ad secundam probationem; negatur etiam min. Quia si poneretur in rerum natura coexistentia prædicta, daretur etiam in utroque extremo ordo realis ad idem tempus, ut mensuram utriusque, qui ordo realiter ab extremis distinguitur, & ideo si coexistentia daretur in rerum natura, aliquid

aliud

aliud præter enumerata in rerum natura existeret.

Sed instabis : objectum hujus propositionis : Petrus existit, vel existit ejus carentia, nihil includit distinctum à Petro, & ejus carentia possibili : ergò etiam objectum hujus, Petrus, & ejus carentia simul existunt, nihil includit præter extrema prædicta, quia copulativa, & desjunctiva ejusdem materiæ non differunt ex objecto, sicut ex objecto non differunt, existit Petrus, vel Paulus existit ; & Petrus, & Paulus simul existunt.

Respondetur : Copulativam, & disjunctivam ejusdem materiæ non differre in objecto ex parte extremorum materialiter, benè tamen ex parte illorum formaliter ; quia in objecto copulativæ importatur ordo realis coexistentiæ, vel simultatis in existendo, & in objecto disjunctivæ talis ordo non reperitur, sicut in objecto copulativæ importatur aliquid impossibile, quod non importatur in objecto disjunctivæ.

Secundò arguitur ex simplicibus, & incorruptibilibus potest resultare compositum corruptibile, sicut homo componitur ex materia, & forma, quarum quælibet simplex, & incorruptibilis est ; ergò etiam ex extremis, quorum unumquodque est reale, poterit resultare aliquid rationis.

Confirmatur : coexistentia gratiæ cum peccato est aliquid rationis ; sed coexistentia prædicta nihil involuit præter gratiam, & peccatum, & actionem intellectus falso adunantem : ergò in aggregato prædicto consistit ens rationis.

Respondetur ad argumentum negando conseq. Quia ens compositum substantiale, & per se tale resolvitur in partes simplices, & illas necessario requirit, & ideò ex simplicibus potest resultare compositum.

Rursus : partes simplices possunt uniri, & si semel uniuntur, debet resultare compositum, nam compositio est distinctorum unio, & ideò ex simplibus potest compositum resultare, cui repugnet denominatio simplicis, quæ est propria partis, ut distinguitur à toto, & non utrique communis. Similiter extrema in corruptibilia possunt corruptibiliter uniri, quatenus forma potest amissibiliter informare partem materialem, & ita propter unionem corruptibilem, & defectibilem, potest ex incorruptibilibus corruptibile resultare ; verum extrema realia, de quibus fermo est, etiam uniuntur unione reali videlicet

pos-

per actionem ipsam intellectus falso realiter adunantis. Et propterea ex extremis realibus, & illa unione reali non potest resultare aliquid rationis.

Ex quibus constat, denominationem simplicis esse propriam partium, sicut illarum propria est denominatio partis, consequenterque toti convenire non debere; denominationem verò realis posse, & debere esse partibus, & toti communem, si partium unio realis est, & ideò toti debere convenire, si supra partes reales solum superaddit unionem realem; nam in hoc eventu totum nihil non reale importat, cum totum nihil aliud sit præter partes, ut unitas; sicut si partes sunt incorruptibiles, & unio illarum esset etiam incorruptibilis, totum formaliter, ut tale incorruptibile resultaret.

Ad confirmationem argumenti, negatur min. Quia in coexistentia gratiæ cum peccato præter gratiam, & peccatum, & actionem intellectus falso adunantem, reperitur ordo ad idem tempus, ut mensuram utriusque, qui ordo realiter impossibilis est, cum non possit existere à parte rei; & ita talis coexistentia præter extrema enumerata includit aliquid impossibile: ab extremis condistinctum, quod propterea mirum non est esse aliquid rationis.

Dices: prædicta coexistentia, quatenus ficta formaliter, est ens rationis; sed quatenus ficta est, nihil non reale importat: ergò ex realibus pure potest resultare coexistentia rationis. Probatur min. Coexistentia illa, quatenus ficta est, constituitur per fictionem, & de materiali gratiam, & peccatum importat; sed gratia, & peccatum sunt realia, & fictio etiam realis est: ergò coexistentia, quatenus ficta, nihil non reale importat.

Respondetur negando min. & ad probationem distinguo maj. per fictionem terminativè sumptam, concedo min. sumpta activè, nego min. & quamvis fictio sumpta activè sit actio realis, terminativè tamen sumpta realis non est, sed potius est aliquid fictum productum per fictionem intellectus; cumque coexistentia, quatenus ficta, constituatur formaliter per terminum, & ens rationis consequutum ad actionem fingentem, & per illam productum, inde fit, coexistentiam, ut fictam per aliquid reale non constitui, sed formam rationis ad inventam, & productam, tanquam sui constitutivam involuere.

AR-

ARTICULUS V.

Vtrùm ens rationis consistat in aliquo ficto realiter impossibili, & ab omni possibili condistincto?

§. I.

Statuitur affirmativa conclusio.

EX dictis artic. præced. constare poterat statuta conclusio: quia si ens rationis non consistit in aliquo ente reali, nec in aggregato ex pluribus realitatibus composito: necessario debet consistere in aliquo distincto ab omni ente reali, & consequenter in aliquo impossibili, & ficto; nam omnia entia possibilia, & vera entia realia sunt.

Probatur tamen ulterius conclusio nostra: Quia ens rationis illud est, quod tantum habet esse objectivè intellectu, in qua doctrina perpetuus fuit Arist. & non aliam unquam tradidit D. Thom. & ex eo constat, quod si præter esse objectivum haberet aliud esse, ipsum haberet extra intellectum, aut à parte rei, consequenterque verè haberet esse reale, & non esset ens rationis; sed esse pure objectivum est esse fictum, & essentialiter impossibile: ergò ens rationis consistit in aliquo ficto, & impossibili adæquatè distincto ab omni possibili. Probatur min. esse purè objectivum non potest existere à parte rei, alias non esset purè objectivum, sed esset verum subjectivum, & reale: ergò esse purè objectivum est esse fictum, & essentialiter impossibile, nam soli impossibili repugnat essentialiter existentia realis.

Secundò probatur ex doctrina adversariorum; nam ideò non posset ens rationis consistere in aliquo esse ficto, & impossibili ab omni possibili condistincto, quia tale objectum non potest ab intellectu cognosci, sed posse ab intellectu cognosci tenentur adversarij concedere: ergò in tali esse ficto, & impossibili debet ens rationis consistere. Probatur minor. Dum adversarij negant posse cognosci tale objectum, ipsum necessario cognoscunt, quia de objecto non cognito nihil potest intellectus affirmare, vel negare: ergò tale objectum posse ab intellectu cognosci tenentur adversarij concedere.

Confirmatur utraque ratio: Nullum ens rationis potest existere à parte rei: sed omne ens identificatum cum creatura possibili potest à parte rei existere: ergò nullum ens rationis potest consistere in aliquo possibili, sed necessario con-

consistere debet in aliquo ficto, & impossibi ab omni possibili condistincto. Min. probatur. Ens identificatum cum creatura possibili non habet aliam existentiam, quam illam, per quam existeret creatura prædicta; sed omnis creatura possibilis potest habere à parte rei existentiam: ergò ens identificatum cum creatura possibili potest etiam existere à parte rei.

Confirmatur ulterius: Nam cum dicimus mons est aureus, homo est equus alter Deus est possibilis, entia rationis formamus; sed talia entia rationis consistunt in entitate impossibili ab omni possibili condistincta: (& idem de quocumque alio eadem ratione dicendum) ergò omne ens rationis consistit in aliquo impossibili entitativè ab omni possibili condistincto. Probatur min. Talia entia rationis consistunt in identitate, quam constituimus inter hominem, & equum, aut inter montem, & aurum; sed hæc identitas est quædam entitas impossibilis distincta à quocumque possibili: ergò. Probatur minor. Talis identitas entitativè distinguitur ab entitate hominis, & equi, & ab omni alia possibili: ergò est entitas impossibilis ab omni possibili condistincta. Probatur antecedens. De eadem entitate non potest verificari, quod existit, & non existit in doctrina unanimi contrariorum; sed de tali identitate verificatur modò, quod non existit, alias homo, & equus defacto identificaretur realitèr, & de entitate hominis, & equi verificatur existere: ergò identitas prædicta entitativè distinguitur ab entitate hominis, & equi, & ab omni alia possibili; nam de quacumque alia possibili potest verificari, aliquando existit, & de hac Identitate semper est verum nunquam existere.

Respondebis: quod dum dicimus, mons est aureus, homo est equus, & alter Deus est possibilis, non formamus entia rationis; sed solum falso attingimus objecta prædicta, affirmando de subjecto prædicatum, quod illi convenire non potest.

Hæc tamen solutio etiam in doctrina contrariorum impugnationem, & falsitatem invenit; nam ipsi asserunt, ens rationis consistere in aggregato ex extremis realibus, ut falso adunatis per actionem intellectus; sed dum dicimus, homo est equus, alter Deus est possibilis, extrema illa falso adunantur per actionem intellectus: ergò dum talia dicimus, entia rationis formamus.

Res-

Respondebis secundo: Prædictos actus esse falsos, & entia rationis formare, non tamen attingere aliquod entitative impossibile, sed solum attingeret entitates hominis, & equi, montis, & auri, quarum unam de altera affirmant.

Sed contra est: quia dum dicimus, mons est aureus; homo est equus, attingimus identitatem inter extrema prædicta; sed talis identitas est entitas impossibilis, ut antecedenter vidimus; ergò attingimus aliquid entitative impossibile. Probatur mai. id attingimus, quod per actum affirmamus; sed per actus prædictos affirmamus, montem identificari cum auro, & equum identificari cum homine: ergò attingimus identitatem inter extrema prædicta. Probatur min. primo. Quia hominem esse equum, est identificari cum equo, & non aliud; sed per actus prædictos affirmamus, hominem esse equum, & montem esse aureum: ergò affirmamus identificari extrema prædicta.

Secundò probatur min. Nam ideo prædictæ propositiones sunt falsæ, quia per eas affirmamus identificari extrema, quæ revera identificata non sunt: ergò per actus prædictos affirmamus, prædicta extrema identificari.

3. Probatur min. Nam identitas duorum non melius explicatur, quam per unitatem in esse; sed per actus prædictos affirmamus hominem esse equum, & montem esse aureum: ergò affirmamus etiam extrema prædicta inter se identificari.

§. II.

Argumentis contra conclusionem occurritur.

COntra conclusionem nostram arguitur primò: Implicat objectum positivum purè fictum, & adæquate ab omni possibili conditinctum: ergò in tali objecto nequit ens rationis consistere. Probatur antecedens primò. Implicat objectum, ex cujus positione sequuntur contradictoria; sed ex quo detur objectum positivum purè fictum distinctum ab omni possibili; v. gr. alter Deus, duo contradictoria sequuntur: ergò implicat tale objectum. Probatur minor. Sequuntur contradictoria sequentia: si daretur alter Deus, existeret, si daretur alter Deus, non existeret, quia ex impossibili sequitur utrumque: ergò contradictoria sequuntur.

Secundò probatur antec. Omne objectum positivum debet esse saltim apparenter ens;

ens, ſed objectum purè fictum diſtinctum ab omni poſsibili non eſt apparenter ens: ergò implicat tale objectum. Probatur min. Quod eſt aparenter ens, licèt non ſit vere ens, verè tamen eſt apparentia entis, & illius ſimilitudo, ſicut imago D. Th. licèt non ſit vere Thomas, eſt tamen vera illius ſimilitudo; ſed objectum pure fictum à poſsibili diſtinctum nequit eſſe verè apparentia, & ſimilitudo entis, eo quod tale objectum eſt nihil verum, & nihil verum nequit eſſe vera alicujus ſimilitudo, alias eſſet aliquid verum, ſimilitudo videlicèt vera: ergò objectum purè fictum ab omni poſsibili condiſtinctum non eſt apparenter ens.

Confirmatur argumentum: Dum intellectus affirmat, hominem eſſe equum facit identitatem rationis; ſed talis identitas impoſsibilis, & facta non eſt: ergò non omne ens rationis conſiſtit in eſſe ficto, & impoſsibili ab omni poſsibili condiſtincto. Probatur min. Dum intellectus affirmat hominem eſſe equum, affirmat identitatem poſsibilem, & realem; nam ſi fictam identitatem affirmaret, propoſitio non eſſet falſa, ſiquidem inter extrema prædicta datur identitas ficta: ergò talis identitas impoſsibilis, & ficta non eſt.

Reſpondetur ad argumentum negando ant. & ad primam probationem, diſtinguo mai. Sequuntur abſolute, conced. mai. Sub hypotheſi impoſsibili, nego mai. & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſeq. Quia licèt ſit implicatorum objectum, ex cujus poſitione ſequuntur abſolute prædicata contradictoria, ſicut, & ipſa eſſe vera ſimul, impoſsibile eſt abſolute; non tamen eſt impoſsibile objectum, de quo ſub hypoteſi impoſsibili verificentur contradictoria, & talis eſt alter Deus ſub hypoteſi impoſsibili, quod daretur, de quo ſimul eſſe verum exiſtere, & non exiſtere, ſicut, & eſſe, & non eſſe primum principium, eſſe, & non eſſe ultimum finem, quod infinitis exemplis cernere licet.

Secundò reſpondetur: quod licèt data, hypoteſi impoſsibili, & quod objectum impoſsibile exiſtat, verificentur duo prædicata contradictoria abſoluta, nunquam tamen verificari poſſunt ſub conditione hypotheſis contradictoria conditionata, nec talia ſunt, quæ in argumento adducuntur, ſiquidem copula, & particula conditionalis in nulla earum negatur, quod ad contradictionem conditionatam requiritur; eſſent tamen conditionata contradictoria, ſi in ſecunda diceretur, non ſi daretur alter Deus exiſ-

existere, quæ propositio falsa est, nam si alter Deus daretur existere, & non existere simul, & ita falsum est, quod non si daretur existeret, & non existeret, quod significatur per illam propositionem: non si daretur existeret.

Ad secundam probationem antec. principalis, negatur min. & ad cujus probationem distinguo maj. verè enuntiativè, concedo maj. subjectivè, nego maj. & distinguo min. vere subjectivè, concedo min. quia talis aparentia, & similitudo subjectivè est ficta, sicut ipsum esse rationis. Verè enuntiativè, nego min. & conseq. Quia quamvis apparentia, & similitudo ficta sit, & talis secundumquid, verè tamen enuntiatur de ente rationis: nam hæc propositio: ens rationis est apparentia, & similitudo ficta, veritima est.

Ad confirmationem vero argumenti respondent aliqui quod dum intellectus affirmat, hominem esse equum, affirmat identitatem realem, & possibilem, non tamen verè, sed falso applicatam extremis, & propterea propositionem esse falsam, quia non correspondet illi, identitas, quam affirmat.

Hæc tamen solutio vera esse non potest: quia talis identitas realis nequit esse, nec propria nec aliena: ergò nullam identitatem realem potest intellectus affirmare. Probat. ant. quantum ad primam partem, quia esse realem, & propriam implicat in terminis, eo quod propriæ identitati repugnat essentialiter existere à parte rei: ergò repugnat esse realem; nam nulli enti vere reali potest repugnare existentia realis: ergò identitas realis, quam posset intellectus affirmare, propria esse non potest.

Quantum ad secundam partem, videlicèt illam identitatem realem, quam intellectus affirmat alienam esse non posse, probatur. Illam identitatem affirmat intellectus, quam prædicat, sed de homine, & equo, monte, & auro, non prædicat identitatem alienam, cum lumine naturali cognoscat intellectus, hominem, & equum per alienam identitatem identificari non posse: ergò non affirmat intellectus realem identitatem alienam, & ideò ac solutione relicta.

Respondetur ad confirmationem negando minor. & ad probationem distinguo antec. possibilem, & realem apparenter, concedo antec. vere possibilem, & realem nego antec. & conseq. Nam identitas, quam intellectus affirmat, in rei veritate impossibilis, & ficta est, & solum est possibilis, & realis apparenter.

Sed

Sed instabis primo: ergò propositio illa affirmat identitatem rationis, & fictam: ergò vera est: quia talis identitas vere datur.

Secundò instabis: Istæ propositiones: homo est equus, homo non est equus, sunt contradictoriæ; sed secunda negat identitatem realem: ergò prima identitatem realem affirmat, & non fictam identitatem, quia contradictoriæ necessario debent habere idem objectum, alias contradictoriæ non essent.

Respondetur ad primam replicam, distinguendo primum consequens, identitatem rationis tanquam veram, concedo conseq. tanquam fictam, nego conseq. & ideò illa propositio falsa est, quia identitatem fictam, & rationis tanquam veram identitatem affirmat, saltim ex modò proferendi, & ex vi cognitionis, & assertionis directæ; cum tamen illa identitas vera non sit.

Ad secundam replicam distinguo mai. pro formali, concedo mai. pro subtracto, & materiali, nego mai. & concessa min. distinguo consequens, fictam ut talem, concedo conseq. fictam, ut veram, nego conseq. Nam prima propositio affirmat identitatem fictam tanquam veram identitatem ex modo asserendi, & enuntiandi, & ex parte ipsius objecti hæc identitas tanquam vera relucet, & attingitur pro formali, & propterea prædicta propositio pro formali alteri contradicit, quia altera negat identitem veram pro formali, & hæc affirmat identitatem fictam, ut veram.

Secundò arguitur: Impossibile non exigit ex conceptu talis entitati è distingui à quocumque possibili: ergò ex quo ens rationis consistat in esse ficto, & impossibili, non infertur consistere in aliquo ab omni possibili enti ative distincto. Probatur anteced. primò. Si Petrus modo existens supponeretur simul existens, & non existens, daretur aliquod impossibile; sed hoc impossibile non distingueretur à Petro possibili, & modo existente: ergò impossibile ex conceptu tali non exigit entitative è distingui. Probatur min. Impossibile prædictum non distingueretur ab ea entitate, de qua in hypothesi illa verificaretur existere simul, & non existere; sed illa entitas esset eadem entitas Petri existentis, alias entitas Petri modo existentis, non esset in illa hypothesi facta impossibilis: ergò illud impossibile non distingueretur à Petro possibili, & modò existenti.

Secundò probatur, & explicatur antec. Vel entitas, quæ in hypothesi prædicta existere,

& non existeret, esset eadem entitas Petri : vèl alia distincta realitèr ; si secundum : ergò entitas, quæ implicat, non est entitas Petri ; si primum habemus intentum : ergò idem habemus intentum : ergò idem, quod prius.

Tertiò probatur : Petrum modo existentem existere, & non existere simul, est impossibile ; sed tale impossibile non est distinctum à Petro modo existente: ergò non est distinctum à Petro possibili.

Confirmatur: Ens parte fictum, & adæquate distinctum à quocumque possibili, non est verè intelligibile ; sed ens rationis est verè intelligibile : ergò non est adæquate distinctum à quocumque possibili. Probatur mai. primò. Quod est vere intelligibile, est intelligibile non fictè ; sed ens fictum non est intelligibile non fictè, alias esset intelligibile ante operationem intellectus; nam quod verè tale est, & non fictè, habet esse tale antè opus intellectus : ergò ens purè fictum, & adæquate distinctum à quocumque possibili, non est verè intelligibile.

Secundò probatur mai. In cognoscibile non potest cognosci, alias non esset in cognoscibile; sed ens adequatè distinctum ab omni possibili est in cognoscibili : eo quod cognoscibilitas est passio entis realis possibilis: ergò idem quod prius.

Tertiò probatur mai. Ens purè fictum distinctum ab omni possibili non esse realitèr cognoscibili nam quidquid realitèr est cognoscibile, realitèr est immateriale, & verum, & consequenter ens reale, sed quidquid est cognoscibile est realitèr cognoscibile : ergò ens purè fictum distinctum ab omni possibili non est verè cognoscibile. Probatur min. Quidquid est cognoscibile, potest per intellectum cognosci ; sed intellectus cognoscere non potest nisi realitèr, cum omnis cognitio intellectus à parte rei exerceatur : ergò quidquid est cognoscibile est realitèr cognoscibile.

Quarto probatur mai. Quidquid est cognoscibile, prius debet esse cognoscibile, quam cognitum, sed ens purè fictum non est prius cognoscibile; quam cognitum, quia antequa cognoscatur non est : ergò prædictum ens non est verè cognoscibile.

Respondetur ad argumentum, negando anteced. & ad primam probationem, quæ certè levissima est, distin. min. sub conditione impossibili identitatis, concedo min. illa secuta, nego min. & conseq. Certissimum namque est, quod si Petrus modo existens supponeretur simul existere, & non existere, esse idem entitativè

cum ipso impossibili, sed hoc haberet sub conditione identitatis impossibilis, nam qui supponit. Petrum modo existentem existere, & non existere simul, supponit. Petrum identificatum cum existenti, & non existenti, & consequentèr cum impossibili, & ideò probat. Petrum identificari cum impossibili, supposita identitate cum illo, & quod supposita identitate idem sit, mirum non est, sed potius est necessarium: nunquam tamen impossibile identificatur cum possibili absolute, & secluso impossibili conditione, quod nos asserimus, & cujus oppositum recentior, qui arguit probare debebat. Per quod patet ad secundam, & ad tertiam probationem.

Gratias tamen claritatis ad tertiam probationem, distinguo min. non est distinctum à Petro sub conditione identitatis cum illo, concedo min. illa secluso, nego min. Quia qui supponit Petrum modo existentem existere, & non existere simul supponit, Petrum modo existentem esse realitèr idem cum existente, & non existente simul, quod est supponere, Petrum, & ipsum im possibile esse realitèr idem. Et argumentum in ipso Deo fiere potest: nam dato quod Deus necessario existens, existere, & non existeret simul, ipse Deus necessario existens esset idem cum prædicto impossibili, & consequentèr idem Deus existeret necessario, & simul non posset existere, siquidem impossibilis esset; sicut ergò ipsi asserunt hoc Deo competere ex suppositione impossibili identitatis; absolutè tamen evenire non posse; ita idem, & nos dicimus ad præfatum argumento.

Ad confirmationem verò argumenti respondetur, distinguendo mai. verè subjectivè, concedo mai. verè enuntiativè, nego mai. & ad primam probationem, concessa mai. secundum datam distinctionem, distinguo min. non fictè subjectivè, concedo min. enuntiativè, nego min. & conseq Quia intelligibilitas entis rationis subjectivè sumpta, & ex parte ipsius ficta est, sicut ipsa entitas rationis; enuntiativè tamen est vera nam verè dicitur de ente rationis habere entitatem, & immaterialitatem, & intelligibilitatem ab intellectu fictam; sicut namque pluribus in locis, specialiter, quæst. 7. de Potent, artic. 1. ad 1. ait Ang. Doct. ens dupliciter usurpatur pro ente videlicèt, quod dividitur in decem prædicamenta, & pro ente, ut verificat propositionem, & simili modo veritas alia est passio entis, ut dividitur in decem prædicamenta, qualis est veritas subjectiva, & tranfcendentalis ad entitatem sequuta; alia

alia autem est passio entis ut verificat propositionem, secundum quam ens rationis est vere cognoscibilè verè fictum, & alia hujusmodi, quæ verè de ente rationis enuntiantur; nam sicut ens reale est verè ens à parte rei, ita ens rationis est verè fictum, & verè cognoscibilè, quamvis cognoscibilitas ficta fit per actionem intellectus. Nec inde infertur, esse intelligibilè ante operationem intellectus, quia intelligibilitas, quæ subjectivè ficta est, quamvis verè de subjecto dicatur, non convenit illi nisi dependenter ab intellectu fingente.

Secundò respondetur ad confirmationem: distinguendo maj. intelligibilè intrinsecè, concedo maj. extrinsecè, nego maj. & sub eadem, distinctione minoris, negatur conseq. Ad primam verò probationem, distinguo maj. eo modo quo vere intelligibilè, concedo maj. alio modo, nego maj. & distinguo min. non fictè intrinsecè, concedo min. extrinsecè, nego minor. Quia eo modo quo ens rationis est verè intelligibilè extrinsecè denominatione sumpta â potentia verè potente ipsum cognoscere, eo inquam, modo est intelligibilè non fictè, sed potius est cognoscibilè verè à potentia verè cognoscente ipsum, licèt intrinsecè, & subjectivè sit intelligibilè fictè, quatenus entitas, & illius intelligibilitas est ficta per intellectum, & ideò hæc intelligibilitas non est ante opus intellectus.

Ad secundam probationem mai. negatur minor. Quia ens adæquata distinctum ab omni possibili est: verè cognoscibilè extrinsecè, & etiam verè quatenus libere veritatem propositionis significat, quod idem est ac esse cognoscibile vere veritate enuntiationis.

Ad tertiam probationem, distinguo mai. Realitèr cognoscibile intrinsecè, concedo mai. extrinsecè, nego major. & distinguo min. cognoscibilè extrinsecè, concedo min. intrinsecè, nego minor. Quia cum potentia intellectiva solum possit cognoscere realitèr, omne cognoscibilè ad ipsa debet esse realitèr extrinsecè cognoscibile; non tamen requiritur, quod intrinsecè subjectivè, & in se sit aliquid reale, aut subjectivè realitèr cognoscibile sit.

Ad 4. distinguo minor. Prius cognoscibile intrinsecè, concedo min. extrinsecè, nego min. & conseq. Quia cognoscibilitas intrinseca, identificatur cum entitate, & ideò sicut entitas rationis non est antequam cognoscatur, & fiat per

fictionem intellectus, ità non est intrinsecè antecedenter cognoscibilis; est tamen cognoscibilis extrinsecè ante prædictam actionem, quia sicut potentia ante realem actionem est potens intelligere, & cognoscere, ita objectum ante talem actionem, etiam extrinsecè cognoscibile est.

Sed instabis primò: quidquid cognoscitur ab intellectu, cognoscitur, quia est: ergò non est cognoscibile aliquod objectum antequam sit. Probatur antecedens. Quidquid cognoscitur ab intellectu, cognoscitur sub ratione entis: ergò cognoscitur, quia est.

Secundò instabis: Ideò ens verum est verè cognoscibile, quia verum ens; sed ens fictum distinctum ab omni possibili non ens verum: ergò non est vere cognoscibile.

Ad primam replicam poterat responderis distinguendo ant., quia est actualitate essentiæ, concedo ant. existentiæ. Nego ant. & distinguo cons. antequam sit actualitate essentiæ, concedo conseq. actualitate existentiæ, nego conseq. Quia objectum intellectus est quidditas, & ideò objectum cognoscitur, quia est actualitate essentiæ, quin ad hoc sit necessarium habere existentiam; sed potius potest objectum existentiam adquirere per cognitionem quam terminat, quando objectum ex propria natura, & essentia petit esse fictum.

Hæc tamen solutio necessaria non est, & ideò respondetur aliter: distinguendo ant. Quia est terminativè, concedo ant. motivè, nego antec. Nam licèt ens reale moveat ad cognitionem, & intellectui objiciatur mediante specie, quia est, quando existentia entis realis attingitur; ens tamen rationis ad sui cognitionem non movet, quia est, sed solum terminat, quatenus existentia entis rationis per cognitionem producta ipsam cognitionem terminat; ad quam tamen solum movet ens reale, per cujus speciem impressam, ipsum ens rationis cognoscitur: in quo quidem puncto alia occurrunt difficilia, sed ad alium pertinent locum.

Ad secundam instantiam respondetur: distinguendo mai. quia verum veritate enuntiationis, concedo mai veritate entis, nego mai. & distinguo min. verum subjectivè, aut veritate entis, concedo min. veritate enuntiationis, nego min. & conseq. Quia ens verum non ideò præcisè est vere cognoscibile, quia verum est veritate entis, vel improprie tantò pro eo, quod dividitur in decem prædicamenta, sed quia etiam verum est veritate enuntiationis, vel

vèl ſumptò ente pro eo, quod propoſitionem verificat, aut illam conſtituit veram.

Dices, quod in ſe non eſt, non poteſt propoſitionem verificare, nam ab eo, quod res eſt, dicitur vera propoſitio: ergò quod nos eſt verum veritate entis, non poteſt propoſitionem reddere veram.

Reſpondetur diſtinguendo ant. Propoſitionem affirmantem eſſe verum ens, concedo ant. affirmantem eſſe fictum, & tale, ſecundum quid, nego ant. & conſeq. Quia talis propoſitio ideò vera eſt, quia ipſum objectum non eſt verum ens, ſed potius fictum per actionem intellectus.

Etſi dicas: quod ſi doctrina traddita vera eſſet, in cognoſcibile tàm intrinſecè, quàm extrinſecè eſſet etiam vere cognoſcibile; ſed hoc non concedimus, nec vère concedit poteſt: ergò doctrina traddita nulla eſt. Probatur mai. Incognoſcibilè, tàm intrinſecè, quàm extrinſecè verificat propoſitionem: ergò verè cognoſcibilè erit, ſi doctrina traddita vera eſt. Probatur ant. Nam hæc propoſitio eſt neceſſario vera: incognoſcibilè, tàm intrinſecè, quàm extrinſecè non eſt verè cognoſcibilè: ergò in cognoſcibilè, tàm intrinſecè quàm extrinſecè propoſitionem verificat.

Reſpondetur: negando maj. & ad probationem, diſtinguo ant. propoſitionem aſſerentem ipſum eſſe cognoſcibile exercitè, concedo ant. ipſum eſſe cognoſcibilè ſignatè, nego ant. & diſtinguo conſequens exercitè, concedo conſeq. cognoſcibilè ſignatè, nego conſeq. Quia tale objectum, quod ſignare, & per modum rei eſt incognoſcibilè, tàm intrinſecè, quàm extrinſecè, verificat propoſitionem aſſerentem ipſum eſſe in cognoſcibilè ſignate, ſed ad hoc ſufficit, quod ſit exercitè cognoſcibilè, & ex parte modi ad modum rei cognoſcibilis attingatur; ſicut cap. de connotativis dicitur in 1. Dialect. de ly *non intelligibili*, quod eſt non intelligibilè ſignatè, ſed exercitè intelligibilè ad modum alteri adiacentis, & propterea ly non intelligibilè terminus connotativus eſt; ſi autem in replica ſermo ſi de in cognoſcibili, tàm exercitè, quàm ſignatè, falſum eſt, quod verificet propoſitionem, nam eo ipſo, quod aliquid affirmetur, vèl negetur ſubjecto, ſaltim exercitè intelligitur à nobis.

* ** ***

ARTICULUS VI.

Vtrùm ens rationis possit existere existentia fundamenti.

§. I.

Quibusdam suppositis statuitur negativa conclusio.

AD pleniorem intelligentiam difficultatis quædam supponere oportet ; primum est : existentiam formalem , per quam res formaliter ponitur extra omnes suas causas , aliam esse propriam , & alienam aliam: prima est , quæ dimanant à natura , vèl exigitur ab illa : secunda verò ea est , quæ à natura non dimanant , nec absolutè exigitur à natura , qualis est existencia Verbi Divini respectu humanitatis , à qua neque exigetur, nec dimanat existentia prædicta.

Secundo præmittendum est : aliqua entia rationis proximè , & immediatè in aliquo reali fundari , sicut negatio , & privatio , alia verò proximè, & immediatè fundari in ente rationis , sicut prædicabilitas , quæ habet pro fundamento proximo intentionem universalis.

Tandem supponimus: In quacumque tecreata essentiam , & existentiam distingui, cum omnibus rebus creatis accidentaliter competat existentia , quibus tamen prædicata essentialia semper , & necessario conveniunt.

Dices : essentiam entis rationis non posse intelligi, quin intelligatur existens : ergò ab existentia distincta non est. Probatur antecedens. Non potest intelligi essentia rationis, quin intelligatur habens esse objective in intellectu : ergò nequit intelligis , quin intelligatur existens ; nam essentia rationis tunc existit , quando objicitur intellectui.

Respondetur , distinguendo secundum antec. esse speculativè, concedo antec. practice , nego antec. & conseq. Nam essentia entis rationis solum existit , quando practicè ab intellectu cognoscitur , quod solum fit , dum intellectus concipit id , quod non est ac si esset , attribuendo rei tale esse , quæ conceptio intellectus , & ipsius attributio accidentaliter convenit essentiæ rationis ; potest tamen essentia rationis speculativè cognosci ab intellectu, quin practicè cognoscatur, nam benè potest intellectus speculari , & contemplari essentiam rationis , quin rebus attribuat aliquod esse , quod non habent in se ipsis.

Dices : esse opinionem pro

probabilem, intellectum Divinum formare aliqua entia rationis, quæ consequuntur perfectum modum intelligendi, quatenus videlicèt intelligit essentiam suam, ut diversimodè imitabilem à creaturis, & cum ordine ap illas; sed talis ordo rationis est, & existere necessario, quia intellectus Divinus non potest non ita intelligere, ut fatentur Authores prædictæ sententiæ: ergò aliqua entia rationis necessario existunt, vèl illis non competit accidentaliter existentia, consequenteque non debet esse distincta ab eorum essentia, quæ intelligibilis non est etiam ab intellectu Divino sine existentia prædicta.

Respondetur: distinguendo min. necessario à se, nego min. dependenter à Deo, concedo min. & distinguo consequens, necessario dependentèr à Deo, concedo conseq. necessario à se, nego conseq. nam licèt talia entia rationis non possint non existere; hoc tamen esse existentiæ habent exercitè productum per Divinam causalitatem, & à Deo, & ideò etiam in opinione prædicta tale esse non est illorum essentia, sed extra essentiam illorum: quia esse essentiæ non est productum exercitè per Divinam causalitatem, sed solum signate est ab alio, & productum à Deo, quatenus tale esse nequit existere, nisi dependenter à Deo existentiam communicante.

Secundo respondetur: distinguendo eandem minorem, necessario per exigentiam sui, nego min. per exigentiam intellectus divini, concedo min. Quia licèt talia entia in opinione exignata non possint non existere, non tamen hoc habent, quia illa exigant necessario, & à se ipsis existentiam; sed quia illam exigit Divinus intellectus, qui non potest non ita intelligere, & ideò existentia extra illorum essentiam est nam essentiam à se ipsis exigunt, & ejus necessitatem. His ergò prænotatis.

§. II.

Statuitur conclusio:

Nulla entia rationis possunt existere existentia fundamenti.

RAtione efficaci probatur nostra conclusio: quia existentia fundamenti essentialitèr adæquatur cum natura fundamenti: ergò per existentiam fundamenti nequit ens rationis existere, alias existentia ista non esset cum fundamento essentialitèr adæquata, sed ipsum excedere, & ad alia ex-

tèn leretur. Probatur ant. exiſtentia cujuſcumque rei creatæ eſſentialitèr adæquatur cum propria natura ; ergò exiſtentia fundamenti eſſentialitèr adæquatur cum natura fundamenti. Probatur ant. primò ita comparatur exiſtentia ad naturam, quàm terminat, ſicut modus inhærentiæ comparatur ad accidens cujus eſt ; ſed modus inhærentiæ eſſentialitèr adæquatur cum entitate accidentis, ita ut per talem modum non poſſit inhærere alterum accidens: ergò exiſtentia cujuſcumque rei creatæ eſſentialitèr adæquatur cum propria natura, quam terminat.

Secundò probatur antec. Quia relatio, & unio conſiſtunt in exercitu eſſentialitèr adæquantur cum extremo, vèl ſubjecto, quibus ſunt connaturalia, ſed exiſtentia conſiſtit in exercicio terminandi naturam : ergò cum natura, quam terminat eſſentialitèr adæquatur.

Tertiò probatur : Terminus ultimus eſſentialitèr adæquatur cum ſubjecto terminabili, ſicut unica figura cum unica quantitate ; ſed exiſtentia eſt ultimus terminus naturæ propriæ : ergò eſſentialitèr adæquatur cum illa.

Quarto : exiſtentia eſſentialitèr adæquatur cum ſubjecto, vèl principio illum ſpecificante adæquatè, ſicut relatio eſſentialitèr adæquatur cum termino illam ſpecificante ; ſed exiſtentia fundamenti ſpecificatur à natura fundamenti ; ſicut etiam quæcumque exiſtentia reducitur ad ſpeciem naturæ, quàm primò terminat, & propterea diverſæ naturæ in ſpecie, habent etiam exiſtentias ſpecificè, diſtinctas : ergò exiſtentia fundamenti eſſentialitèr adæquatur cum natura fundamenti

Quinto : Si ens rationis exiſteret exiſtentia fundamenti, exiſteret antequam eſſet; hoc implicat : ergò non poteſt exiſtere exiſtentia fundamenti. Probatur maj. exiſteret antequam conciperetur ab intellectu : ergò exiſtere antequam eſſet ; nam ens rationis ſolum dum concipitur, exiſtit. Probatur antecedens. Exiſteret exiſtente fundamento ; ſed fundamentum prius exiſtit, quàm concipiatur ens rationis : ergò exiſteret antequam conciperetur.

Secundo probatur concluſio, ſpecialitèr de ente rationis cujus fundamentum eſt reale : ſi ens rationis exiſteret per exiſtentiam fundamenti realis, exiſteret etiam realitèr; ſed realitèr exiſtere nequit : ergò. Probatur maj. Si exiſteret per exiſtentiam fundamenti realis haberet effectum prædictæ exiſtentiæ, quæ quidem eſt exiſ-

existentia realis ; sed effectus existentiæ realis est realiter existere : ergò existeret realiter. Maj. pat. quia effectus formalis formæ est forma communicata, & min. probatur. Effectus existentiæ realis est constituere rem realiter extra causas, sicut effectus existentiæ, ut sic est constituere rem extra causas absolutè, sed constituere rem realiter extra causas est facere rem realitèr existentem: ergò effectus existentiæ realis est realitèr existere.

Tertiò probatur conclusio : Existentia finita, & limitata fundamenti non continet existentiam entis rationis : ergò non potest facere ipsum existere, sicut existentia unius hominis non potest reddere alium hominem existentem, quia existentia unius non continet existentiam alterius secundum ultimam diferentiam. Undè existentia infinita ideò potest reddere existentem quamcumque naturam creatam, quia continet effectum existentiæ creatæ secundum ultimam differentiam infius. Anteced. probatur, nulla creatura potest continere aliam secundum ultimam differentiam, alias eadem ratione posset continere omnes : ergò existentia limitata, & finita fundamenti continere non potest existentiam entis rationis secundum ultimam differentiam.

Respondebis, aliqua entia rationis habere fundamenta infinita, ea videlicèt, quæ fundantur in eminentia Divina, aut in abquo prædicato proprio Dei, & consequentèr bene posse illa existere per existentiam fundamenti in vi rationis adductæ.

Respondebis secundò: Ens rationis non habere propriam existentiam, sed existentiam fundamenti esse propriam utriusque, & eam esse rationem, quia si ens rationis propriam existentiam haberet posset intellectus cognocere essentiam rationis, & non considerate existentiam, cum in hoc sit libet intellectus, consequenterque posset ens rationis, habere esse objectivum in intellectu, & non habere existentiam.

Sed contra primam solutionem facit : quod ratio facta solum procedit de entibus rationis, quorum fundamentum finitum, & limitatum est : ergò vacua est data solutio.

Contra secundam verò solutionem facit etiam ; quod præbere existentiam enti rationis, nihil aliud est, quam ipsum constituere extra causas ; sed quotiescumque intellectus practicè cognoscit ens ra-

rationis illi attribuendo esse illud, quod in re non habet, illud constituit extra causas: ergò nequit intellectus practicè cognoscere ens rationis, & non considerare existentiam, quamvis speculativè possit entia rationis attingere secundum eorum essentiam, quin existentiam illorum speculetur. Quapropter quamvis intellectus absolutè libet sit in cognoscendo practicè essentiam rationis, ex suppositione tamen, quod determinetur ad practicè cognoscendam essentiam, tenetur etiam existentiam attingere, sicut ex suppositione quod Deus producat materiam, tenetur producare formam, quia materiam sine forma non potest esse extra causas.

Secundò impugnatur solutio data; quia ens rationis necessario debet habere existentiam propriam: ergò solutio data nititur principio falso. Probatur antec. necessario debet habere existentiam fictam: ergò propriam, quia existentia ficta propria est entis rationis. Probatur anteced. non potest habere existentiam veram, alias existeret verè, & non fictè: ergò necessario debet habere existentiam fictam.

***

§. II

Solvuntur argumenta.

CONTRA conclusionem poterit in primis argui: Quia si est impossibile, ens rationis existere per existentiam fundamenti, quicumque apprehenderit ens rationis existere per existentiam fundamenti, faciet ens rationis, siquidem apprehendit impossibile ad modum possibilis, & illi per intellectum attribuit tale esse; sed illud ens rationis existit per existentiam fundamenti, cum illius esse consistat in eo quod concipitur sic existere, & illi attribuitur talis existentia: ergò potest aliquod ens rationis existere per existentiam fundamenti.

Respondetur distinguendo minor. signatè, & apprehensivè, concedo minor. exercitè, nego minor. Nam ex quo quis apprehendat ens rationis existere per existentiam fundamenti, & hoc pro libito fingat, solum sequitur, quod tale ens rationis fictum ab illo signatè, objectivè, & in apprehensione illius, existat existentia fundamenti; non tamen quod exercitè per illam existat, & non per specialem existentiam ab intellectu confictam.

Se-

Secundò arguitur : quia signum ad placitum , & sacramenta constituuntur per formam rationis , & imago relatione rationis fertur ad prototypum , quando illud non existit , & Christus Dominus relatione rationis fertur ad suam Sanctissimam Matrem; & tamen hæc omnia ante considerationem intellectus existunt , non per aliam , quam per existentiam fundamenti: ergò possunt entia rationis existere existentia fundamenti. Minor. patet. Nam ante considerationem intellectus reperiuntur sacramenta , & voces dicuntur signa ; & Christus Dominus à parte rei dicitur verè filius suæ Sanctissimæ Matris , & idem dicendum de alijs entibus rationis : ergò minor. vera est.

Respondetur: omnia prædicta formaliter tantum existere , dum actu considerantur ab intellectu , & à parte rei solum existere fundamentaliter , voces videlicèt, quia sunt ad significandum impositæ; sacramenta , quia virtutem causativam habent ; & Christus Dominus , quia realiter est genitus , & imago naturalis, aut artificialis , quia realiter repræsentat.

Sed instabis: hæc omnia absolutè dicuntur existere à parte rei , ut omnes concedunt ; sed ut absolutè dicantur existere , non sufficit existere fundamentaliter , sed formaliter existere debent : ergò existunt formaliter à parte rei , & ante considerationem intellectus. Minor. probatur primò. Denominatio absoluta existentis non provenit [illegible] damento , sed à formalitate , quia denominatio absoluta concreti provenit ab illius forma , sicut denominatio albi provenit ab albedine: ergò ut illa in argumento relata absolutè dicatur existere à parte rei , satis non est, quod existant fundamentaliter , sed formaliter existere debent.

Secundò probatur min. Non benè valet : ea omnia existunt fundamentaliter : ergò existunt absolutè , quia existere fundamentaliter est existere cum addito deminuente , & ab antecedenti cum addito ad consequens absolutè , non est bona conseq. Sicut non valet : effectus existit in causa : ergò existit absolutè: ergò ut ea omnia dicantur existere absolutè à parte rei non sufficit , quod fundamentaliter existant.

Respondetur ad argumentum negando min. & ad primam probationem dicimus quod in ente reali denominatio absoluta solum potest à for-

forma provenire ; cæterum in ente rationis oppoſitum contingit, quia cum entia rationis ſunt minimæ entitatis, ut abſolutè dicantur exiſtere, ſufficit exiſtentia fundamenti.

Ad ſecundam probationem minoris reſpondemus : In ente reali non valere conſeq. ab antec. cum tali addito ad conſequens abſolutè, valere tamen in ente rationis propter rationem adductam.

Dices : ergò omnia prædicta exiſtunt ſimplicitèr à parte rei, & non ſolum ſecundum quid. Patet conſeq. Quia exiſtunt abſolutè, & exiſtere abſolutè eſt exiſtere ſimplicitèr.

Sed negatur conſeq. Quia in ente reali exiſtere abſolutè eſt exiſtere ſimplicitèr, non tamen in ente rationis, quod ut abſolutè dicatur exiſtere, ſufficit, quod ſecundum quid, & fundamentaliter exiſtat, eo quod ſit minimæ entitatis, & propterea ab entitate fundamenti abſolutè dicitur tale, & exiſtere abſolutè.

Secundò arguitur : Ens rationis poteſt exiſtere, quin actu objiciatur intellectui : ergò poteſt exiſtere exiſtentia fundamenti. Probatur anteced. Potentia poteſt exiſtere ſine actu ; ſed ens rationis conſiſtit in eſſe objicibili : ergò poteſt exiſtere, quin actu objiciatur.

Confirmatur : Potens ens rationis realitèr actuari : ergò realitèr exiſtere per exiſtentiam realem fundamenti. Prob. anteced. Quando ens rationis cognoſcitur ab intellectu, ultimo actuatur per ſpeciem expreſſam, quæ in probabili ſententia eſt ultima actualitas objecti in eſſe intelligibili ; ſed per illam realitèr actuatur, cum ipſa ſit actualitas realis : ergò ens rationis poteſt realitèr actuari.

Confirmatur ſecundò : Species impreſſa entis realis eſſentialitèr adæquatur cum ente reali ; & tamen per illam repræſentatur ens rationis : ergò poterit etiam exiſtere exiſtentia fundamenti, quamvis exiſtentia prædicta cum natura fundamenti eſſentialitèr adæquetur.

Reſpondetur ad argumentum, negando antec. & ad probationem, diſtinguo major. Potentia phyſica, conced. maj. Logica, & objectiva, nego major. Quia potentia phyſica eſt potentia ad agendum, vèl recipiendum, & ſine actione, vèl paſsione potens res exiſtere, potentia verò. Logica nihil aliud eſt, quam non repugnantia ad exiſtendum, & ideò non poteſt exiſtere ſine actu. Exemplum adeſt in creaturis poſsibilibus, quæ habent potentiam objectivam, & non

repugnatiam ad exiſtendum, & tamen non poſſunt exiſtere ſine actu exiſtentiæ.

Ad primam confirmationem, diſtinguo antec. in eſſe intelligibili, concedo antec. in eſſe entis, nego antec. & conſeq. Quia realitèr actuari in eſſe intelligibili, nihil aliud eſt, quam realitèr cognoſci, & attingi per actionem intellectus in ipſa ſpecie expreſſa realitèr repræſentante tàm ens reale, quàm rationis, quod enti rationis non repugnat; ut tamen ens rationis realitèr actuaretur in eſſe entis debebat habere eſſe reale, & à parte rei, nam quod à parte rei actuatur in eſſe entis habet à parte rei entitatem, non tamen quod à parte rei intelligitur habet à parte rei, & realitèr entitatem, nam chymeram realitèr intelligimus, & apprehendimus per actum realem.

Ad ſecundam confirmationem, diſtinguo mai. ut objecto motivo, concedo mai. terminativo, nego mai. Nam ſpecies impreſſa entis realis ſolum immittitur ab ente reali, & ita ſolum adæquatur cum illo tanquam objectivo motivo, ſed terminativè extenditur ad ens rationis, quod repræſentat ad modum entis realis.

Dices prim̃ò: eſſe ſententiam probabilem ſpeciem expreſſam entis realis repræſentare etiam ens rationis, ſed ſpecies expreſſa entis realis eſſentialitèr cum illo adæquatur ergò.

Secundò inſtabis: ens reala, & rationis conveniunt in ratione repræſentabilis per eandem ſpeciem: ergò poterunt etiam convenire in ordine ad exiſtentiam, & per eandem exiſtere, ſicut per eandem repræſentatur ſpeciem.

Reſpondetur ad primam replicam, negando min. quia in illa ſententia ſpecies expreſſa entis realis non adæquatur cum illo, ſed cum illo ſimul, & ente rationis, ſicut relatio Patris terminata ad plures filios non adæquatur cum unico tantum, ſed cum omnibus ſimul ſumptis.

Ac ſecundam negatur conſeq. Quia ſi conveniret in ordine ad exiſtentiam utrumque exiſteret realitèr extra ipſum intellectum, quod tamen non ſequitur ex convenientia in ratione repræſentabilis per ſpeciem, quia illud, quod tantum habet eſſe objectivè in intellectu, cognoſcitur per actum realem, & per conceptum realem repræſentatur, ſicut conſtat in chymera.

Tandem arguitur: Poteſt aliquod ens exiſtere per exiſtentiam realem, quid realitèr exiſtat: ergò poteſt ens rationis

nis existere per existentiam realem fundamenti, absque ullo inconvenienti. Probatur antec. Potest natura creata existere per existentiam infinitam, & æternam, quin existat ab æterno, & infinitè, ut pater in humanitate Christi, quæ in tempore incæpit existere, & modo finito existit, cujus tamen existentia infinita, & æterna est: ergò poterit etiam aliquod ens existere per existentiam realem, quin realitèr existat.

Confirmatur: potest ens rationis fieri per actionem realem, quin sit effectus realis, nam defacto producitur per actionem realem intellectus: ergò idem in ordine ad existendum per existentiam realem.

Respondetur ad argumentum negando anteced. & ad probationem negatur conseq. Quia natura solum redditur existens eo modo, & ex eo tempore, quo communicatur illi existentia, cumque existentia æterna, & infinita solum in tempore, & modo finito communicetur humanitati, solum reddit illa modo finito, & in tempore existente: existentia verò realis realitèr debet communicari, & ita, cuicumque communicetur præstabit effectum existendi realitèr.

Dices: Existentia infinita potest communicari, & non modo infinito: ergò existentia realis poterit communicari, & non modo reali.

Secundò instabis: Existentia infinita potest non communicare infinitatem: ergò existentia realis poterit etiam non communicare realitatem, quam habet, & consequentèr poterit cum ente rationis uniri.

Respondetur ad primam negando conseq. quia potest natura esse capax existendi, & non modi infinitatis, ut contingit in humanitate; sed non potest esse capax existentiæ realis, & non modi ipsius realitatis: Ratio autem ea est: quia quando inveniuntur in forma plures effectus specifici potest subjectum habere capacitatem ad unum, & ad alterum non habere, sicut capilli habent capacitatem ad effectum vegetandi, & non ad effectum sentiendi, & hoc contingit in divina existentia, & in humana natura, nam in existentia divina invenitur facere existere supernaturalitèr, & facere existere infinitè, ex quibus ad primam habet capacitatem humana natura, sed non ad secundum, & ideò potest existentia divina infinita communicari humanitati, & non

modo infinito : cæterum in existentia reali primos effectus specificus est conceptus existentiæ realis, eo quod præcisiva realitate solum remanet conceptus communissimus existentiæ, & propterea non potest existentia realis communicari, non communicata realitate, vèl non communicato modo reali, per quod patet ad secundam replicam immediatam.

Dices : etiam in existentia reali fundamenti creati entis rationis antecedentèr ad realitatem invenitur esse existentiam creatam, per quam differentiam distinguitur essentialitèr ab existentia infinita; ergò poterit talis existentia facere existere ens rationis modo creato, quamvis non faciat ipsum existere modo reali.

Sed negatur conseq Quia existentia communicata subjecto, debet communicare illi, non solum effectum specificum, sed etiam specialem aliquem modum existendi in se ipso, & primus modus specialis existendi in se ipso est existere, vèl realitèr, vèl solum fictè secundum esse objectivum, & ideò non potest existentia realis uniri cum ente rationis, nisi faciat ipsum realitèr, vèl per rationem existere, & cum secundum non possit, necessario debere facere primum.

Ad confirmationem verò argumenti principalis respondetur, sicut in artic. 1. §. 3. ens videlicèt rationis solum secundario produci per actionem realem intellectus, & quasi metaphoricè adquirit esse per illam, ad quod necessarium non est, quod sit effectus realis, quia influxus realis actionis explicatur verè, & propriè in effectu primario, non verò in effectu, qui secundario, & quasi metaphoricè ex primario resultat.

Sed instabis; potest ens rationis terminare primario realem actionem : ergò etiam existere per existentiam realem. Prob. antec. actio intellectus, quatenus fingit reduplicativè, est actio realis; sed actio ista prout sic primario terminatur ad ens rationis, siquidem primario terminatur ad fictum, quod solum potest esse ens rationis; ergò potest ens rationis primario terminare actionem realem.

Respondetur tamen; ex replica solum inferri ens rationis posse terminare primario, non quidem actionem realem absolutè, sed illam tantum secundum formalitatem secundariam, quæ solum, quasi metaphoricè est causalitas, vèl

pro-

productio, ut ipsum nomen fictionis indicat, & hoc enti rationis competere, nullum inconveniens est, nam hoc solum est per imperfectam resultantiam consequi ad realem actionem secundum imperfectissimam formalitatem diminuentem de influxu reali.

QUÆST. II.

De Causa efficiente entis rationis.

ARTICULUS I.

Vtrùm solus intellectus possit facere entia rationis.

§. I.

Quibusdam suppositis statuitur affirmativa conclusio.

IN dificultate præsenti ut faciliora à difficilioribus separemus notandum est primò: voluntatem esse potentiam cæcam, & nullo modo posse ferri in objectum incognitum, sed semper tendere in objectum intellectum propositum.

Secundò notandum est: Voluntatem ipsam non posse entia rationis formare, quia potentia, quæ non format sibi objectum, non potest facere ens rationis, quando quidem facere ens rationis est practicè producere esse fictum, & propterea intellectus ea facit, quia esse fictum producit, concipiendo id quod non est, ac si esset, consequenterque potentia, quæ non producit objectum, vèl aliquo in objecto non potest entia rationis formare; sed voluntas non format sibi objectum, nec aliquid in objecto producit: ergò nequit facere entia rationis: Probatur min. Totum, quod per actum voluntatis attingitur præsupponitur cognitum practicè ante actum voluntatis, eo quod voluntas nihil attingit, quod non sit prius practicè ab intellectu propositum: ergò voluntas non format objectum, nec aliquid in objecto producit.

Confirmatur: Si voluntas facere entia rationis, eo esset, quia attingeret ut ordinata ea objecta, quæ ante actum voluntatis ordinata non sunt; sed hoc ita non est: ergò non format entia rationis. Probatur min. ea objecta, quæ voluntas attingit ut ordinata, supponuntur ordinata ante actum voluntatis: ergò minor. vera est. Probatur antecedens. Voluntas nihil attingit, nisi

eg

eo modo : quo ab intellectu proponitur : ergò quando attingit aliqua objecta ut ordinata, ipsa objecta ordinata supponuntur ante actum voluntatis.

Urgetur : si voluntas faceret aliquod ens rationis, illud ens haberet esse per actum voluntatis ante actum intellectus; sed implicat, aliquid rationis habere esse existentiæ ante actum intellectus : ergò. Probatur min. ens rationis diffinitur esse illud, quod tantum habet esse objectivè in intellectu, id est, quod solum existit, dum actu consideratur : ergò implicat aliquid rationis habere esse existentiæ ante actum intellectus.

Sed instabis contra suppositionem prædictum : Quia voluntas potest ordinare ea, quæ in re ordinata non sunt: ergò potest facere entia rationis. Probatur antecedens. Voluntas attingit media in ordine ad finem, & Deum in ordine ad creaturas, illum postponendo creaturæ, & appreciando creaturam supra Deum; sicut contingit, dum peccat : ergò potest ordinare ea, quæ in re ordinata non sunt.

Confirmatur : Voluntas aliquando attingit ut bonum, quod in re bonum non est, sicut quando attingit bonum apparens, quod revera non est bonum: ergò potest facere aliquod ens rationis, quia facere ens rationis, nihil aliud est, quam attingere id, quod non est, ac si esset.

Respondetur ad argumentum negando maj. Quia quando voluntas attingit media in ordine ad finem, & Deum in ordine ad creaturas vel unum medium eligit altero relicto, non comparat formaliter, aut formaliter ordinat unum ad aliud; sed potius et omnia sic per intellectum proponuntur, & quatenus sic per intellectum ordinata attinguntur à voluntate; solius namque rationis est ordinare, unde ille ordo inter objecta repertus non potest fieri à voluntate sed solum ab intellectu.

Dices : Omnia objecta prædicta esse ab intellectu ordinata sub ratione veri, non tamen sub ratione boni, sub qua ratione attinguntur ordinate à voluntate, & ab ea sola ordinari possunt.

Respondetur: Omnia prædicta non esse ordinata ab intellectu sub ratione boni, tanquam ratione sub qua, quia ratio sub qua boni non pertinet ad intellectum; esse tamen omnia prædicta ab intellectu ordinata sub ratione veri ex parte rationis sub qua, & sub ratione boni ex parte rationis quæ quod sufficit, ut volun-

tas nihil ordinet, sed solum attingat antecedenter ordinata, sicut idem bonum, quod voluntas attingit sub ratione boni prius tantum cognovit intellectus sub ratione veri, & hoc sufficit, ut verum sit, nihil voluntatem attingere non propositum ab intellectu, & ab eo non attactum.

Ad confirmationem respondetur, distinguendo antec. quod in re bonum non est, sed ab intellectu factum, concedo antec. ab ea, & non ab intellectu productum, nego antec. & conseq. Nam quando voluntas attingit ut bonum, quod in re bonum non est, ea bonitas fingitur ab intellectu, & non ab ipsa voluntate, quæ solum inclinat in bonitatem propositam, & fictam ab intellectu.

Sed instabis: Aliquando voluntas diligit tanquam bonum, quod intellectus judicat esse malum: ergò in hoc eventu bonitas ficta ab intellectu non fit, sed à sola voluntate.

Secundo instabis: quamvis intellectus supponat objectum, in specie repræsentatum, potest fingere ipsum, & de facto sæpe fingit: ergò quamvis voluntas supponat objectum ab intellectu propositum; poterit objectum fingere.

Respondetur ad primam, distinguendo antec. judicat speculativè, concedo ant. practicè, nego ant. & conseq. Numquam enim voluntas attingit objectum ut bonum; nisi illud intellectus ut bonum proponat, & hic, & nunc judicet esse amandam, quod est ipsum ut bonum practicè apprehendere, & illi attribuere bonitatem, quam non habet, quamvis absolute cognoscat intellectus tali bonitate carere, sicut cum quis peccat in materia luxuriæ speculativè cognoscit intellectus, & judicat illud bonum delectabile prosequendum non esse, alias esset hæreticus. Practicè tamen judicat hic, & nunc esse amplectendum, & à voluntate amandum.

Ad secundam instantiam negatur conseq. Quia antequam intellectus efficienter producat ens rationis, solum ipsum supponitur in specie impressa in actu primò; non tamen in actu secundo productum, & quod in actu secundo productum non est, bene potest ab intellectu produci; sed voluntas omnia bona apparentia, & ficta supponit antecedenter in actu secundo ficta, & producta ab intellectu.

His ergò prænotatis circa potentias cognoscitivas interiores, & exteriores dividuntur Authores; nam aliqui Scotistæ cum Arriaga, & alijs paucis

cis asserunt sensus etiam exteriores facere quædam entia rationis, quibus alij non consentiunt; inter cæteros verò Authores affirmant aliqui, imaginativam, vel cogitativam, aut phantasiam formare entia rationis; quam sententiam defendunt plurimi extra Scholam D. Thom. & plures etiam Thomistæ, quos cæteri unanimiter impugnat cum quibus.

§. II.

Statuitur nostra conclusio.

Solus intellectus potest entia rationis efficere.

QUia utraque sententia sufficientem probabilitatem continet in doctrina D. Thom. authoritatibus omissis, ad rationem deveniamus; nam ea sola potentia potest facere entia rationis, quæ potest attingere id, quod non est, ac si esset; sed solus intellectus potest cognoscere id, quod non est, ac si esset: ergò solus potest entia rationis conficere. Probatur min. cognoscere id, quod non est, ac si esset est cognoscere objectum nullam habere entitatem veram, sed potius habere negationem entitatis; sed solus intellectus potest cognoscere negationem entitatis: ergò solus intellectus potest cognoscere id, quod non est, ac si esset. Probatur min. primo. Negatio entitatis nullam habet materiam, aut sensibilitatem: ergò solus intellectus potest cognoscere negationem entitatis; nam aliæ potentiæ ab intellectu distincte solum possunt sensibilia percipere.

Secundò probatur minor. Sola illa potentia potest cognoscere negationem entitatis, quæ potest discernere inter ens, & non ens, nam sola illa potentia potest cognoscere negationem extremorum, vel alicujus ex illis, quæ inter extrema discernit; sed solus intellectus potest discernere inter ens, & non ens: ergò solus potest negationem entis attingere. Patet min. Solus intellectus potest attingere ens in quantum tale, siquidem ens in quantum tale, est objectum specificativum intellectus: ergò solus intellectus potest discernere inter ens, & non ens.

Confirmatur: Solus intellectus potest attingere illud objectum, quod re vera caret materia, & sensibilitate cum tale objectum sit in re aliquid spirituale, & consequenter solum per intellectum cognoscibile: sed id, quod re vera non est, re vera caret materia, & sensibilitate: ergò solus intellectus potest cognoscere id, quod

re vera non est, ac si esset, & consequenter solus poterit entia rationis conficere.

Ulterius confirmatur: quia sola illa potentia potest facere entia rationis, quæ potest cognoscere non ens comparative ad ens, nam ens rationis fit, quando non ens cognoscitur ad modum entis, aut comparative ad ens; sed solus intellectus potest cognoscere non ens comparative ad ens: ergò. Probatur min. Solus intellectus potest cognoscere non ens ut distinctum ab ente, cum solus possit utrumque cognoscere: ergò solus intellectus potest cognoscere non ens comparative ad ens.

Explicatur eadem doctrina: quia sola illa potentia potest facere entia rationis quæ potest impossibilia cognoscere, cum ens rationis necessario consistere debeat in aliquo, quod habere non potest esse verum, sed potius habet repugnantiam ad illud, in quo impossibilitas consistit, aut formaliter, aut concommitanter, sed solus intellectus potest cognoscere impossibilia, & repugnantiam ad esse verum, eo quod solus intellectus cognoscere potest id, quod repugnat cum essentia, qui solus potest essentiam rerum attingere: ergò solus intellectus potest facere entia rationis.

Respondent contrarij: imaginativam, aut phantasiam non posse secundum se attingere id, quod non est, ac si esset, aut ens in quantum ens, posse tamen hoc habere ex conjunctione ad intellectum, ratione cujus roboratur, & perficitur, ut possit aliqualiter attingere objectum pure spirituale, & consequenter formare entia rationis, proindeque non solum intellectum entia rationis conficere posse.

Hæc tamen solutio vera esse non potest: quia phantasia, aut imaginativa ex conjunctione ad intellectum non potest attingere objectum specificativum intellectus; sed ens in quantum tale specificat intellectum: ergò prædictæ potentiæ ratione conjunctionis cum intellectu, & subordinationis ad ipsum attingere non possunt id, quod revera non est, ac si esset; aut ens in quantum ens. Probatur maj. Phantasia, aut imaginativa ex conjunctione ad intellectum non possunt exire extra sphæram propriam, alias fierent diversæ specificè potentiæ propter illam conjunctionem: ergò non possunt attingere objectum specificativum intellectus, alias extra propriam sphæram exirent, & suum objectum specificativum excederent, attingendo formaliter objectum specificativum intellectus, &c.

Secundò impugnatur ſolutio data: quia prædictæ potentiæ ex conjunctione ad intellectum non poſſunt participare illud, quod eſt de ſubſtantia, & differentia intellectus, ſicut voluntas ex conjunctione ad intellectum non poteſt eſſe cognoſcitiva, nec intellectus ex conjunctione ad voluntatem poteſt eſſe volitivus, quia primum eſt de ſubſtantia, & differentia intellectus, & ſecundum de ſubſtantia voluntatis, & propter eandem rationem non poteſt intellectus impulſivè movere, nec voluntas formaliter imperare; ſed attingere ens ut ens eſt de ſubſtantia, & differentia intellectus, ſicut eſt de ſubſtantia, & differentia cujuſcumque potentiæ proprium ſpecificativum attingere: ergò potentiæ ſupradictæ ex conjunctione ad intellectum attingere non poſſunt id, quod non eſt ac ſi eſſet, aut ens quantum ens.

Secundò reſpondent alij: quod ut potentiæ prædictæ faciant entia rationis ſufficit, quod attingant id, quod non eſt corporeum, & materiale in ſe ipſo, ut corporeum, & materiale apparenter, quod utique eis facere non repugnat, quia illud, quod in ſe ipſo corporeum, & materiale non eſt, poteſt eſſe corporeum corporeitate apparenti, quod ſatis eſt, ut à potentia corporea, & materiali attingatur.

Sed contra: quia potentia verè, & proprie ſenſitiva, & materialis non poteſt attingere, quod revera materiale, & ſenſibile non eſt, quamvis ſit tale apparenter: ergò nulla eſt data ſolutio. Probatur antec. Quod revera materiale, & ſenſibile non eſt, non poteſt verè ſentiri à potentia cum re vera non ſit accidens, vel accidentia ſubſtentet: ergò potentia verè, & proprie ſenſitiva, & materialis non poteſt attingere, quod re vera materiale, & ſenſibile non eſt, quamvis ſit tale apparenter.

Secundo probatur antec potentia verè, & proprie ſenſitiva non poteſt attingere id, quod re vera non eſt ſenſibile ad modum rei materialis, & ſenſibilis, & comparative ad illam: ergò nequit attingere id, quod re vera ſenſibile, & materiale non eſt, quamvis ſit tale apparenter. Probatur ant. Potentia, quæ attingit unum ad modum alterius, & comparativè ad ipſum, poteſt inter utrumque diſcernere; ſed potentia, quæ vere ſenſitiva non eſt non poteſt diſcernere inter materiale, & ſenſibile apparenter, & aliud, quod re vera eſt ſenſibile, ſiquidem ignorat, an ſenſibilitas, quæ apparet, vera ſit: ergò potentia vere, & pro-

prie ſenſitiva nequit attingere, quod re vera non eſt ſenſibile, quamvis ſit tale apparenter.

Tertiò probatur ant. Potentia verè, & realiter ſenſitiva ſolum poteſt attingere illud objectum, à quo poteſt realiter immutari ficta, & ente rationis realiter immutari non poteſt, cum ens rationis non poſſit aliquid realiter immutare: ergò idem quod prius.

Quarto probatur ant. Potentia verè, & proprie ſenſitiva, & materialis non poteſt attingere, quod eſt abſolute, & ſimpliciter impoſsibile: ſed ſenſibilitas tantum apparens abſolute, & ſimpliciter impoſſibilis eſt: ergò Probatur maj. Potentia vere, & proprie ſenſitiva nequit attingere illud, quod convenit eſſentiæ rerum, aut illi repugnat, alias poſſet attingere eſſentialem repugnantiam, & conſequenter poſſet attingere rerum eſſentiam: ergò potentia vere, & propriè ſenſitiva non poteſt attingere, quod abſolute, & ſimpliciter impoſſibile eſt.

*** *** *** ***
*** *** ***
*** ***
***

§. III.

Argumentis contrariorum occurritur.

ARguitur primò ad probandum, ſenſus externos facere entia rationis, quia poſſunt attingere id, quod non eſt ac ſi eſſet: ergò, & facere entia rationis. Ant. probatur primo. In potentia viſiva, quæ quandoque videt aliquod objectum per modum viridis, & ipſum ut viride attingit, cum tamen in re viride non ſit.

Secundò, quando percipit varios colores in arcu iridis, & in collo columbæ qui tamen: ibi non ſunt, & ſimiliter, quando pluit aqua coloris lactæi, vel ſanguinei apprehendit viſus ſanguinem, & lac, quæ ibidem non ſunt, & ut curvam apprehendit virgam rectam exiſtentem in aqua, ſicut, & guſtus infirmi apprehendit cibum dulcem, ut amatum.

Tertiò probatur etiam in viſu, qui percipit in uno ſpacio eſſe lucem; & in alio tenebras, & conſequenter tenebras apprehendit, quæ ſunt aliquid rationis, & tandem ipſa potentia viſiva attingit colorem in communi, qui eſt proprium ſpecificativum illius, & conjunc-

juncta, ut ſeparata, ſicut quando colorem pomi, & non ſaporem attingit, & ipſum gradum genericum ſine gradu ſpecifico, quod contingit, quando videt à longe objectum aliquod colorarum, quod tamen non cognoſcit, utrum ſit album vel nigrum: ergò prædicta potentia poteſt attingere id, quod non eſt ac ſi eſſet.

Ad hoc argumentum reſpondetur negando ant. & ad primam probationem dicimus, quod quando videtur objectum per modum viridis, color viridis vere fit in medio, per quod tranſit ſpecies ex repercuſione ſolis reverberantis, aut reflectentis in medio, & ita attingit potentia colores, qui vere ſunt, & exiſtunt, quamvis facile tranſeuntes, & eodem modò ex repercuuſsione ſolis in nubibus reſultant colores facile tranſeuntes in arcu iridis, & ex eadem repercuſsione in collo columbæ fiunt ſimiles colores. Unde numquam prædicta potentia attingit id quod non eſt, eodem ſimili modo, quando, pluit aqua coloris lacteæi, vel ſanguinei attingit viſus ſanguinem, & lac, quantum ad accidentia coloris, quæ re vera ibi ſunt, ſed ſubſtantiam lactis, & ſanguinis non attingit. Cibus etiam dulcis inficitur qualitate amara medij per quod tranſit, & ita percipitur id, quod eſt, & accidentia curvitatis, & figuræ virgæ formantur in medio aquæ propter motum ipſius refrangentis ſpecies, conſequenterque in nullo ex his attingitur quod non eſt.

Ad tertiam tandem probationem reſpondetur, quod tenebræ non percipiuntur à viſu, ſed eas ſolum attingit negative, quatenus ibi non poteſt exercere viſionem, quod eſt ibi nihil agere. Colorem etiam in communi non attingit formaliter, ſed ſolum attingit colorem communem fundamentaliter ideſt, illud prædicatum reale coloris, in quo colorata conveniunt, non autem ipſum attingit ut unum diviſum à differentijs, vel alijs terminis dicitur viſum attingere colorem in communi adverbialiter, ideſt, colorem, in omni ſubjecto exiſtentem, ſed non colorem ut non explicantem differentiam particularem coloris. Attingit ſimiliter potentia prædicta conjuncta, ut ſeparata negativè, id eſt unum, & non alterum attingit, ſed non præſcindit poſitivè unum ab alio, nec ut ſic præciſſum videt. Ex quo ad ultimum reſpondetur: numquam viſum percipere rationem communem colorati ſine aliqua differentia coloris quamvis talem diffe-

rentiam in confuſo tantum attingat: quod patet; eo quod viſus ſemper attingit ſingulare, & conſequenter colorem ut contractum attingit.

Dices: Quandoque viſum attingere objectum à longe perceptum tanquam nigrum, & ſibi tale videri, quod re vera non eſt nigrum, ſed rubrum, vel album: ergò tunc attingit colorem ut contractum per differentiam, quam non habet.

Reſpondetur illum colorem in ſe ipſo tali differentia carere, ſed non carere illa in eſſe objecti, quia propter obſcuritatem medij talis color, & ſi tranſeunter, formatur in medio, per quod tranſeunt ſpecies, quæ propterea repræſentant talem differentiam, ut afficientem objectum, & ideo percipitur cum differentia coloris, per quam in eſſe objecti re vera determinatur.

Secundò arguitur, ad probandum imaginativam, aut phantaſiam formare entia rationis: Quia poſſunt attingere id, quod non eſt ac ſi eſſet: ergò poſſunt conficere entia rationis. Probatur antec. Nam imaginario rem non præſentem, ſed abſentem, poteſt, ut præſentem attingere: ergò id, quod non eſt ac ſi eſſet.

Secundò probatur antec. Quia ovis recedit ab animali induto veſte lupina, quod aliter contingere non poteſt, niſi ipſum apprehendat ut lupum, & id ipſum in alijs exemplis diverſorum animalium cernere licet.

Tertiò probatur ant. Quia imaginativa ex præconceptis ſpeciebus montis, & auri formar tertiam ſpeciem repræſentantem montem aureum, & illum, ut talem attingit, ſicut 1. *p. quæſt.* 12. *art.* 9. docet Ang. Doct. ſed mons aureus non reperitur in re, ſed potius impoſſibilis eſt: ergò attingit id, quod non eſt ac ſi eſſet.

Reſpondent aliqui noſtram tenentes ſententiam: imaginativam, aut phantaſiam poſſe quidem materialitèr attingere id, quod non eſt ac ſi eſſet, quia re vera poſſunt attingere, quod non eſt; verum cum non cognoſcant formalitèr illud, quod non eſt, non habere eſſe propterea ſolum materialitèr facere entia rationis; non tamen formalitèr, & diſtinguendo inter ens, & non ens, quin potius falli, non ens pro ente reputando.

Hæc tamen ſolutio difficultati ſuccumbit; nam adverſarij non poſſunt intendere phantaſiam, aut imaginativam eas habitudines diſtinguere, quas cognoſcit intellectus, ſed ſolum attingere quod non eſt ens materiale, & ſenſibile, ut ſenſibile apparentèr, prædic-

tam-

tamque ſenſibilitatem apparentem, & fictam à ſola potentia ſenſitiva produci, & non ab alia potentia ſuperiori, qualitèr mons aureus in ſomnis non poteſt fingi ab intellectu, qui in ſomnis non operatur, ſed à ſola imaginativa producitur. Nos tamen in præſenti nedum negare imaginativam diſtinguere inter entia rationis, ſed etiam illa fingere poſſe, & ideò tali ſolutione relicta alitèr.

Reſpondetur ad argumentum, negando anteced. & ad primam probationem reſpondent alij: Phantaſiam apprehendere rem abſentem, ut præſentem, v. g. theſaurum, quem in ſomnis putat aliquis invenisſe; ſed ex hoc ſolum inferri attingere non ens participialitèr, ut ens, id eſt, quod non exiſtit tanquam exiſtens, non tamen attingere non ens nominalitèr, id eſt, illud, quod nec exiſtit, nec exiſtere poteſt, & ut faceret entia rationis neceſſarium erat, quod attingeret non ens nominalitèr, illud videlicèt, quod non ſolum non eſt, ſed eſt, impoſſibile. quod ſit: eo quod ſolum hoc eſt aliquid rationis, nam ens, quod exiſtere poteſt, quamvis non exiſtat eſt aliquid reale, & juxta doctrinam iſtam aſſerunt imaginativam attingere exteriora accidentia montis aurei, figuram ſcilicèt montis ſub colore aureo, quæ accidentia vere poſsibilia ſunt, & in imagine exteriori poſſunt facile depingi.

Sed inſtabis: Si potentia imaginativa poteſt attingere non exiſtens verè, ut exiſtens, & non præſens tanquam præſens, poterit attingere rem non ſecundum ea, quæ habet in re; ſed ſecundum ea, quæ ſolum illi competunt objectivè: ergò poterit facere entia rationis, quia tunc fit ens rationis, quando cognoſcitur res, & non ſecundum ea, quæ habet in re.

Sed ſolutio data ſatis probabilis eſt, & juxta eam reſpondetur ad replicam diſtinguendo anteced. non ſecundum ea, quæ habet, poteſt tamen habere, concedo anteced. non ſecundum ea, quæ habet, nec habere poteſt, nego anteced. & conſeq. Nam ens rationis fit, quando res cognoſcitur non ſecundum ea, quæ habet, nec habere poteſt; ſi tamen quamvis non habeat poteſt ea habere, non fiet ens rationis, quia prædicata realitèr poſsibilia non ſunt entia rationis, quando apprehenduntur in re; ſed ſolum denominantur extrinſecè cognita, vel repræſentata ea, quæ de præſenti non exiſtunt, & talis eſt figura montis ſub colore

lore aureo, & ut ſic attacta tanquam præſens, quia re vera, & figura prædicta, & illius præſentia realitèr poſsibilia ſunt.

Ad ſecundam verò probationem anteced. principalis reſpondetur: ovem recedere ab animale induto veſte lupina, non quia non lupum apprehendat ut lupum, ſed quia apprehendit figuram lupi, & per ſpeciem inſentatam apprehendit illius inimicitiam, & diſcernere non valet, an illa figura non ſit aliud quod apparet.

Si tamen hæc non ſatis intelligibilia, aut difficilia videantur, poterit quis reſpondere imaginativam phantaſticè apprehendentem aliquod ſenſibile ut præſens, quod re vera præſens non eſt, qualitèr apprehendit accidentia exteriora montis aurei, non attribuere tali objecto aliquam præſentiam fictitiam, & apparentem, ſed ſolum attingere tale objectum, ut præſens intentionalitèr in phantaſmatibus, quæ conſervantur in abſentia objectorum, quam præſentiam realem intentionalem verè habet ipſum objectum, quod percipitur à phantaſia, ſicut etiam objecta præterita memorantur, & de præſenti cognoſcuntur ab animalibus, ut præſentia in ſpeciebus, quæ in eorum imaginativa ſufficienti tempore conſervantur.

Tandem arguitur: poteſt phantaſia ex conjunctione ad intellectum facere entia rationis: ergò ſaltim in homine poterit entia rationis formare. Probatur antec. primò in accidenti, quod ut conjunctum cum ſubſtantia poteſt ſubſtantiam producere, quamvis ſecundum ſe illam producere non poſsit.

2. in Cœlo, quod ex conjunctione ad Angelum poteſt producere rationem viventis. 3. in Phantaſmate, quod ex conjunctione ad intellectum agentem poteſt ſpeciem ſpiritualem producere. 4. in gratia habituali, quæ ex conjunctione ad gratiam unionis eſt vere redemptiva, quod non habet ſecundum ſe. 5. in intellectu, qui ex conjunctione ad voluntatem poteſt effectivè movere, & in præmiſſa naturali, quæ ſupernaturali conjuncta poteſt influere in concluſionem ſupernaturalem. 6. in appetitu ſenſitivo, qui ex conjunctione ad voluntatem, & illi ſubordinatus poteſt peccare venialitèr.

Reſpondetur, negando anteced. & ad primam probationem, negatur conſequent. quia attingere ens fictum non habere eſſe in re formalitèr, &

& attingere negationem entitatis existit extra spheram phantasiæ; eo quod negatio entitatis non est sensibilis, & cum potentia inferior ex conjunctione ad superiorem non possit ista præstare, siquidem non potest propriam spheram excedere: accidens verò est virtus instrumentaria substantiæ ipsi à natura data, ut mediante illa operetur, & ideò producere substantiam non esse extra spheram accidentis, ut conjuncti cum substantia, sed illi connaturale, cum adhoc sit institutum à natura.

Dices: non esse extra spheram phantasiæ ut conjunctæ cum intellectu attingere negationem entis sensibilis; sed potius hoc debet illi convenire, nam sicut intellectus discernit inter ens, & non ens spirituale, ita phantasia inter ens, & non ens sensibile, & hoc sufficere, ut faciat entia rationis, attingendo non ens sensibile ad modum entis sensibilis.

Secundò dices: Phantasia ex conjunctione ad intellectum habet discurrere circa singularia: ergò, & poterit entia rationis efficere, cum in utroque eadem sit difficultas.

Respondetur ad primam, negando assumptum illius, quia si phantasia attingeret id, quod re vera sensibile, & materiale non est, posset attingere entia spiritualia carentia sensibilitate, & materia, quod supra illius spheram est, neque est simile de intellectu, qui potentia spiritualis est, & potest attingere ipsum ens in quantum tale, & illius negationem quamquam spiritualis sit, & inter utrumque extremum discernere, quia nullum illorum immaterialitatem, & spheram intellectus excedit.

Ad secundam respondetur: Phantasiam ex conjunctione ad intellectum circa sensibilia discurrere materialitèr, unum quodammodo cum altero conferendo, non tamen discurrere formalitèr, eo quod non percipit ordinem rationis prædicati ad subjectum, & præmissæ ad conclusionem, quod necessarium erat, ut formaret entia rationis.

Ad secundum verò exemplum, in probatione primi anteced. adductum, respondetur: quod producere viventia imperfecta non est extra spheram corporis perfecti cœlestis, si roboretur; qualitèr perficitur ex conjunctione ad Angelum moventem.

Probabilis solutio: sed in via Div. Thom. probabilius est, solum Deum tanquam causam principalem producere viven-

ſentia imperfecta juxta diſpoſitionem materiæ; Cœlum autem ſolum concurrere inſtrumentaliter, & hanc virtutem inſtrumentalem Cœlo communicari ut ſubordinato Angelo moventi Cœlum.

Ad tertium exemplum reſpondetur: Phantaſma continere eandem materiam, quam repræſentat ſpecies intelligibilis, & ita non eſt extra ſpheram illius, quod illuſtratum ab intellectu agente poſsit talem ſpeciem produce, ꝛc. Quamvis etiam dici poſsit ſolum inſtrumentaliter concurrere ad illam per virtutem derivatam ab intellectu agente.

Ad 4. dicitur: Concretum gratiæ redemptivæ non eſſe extra ſpheram gratiæ infinitæ moraliter, qualis eſt gratia habitualis conjuncta cum gratia unionis, à qua participat infinitam æſtimabilitatem, & dignitatem moralem. Nec movere effectivè extra ſpheram intellectus, quatenus practicè movetur à voluntate, nec talem motionem eſſe de ſubſtantia, & differentia volun, tatis, ſicut attingere rem ſpiritualem eſt de ſubſtantia, & differentia intellectus: & modum ſimiliter libere operandi non eſſe de ſubſtantia, & differentia voluntatis, ſed etiam aliis competere ex conjunctione ad ipſam, & ex illius motione, ut patet in intellectu, & propterea non eſſe extra ſpheram appetitus. Per quæ patet ad alia exempla, quæ in argumento adducuntur.

ARTICULUS II.

Vtrùm intellectus Divinus poſsit facere entia rationis?

§. I.

Explicatur difficultas, & ſtatuitur negativa concluſio.

DEUM Optimum, & Maximum entia rationis cognoſcere Script. Sancta ſatis judicare videtur, nam Sapient. 8. dicitur: ipſum ſcire verſutias ſermonum, & diſſolutiones argumentorum, ſigna, & monſtra, autequam fiant. Quod etiam 1. *part. quæſt.* 14. *artic.* 9. docuit Angelic. Doct. dicens: *Quæcumque ſunt in potentia creaturæ, ſivè opinandi, ſivè imaginandi, ſivè quocumque modò ſignificandi, cognoſcit Deus.*

Ratio entia id ipſum ſuadet: quia omne cognoſcibile debet à Deo cognoſci, alias non eſſet Deus infinitus in cognoſcendo, ſiquidem aliquod

quod cognoscibile subterfugeret cognitionem ipsius; sed ens rationis cognoscibile est: ergò debet à Deo cognosci. Probatur min. Cognoscibilitas supra entitatem fundatur, & ad illam consequitur; sed ens rationis habet aliquam entitatem: ergò cognoscibile est.

Confirmatur: non potest cognosci saltem comprehens sivè actus aliquis, quin terminus, & objectum illius cognoscantur; sed Deus cognoscit comprehensivè omnem actum nostri intellectus: ergò terminum, vel objectum illius etiam cognoscit: sed objectum alicujus actus illius videlicèt, quo fingimus ens rationis est ipsum ens rationis: ergò ipsum Deus cognoscit.

Ulterius probatur assumptum: nam eatenus Deus non posset entia rationis cognoscere, quia cognitio entis rationis involuit imperfectionem; sed cognitio entis rationis nullam imperfectionem involuit, dum merè speculativa est: ergò potest Deus entia rationis speculativè cognoscere. Major. est fundamentum Vazquez, Alarcon, & Caramuel, qui propterea negabant Deum entia rationis cognoscere, non discernentes inter cognitionem speculativam, & practicam factivam entis rationis. Minor. verò probatur. Quod in se ipso imperfectum est, potest à Deo sine ulla imperfectione cognosci, sicut constat in peccato, quod maximè imperfectum est; & tamen cognitio illius nullam involuit imperfectionem: ergò etiam cognitio entis rationis nullam imperfectionem involuit, quamvis illud in se ipso imperfectionem importet.

Addimus: quod homines quandoque peccant fingentes entia rationis, proindeque si Deus hæc nostra figmenta non cognosceret, aliqua peccata ignoraret, quod asserendum non est.

Dices: Deum non posse cognoscere ea objecta, quorum non habet idæam; sed Deus non habet idæam, entis rationis: ergò ea cognoscere nequit. Patet min. Quia Deus soluto habet idæam eorum, quæ facere potest, & non potest entia rationis conficere, ut statim infra dicemus.

Respondetur, negando major. Nam ut Deus cognoscat entia rationis sufficit, quod habeat idæam causæ producentis illa, nec requiritur habere propriam ipsorum idæam. Et instantiam est in peccato, cujus Deus non habet propriam

priam idæam; & tamen cognoscit illud.

His ergò statutis affirmat prima sententia: Deum posse efficere entia rationis. Ita Scotus, Durandus, quibus alij Recentiores adhærent.

Secunda asserit: Deum non posse facere aliqua entia rationis, qualia sunt relatio generis, & speciei, & mons aureus, & alia similia figmenta; posse tamen Deum formare entia rationis, quæ consequuntur modum perfectum intelligendi, cujus generis sunt respectus illi rationis, quibus complentur idææ. Et hanc sententiam plures Thomistæ tuentur.

Alij tandem constanter defendunt: non posse Deum facere aliqua entia rationis, quæcumque illa sint; sed ea tantum fieri posse ab intellectu creato, qui solus fingere potest, aut figmenta fabricare. Quæ sententia inter Thomistas communior est, quibus etiam adhærent plures extra Scholam Div. Thom. cum quibus.

§. II.

NOSTRA CONCLUSIO.

RATIONE illam probamus: Quia facere entia rationis importat imperfectionem: ergò Deus in quo nullam imperfectionem possumus admittere, non poterit entia rationis formare. Probatur anteced. facere ens rationis est cognoscere formaliter id, quod non est ac si esset; sed hoc importat imperfectionem: ergò facere entia rationis imperfectionem importat. Probatur min. Cognoscere id, quod non est ac si esset est cognoscere rem, aliter ac est in se; sed cognoscere rem aliter ac est in se, involuit imperfectionem: ergò etiam cognoscere id, quod non est ac si esset. Probatur min. Cognitio non adæquata cum re imperfectionem importat, & defectum cognitionis; sed cognitio rei aliter ac est in se non adæquatur cum re prout in se, sed potius eam, aliter ac est attingit: ergò cognitio rei aliter ac est in se, imperfectionem involuit.

Confirmatur: quia voluntas Divina perfectissima est in volendo non potest, ut bonum attingere. quod in re bonum non est, alias posset attinge-

gere bonum, quod verum bonum non est; sed solum apparenter est bonum, proindeque posset peccare; sed intellectus Divinus in cognoscendo perfectissimus est: ergò non potest cognoscere id, quod non est ac si esset, aut ens rationis efficere.

Urgetur doctrina nostra, quia intellectui divino repugnat omnis falsitas; sed si conciperet id, quod non est ac si esset; falsò conciperet, & falsus esset: ergò nequit attingere id, quod non est ac si esset. Probatur min. Si Divinus intellectus conciperet id, quod non est ac si esset, hoc faceret judicando illud non ens esse ens, vel ita esse, sicut concipit intellectus attingens rem aliter ac est: ergò falsò conciperet. Conseq. bona est, & antec. probatur: in intellectu divino non datur simplex apprehensio, aut enuntiatio, vel alter actus, qui non sit actus judicij; nam quilibet alius imperfectus est; unde Præcept. Angelic. & cum eo discipuli solum re cognoscunt in Deo inquisitionem terminative acceptam, aut perfectè pro actu judicij practici: ergò si Deus cognoscceret id, quod non est ac si esset, hoc faceret judicando.

Dices: Deum non posse cognoscere rem aliter ac est in se per assensum, alias judicaret; rem conceptam ita esse, & consequenter esset falsus in illius attingentia; posse tamen Deum cognoscere rem aliter ac est per dissensum, & negando rem ita esse. V.g. identificari realiter prædicata chymeræ, quæ ut identificata cognoscit.

Sed hæc solutio non infringit doctrinam datam, sed potius in se ipsa implicationem involuit. Nam quamvis Deus per aliquem actum neget, prædicata chymeræ esse identificata realiter, hoc tamen non negat per illum actum, quo talia extrema, ut identificata cognoscit, sed ille primus actus est vere judicativus, ut relinquimus probatum: ergò sic attingens, falsus est.

Dices: intellectum divinum non per unum actum attingere prædicata illa ut identificata realiter, & per alium actum illam identitatem negare; sed per primum actum, quo illa attingit ut identificata, negare, & dissentire illorum identitati.

Sed contra primò: quia negare identitatem extremorum, & illi dissentire, est judicare ita non esse; sed per illum actum, quo attingit illa extrema, ut identificata realiter, non negat extrema ita esse, sed potius judicat esse ita, si-

quis

quidem illa attingit ut realiter identificata, & illa attingentia eſt judicium de eo, quod attingit: ergò ſolutio implicatoria eſt.

Secundò impugnatur ſolutio data: quia ſi per illum actum negat intellectus Divinus prædicata chymera identificari realitèr, cognoſcit illa, prout ſunt in ſe, cum re vera non ſint identificata; ſed per actum, quo cognoſcitur res, ut eſt, non poteſt fieri ens rationis: ergò intellectus Divinus per actum illum nequit facere entia rationis.

Ad rationem tamen primam reſpondent contrarij ad faciendum entia rationis non requiri cognoſcere rem aliter ac eſt, ſed ſatis eſſe cognoſcere ens rationis ut ens fictum, & apparens, quod potius eſt cognoſcere ens rationis prout eſt, cum re vera ita ſit.

Hæc tamen ſolutio vera eſſe non poteſt: quia facere entia rationis, eſt cognoſcere rem non ſecundum ea, quæ habet, vel habere poteſt à parte rei, ſed ſecundum ea tantum, quæ habet ex conſideratione, vel ex fictione intellectus; ſed ita cognoſcere rem eſt cognoſcere illam, non prout eſt in ſe, ut per ſe manifeſtum videtur, quando quidem in ſe talia prædicata non habet: ergò formare entia rationis ſemper eſt cognoſcerem rem aliter ac eſt.

Secundò reijcitur ſolutio data: quia facere intentionem generis, eſt cognoſcere naturam animalis v. g. ut comparatam ad inferiora, & ad ea relatam, & facere reſpectum idealem eſt cognoſcere divinam naturam cum ordine ad creaturas, vel ut relatam ad illas: ſed nec natura animàlis à parte rei, & in ſe refertur ad inferiora, nec natura Divina in ſe refertur ad creaturas: ergò facere prædicta entia rationis (& idem de omnibus alijs) eſt cognoſcere rem aliter, ac eſt in ſe.

Tertiò impugnatur data ſolutio: quando conficitur ens rationis, non cognoſcitur admodum entis, quia ipſum ſit admodum entis: ergò cognoſcitur aliter ac eſt. Probatur antec. Quando conficitur ens rationis, habet eſſe admodum entis, quia cum non ſit ens, cognoſcitur admodum entis: ergò non cognoſcitur admodum entis, quia ipſum ſit admodum entis, ſed potius ideò eſt admodum entis, quia admodum entis cognoſcitur.

Explicatur impugnatio prædicta: ens rationis fit ab intellectu, quia illud, quod non

eſt

est admodum entis, cognoscitur admodum entis: ergò sit, quia cognoscitur aliter ac est in se, & consequenter facere entia rationis, semper est cognoscere rem aliter ac est.

Respondentur alij ad rationem nostram intellectum Divinam non posse facere entia rationis illa per se primo fingendo, & nullo habito respectu ad intellectum creatum; posse tamen facere entia rationis illa concipiendo, ut iam facta creatura, in quo nulla involuitur imperfectio, quandoquidem non illa cognoscit aliter ac sunt, sed potius secundum esse, quod habent ab intellectu creato.

Hæc tamen solutio in terminis implicare videtur; nam si intellectus Divinus supponit facta entia rationis, non poterit illa facere, nam id, quod est, dum est, non potest iterum fieri alias esset, & non esset idem. Rursus: ens rationis solum habet esse objectivum in ipsa potentia, à qua fit: ergò si entia rationis fiunt ab intellectu divino, non habent esse ante illud, quod habent in Divino intellectu, proindeque non erunt prius facta, & habentia esse ab intellectu creato.

Secundò reicitur: nam ens rationis tunc fit, quando transit de non esse ad esse; sed si intellectus Divinus illa supponit jam facta, per actionem ipsius non transeunt de non esse ad esse, cum ante talem actionem habeant esse ab intellectu creato: ergò implicat intellectu Divinum modo prædicto facere entia rationis.

Tandem probatur conclusio specialiter contra Authores se tentiæ mediæ: nam si Deus posset facere aliqua entia rationis, maximè respectus idæales; sed respectus idæales Deus facere non potest: ergò nulla potest facere entia rationis. Probatur min. Si Deus faceret respectus idæales, cognosceret essentiam suam ut relatam ad creaturas; sed hoc implicat, alias cognosceret essentiam aliter ac est in se, cum in se relata non sit: ergò non potest facere respectus idæalis.

Confirmatur: si Deus faceret respectus idæales, quibus multiplicantur, & distinguntur ideæ, faceret etiam distinctionem inter Divinas idæas; sed Deus distinctionem prædictam facere non potest: ergò nequit facere respectus idæales. Probatur min. Deus facere non potest distinctionem inter Divina attributa, ut semper affirmat D. Thom. ergò nequit facere distinctionem inter respectus idæales, nam utriusque eadem ratio videtur.

Urgetur. Si Deus fac. ret res-

reſpectus idæales, illos faceret neceſſario; ſed hoc non videtur aſſerendum, non enim credibile apparere poteſt, quod effectus reales libere producantur à Deo, & effectus rationis, & ficti neceſſario fiant: ergò. Probatur maj. Deus faceret reſpectus idæales, quatenus cognoſcit eſſentiam ſuam diverſimode imitabilem à creaturis; ſed cognitio iſta neceſſaria eſt, cum omne decretum liberum antecedat: ergò reſpectus prædictos faceret neceſſario.

§. III.

Argumentis contrariorum occurritur.

ARguitur primò contra concluſionem prædictam. Quia qui non poteſt producere objectum habitus, vel potentiæ, non poteſt producere potentiam, vel habitum, ſed Deus de facto producit habitum Logicæ: ergò poteſt producere ens rationis, quod eſt illius objectum. Maj probatur. Nam Ang. Præcept. 1. 2. *quæſt.* 9. *art.* 6. probat, nullam creaturam poſſe producere voluntatem, quia nulla creatura poteſt cauſare bonum univerſale, quod eſt objectum voluntatis: ergò qui non poteſt producere objectum habitus, vel potentiæ, non poteſt producere potentiam, vel habitum.

Confirmatur: ſi Deus poſſet producere potentiam peccandi, etiam producere poſſet peccatum, quod eſt illius objectum: ergò ſi Deus producit habitum Logicæ, etiam objectum illius, quod eſt ens rationis producere poterit.

Reſpondetur tamen: D. Thom. non probare creaturam non poſſe producere voluntatem, quia non poſſit producere bonum univerſale, quod eſt voluntatis objectum, ſed quia nulla creatura poteſt producere inclinationem univerſalem, quam voluntas habet ad univerſale bonum, ſicut nulla creatura poteſt producere materiam primam, quia nulla creatura poteſt producere inclinationem univerſalem, qua materia appetit omnes formas; & ideò D. Thom. non probat impotentiam ad cauſandam voluntatem ex impotentia ad cauſandum objectum, ſed ex impotentia producendi inclinationem univerſalem voluntatis, unde argumentum nititur falſo principio. Inſtantia eſt in viſione beata, quam Deus de facto producit; & tamen non poteſt producere ſe ipſum, qui eſt viſionis objectum.

Ad confirmationem verò ar-

argumenti, negatur conſeq. Quia tàm potentia peccandi, quam ipſum peccatum important imperfectionem, & ideò ſi Deus poſſet producere potentiam peccandi, eadem ratione poſſet peccatum producere: cæterum objectum Logicæ imperfectionem importat, quam non dicit habitus Logicæ, qui vere realis eſt; & phyſicus effectus, & ideò ex quo Deus poſsit producere illam, non infertur, poſſe producere objectum.

Secundò arguitur: Deus cognoſcit privationem; ſed cognoſcere privationem eſt facere entia rationis: ergò facit entia rationis. Probatur min. cognoſcere tenebras; v. gr. eſt dare illis aliquod eſſe objectivum, quod non habent in re: ergò cognoſcere privationem eſt facere entia rationis.

Explicatur: Deus cognoſcit privationem admodum formæ poſsitivæ: ergò cognoſcit id, quod non eſt, ac ſi eſſet, & facit entia rationis. Probatur antecedens. Deus cognoſcit privationem per formam poſsitivam: ergò illam cognoſcit admodum formę poſsitivæ.

Confirmatur argumentum primò: nulla imperfectio poteſt reperiri in eo, quod cognoſcatur admodum entis; id quod eſt ad modum entis; ſed quando fit ens rationis, ſolum cognoſcitur admodum entis id, quod eſt admodum entis: ergò nulla imperfectio eſt in eo, quod Deus producat entia rationis.

Confirmatur ſecundo: producere rem, ſicut exigit produci, nullam dicit imperfectionem; ſed ens rationis exigit fieri per actionem, qua cognoſcitur id, quod non eſt, ac ſi eſſet: ergò illud ita producere nullam imperfectionem involuit. Probatur maj. Quamvis formica imperfecta ſit, illius tamen productio non dicit imperfectionem, quia formica, exigit cum tali imperfectione produci, & idem de pluribus alijs, quæ in ſe ipſis imperfectiones plures includunt: ergò producere rem, ſicut exigit producit, nullam dicit imperfectionem.

Reſpondetur ad argumentum diſtinguendo maj. per diſſenſum, concedo maj. Per aſſenſum, nego maj. & diſtinguo min. cognoſcere per aſſenſum, concedo min. per diſſenſum, nego min. & conſeq. Quia cognoſcere privationem per aſſenſum, eſt dare illi eſſe objectivum, quod non habet in re, quod Deus facere non poteſt, ſed ſolum poteſt cognoſcere privationem per diſſenſum quatenus cognoſcit in ſubjecto non eſſe formam.

Dices: non ſolum cog-

noscit Deus, aerem non esse lucidum sed etiam ipsum esse tenebrosum; sed cognoscere aerem esse tenebrosum, est cognoscere privationem per assensum, tenebras affirmando de subjecto: ergò cognoscit Deus privationem per assensum.

Respondetur distinguendo maj. speculativè, concedo maj. practicè, nego maj. & distinguo min. cognoscere practicè, concedo min. speculativè, nego min. & conseq. Quia Deus solum cognoscit, verè à nobis affirmari, aerem esse tenebrosum, quatenus Deus cognoscit, intellectum nostrum concipere tenebras ad modum formæ positivæ, & præbere illis esse objectivum, quod non habent in re, & ab illo esse aerem denominari, quod est cognoscere, aerem esse tenebrosum objectivè, & mere speculativè; non tamen Deus tenebras affirmat de aere, nec illas concipit practicè admodum rei positivæ, sed illas attingit per dissensum, & ut sunt, eo quod vere cognoscit, quod forma lucis ibi non est.

Ex eadem doctrina ad explicationem constat: Deum cognoscere privationem per formam, non per assensum affirmando privationem de subjecto, vel de forma; sed solum per dissensum, cognoscendo videlicet, in subjecto non esse formam; ut autem cognosceret privationem ad modum formæ positivæ, debebat illam cognoscere tanquam formam in subjecto, illam per assensum de subjecto, affirmando: quod Deus non facit, quamvis speculative cognoscat, à nobis hæc omnia fieri.

Dices: nihil est cognoscibile, nisi contineatur sub ente, quia objectum intellectus adæquatum est ens; sed si privatio non cognoscitur admodum formæ positivæ, & aliquod esse positivum per intellectum adquirat, non continetur sub ente, eo quod privatio remotivè sumpta non est ens, sed potius carentia entis: ergò ut cognoscatur ab intellectu Divino necessarium est, Deum cognoscere illam per modum formæ positivæ, tale esse positivum privationi communicando.

Respondetur ad replicam istam: distinguendo min. directè, & formaliter, concedo min. in directè, & in obliquo, nego min. & conseq. Nam quamvis privatio sumpta remotivè, aut negativè non sit formaliter ens, vel formaliter contenta sub ente; in obliquo tamen sub ente continetur, eo quod quæcumque privatio, vel negatio specificatur ab entitate, qua privat, & ideò illam cono-

notat in obliquo, quod satis est, ut ab intellectu attingatur per ordinem ad entitatem, cui opponitur, sicut peccata attinguntur ab habitu Theologiæ per ordinem ad Deum, cui formaliter opponuntur.

Ad primam confirmationem respondetur: distinguendo maj. Quod est admodum entis independenter à cognitione, concedo maj. ex vi ipsius cognitionis, nego maj. & distinguo min. Id quod est admodum entis per ipsam cognitionem, concedo min. Independenter, vel antecedenter ad illam, nego min. & conseq. Nam quando illud, quod habet esse admodum entis per cognitionem, attingitur admodum entis, non cognoscitur admodum entis, quia in se sit admodum entis, sed potius in se est admodum entis, quia admodum entis cognoscitur, & tale esse per cognitionem adquirit, quod est imperfectio cognitionis, quæ tunc casus non adæquatur cum re prout est, sed illam, aliter ac est, attingit.

Ad secundam confirmationem negatur maj. Quia peccatum petit fieri, deficienter, & tamen sic illud efficere imperfectio magna est.

Aliter respondetur: distinguendo maj. rem, cuius produci, vel fieri importat efficientiam sine deficientia, concedo maj. si efficientiam cum deficientia importet, nego maj. & concessa min. negatur conseq. Nam aliqua non possunt fieri sine defectu producentis, ut contingit in peccato, cujus fieri nequit esse absque defectu operantis, & talia producere sicut exigunt produci imperfectio est, quæ etiam reperitur, ut vidimus in fieri entis rationis: talia verò, quamvis imperfecta sint in se, non tamen involunt aliquem defectum, ex parte operantis, quia possunt fieri non deficiendo, & talia producere, sicut exigunt produci, imperfectionem non dicit, ut contingit in formica.

Sed instabis: cognoscere rem, sicut exigit cognosci, non dicit imperfectionem: ergò illam non dicit producere rem, sicut exigit produci. Probatur ant. Deum cognoscere creaturas possibiles abstractive nullam dicit imperfectionem; sed hoc ideo est, quia sic petunt cognosci: ergò cognoscere rem sicut exigit cognosci, imperfectio nulla est.

Respondetur; aut distinguendo sicut prius, aut negando ant. & ad probationem, negatur min. Quia cognoscere creaturas possibiles abstracti è non ideò imperfectionem non dicit, quia sic petunt cognosci; sed quia per talem cognitionem attinguntur prout sunt in se,

ſe, & non aliter ac ſunt, eo quod per cognitionem prædictam attinguntur, ut carentes exiſtentia, quam in re, & vere non habent.

Tertiò arguitur: Deus cognoſcit plura impoſsibilia poſsitiva antecedenter ad intellectum humanum, & independenter ab illo; ſed hoc non poteſt eſſe, niſi faciat entia rationis: ergò facit. Min. patet. quia impoſsibilia poſsitiva concipiuntur cum aliquo eſſe poſsitivo; ſed tale eſſe poſsitivum non habent in re, quia impoſsibilia ſunt, nec habet ab humano intellectu, ſi ſemel cognoſcuntur independenter ab illo: ergò illud habent à Divino intellectu, & conſequenter nequit intellectus Divinus prædictam cognitionem exercere, niſi faciat entia rationis.

Maj. verò probatur. Quia Deus cognoſcit independenter ab intellectu humano, chymeram eſſe impoſsibilem, & non eſſe alterum Deum, & quod ſi creatura eſſet ens à ſe, eſſet Deus, vel quod equus eſſet rationalis, ſi eſſet homo; ſed hæc omnia ſunt impoſsibilia poſsitiva: ergò Deus cognoſcit plura impoſsibilia poſsitiva antecedenter ad intellectum humanum.

Confirmatur: fieri entis rationis conſiſtit in cognoſci, ſicut patet ex illius diffinitione; ſed Deus cognoſcit entia rationis (ut §. 1. probatum relinquimus) ergò facit.

Reſponderi poterat primò: diſtinguendo maj. cognoſcit ſpeculativè, & independenter ab intellectu humano ut exiſtente, concedo maj. practice, & independenter ad humano intellectu ut poſsibili, nego maj. & juxta eandem diſtinctionem, negamus minorem, & conſeq. Quia Deus ſolum ſpeculativè cognoſcit impoſsibilia ſecundum quod poſsitiva, quatenus cognoſcit illud eſſe poſsitivum, quod poſſunt habere per intellectum humanum; quod quidem eſſe denominatur ab æterno extrinſecè cognitum ab intellectu Divino; non tamen Deus practicè cognoſcit ea omnia ut poſsitiva, eſſe poſsitivum attribuendo illis per actionem intellectus. Unde eſſe poſsitivum, quod habebunt per intellectum humanum, modo cognoſcitur ab intellectu Divino, ſed non provenit efficienter à Divino intellectu.

Secundò reſpondetur: diſtinguendo maj. plura impoſsibilia poſsitiva per diſſenſum, concedo maj. per aſſenſum, nego maj. min. & conſeq. Deus namque ennumerata impoſsibilia ut poſsitiva non cognoſcit per aſſenſum, affirmando de illis aliquid poſsitivum, hoc enim ſolum poteſt facere intellec-

lectus creatus, qui poteſt id, quod non eſt cognoſcere admodum alicujus poſsitivi; ſed ſolum intellectus divinus ea per diſſenſum attingit, cognoſcendo non eſſe in illis poſsitivam poſsibilitatem, quomodo attingit alterum Deum, & chymeram, & creaturam Deum, aut equum rationalem, cæteraque, impoſsibilia de quibus omnibus negat intellectus divinus veram poſsibilitate, propterea que ea omnia per diſſenſum verum attingit, & eodem ſimilimodo attingit conditionata impoſsibilia, videlicèt ſi creatura eſſet ens à ſe eſſet Deus: ſi equus eſſet rationalis eſſet homo, quod idem eſt ac cognoſcere, quod ſi creatura non diſtingueretur ab ente à ſe, & equus à rationali, nec equus diſtingueretur ab homine, nec creatura diſtingueretur à Deo; quamvis ad ultimam probationem poſsit, & vere dici: Deum cognoſcere creaturam Deum, & equum hominem, quæ ſunt aliquod poſsitivum impoſsibile, ſub conditione tamen entis à ſe in creatura, & rationalis in equo, ſub qua conditione verè illis, conveniret prædicatum, quod ſub eadem prædicatur afirmativè de illis.

Ad confirmationem verò principalis argumenti reſpondetur diſtinguendo maj. in cognoſci practicè, concedo maj. ſpeculativè nego maj. quia duplex aſsignari poteſt cognitio entis rationis una quidem ſpeculativa, quæ ens rationis attingit per modum quidditatis, vel tantum, ut poſsibile, ut exiſtens ex vi alterius cognitionis, quomodo tantum Divina cognitio attingit, entia rationis, conſequenterque ea tantum ſpeculativè cognoſcit. Alia inſuper aſsignatur cognitio entis rationis, quæ practica eſt, quæ videlicèt attingit ens rationis ut exiſtens ex vi ejuſdem cognitionis attribuentis illi eſſe aliquod poſsitivum, quod in objecto non eſt, & in cognoſci per hanc cognitionem conſiſtit fieri entis rationis, Deus tamen cognitione prædicta non poteſt entia rationis cognoſcere.

Dices: quando Deus entia rationis cognoſcit tribuit illis aliquod eſſe: ergò ea practicè attingit, & conſequenter facit.

Reſpondetur: Deum ea cognoſcentem tribuere illis aliquod eſſe extrinſecum, videlicet denominationem extrinſecam cogniti; non tamen tribuere aliquod eſſe intrinſecum, quod erat neceſſarium, ut ea cognoſceret practicè.

Dices: Deum cognoſcentem entia rationis, quæ aliquando erunt, ea etiam cog-

noſcere per ſcientiam viſionis: ſed ſcientia viſionis practica eſt: ergò practicè ea cognoſcit.

Reſpondetur: Deum cognoſcere talia entia per ſcientiam viſionis, non quatenus practicam, ſed quatenus ſpeculativa eſt, quomodo cognoſcit peccatum, quod tamen practicè non cognoſcit, alias peccarum efficeret.

Sed inſtabis: Deum entia prædicta cognoſcere debere per ſcientiam viſionis, quatenus practica eſt: ergò nulla eſt data ſolutio. Probatur ant. conceptus ſpeculativæ in ſcientia viſionis ſupponit conceptum practicæ: quia ſpeculari non poteſt, quod non eſt: ergò non poteſt Deus entia rationis cognoſcere per ſcientiam viſionis, quatenus ſpeculativa eſt, niſi per ipſam quatenus practicam ea cognoſcat.

Reſpondetur: negando utrumque antec. Nam quando effectus à Deo fieri non poteſt, conceptus ſpeculativæ in ſcientia viſionis non ſupponit conceptum practicæ proprium ipſius; ſed tantum ſupponit propriam cauſam, videlicet creaturam ut determinatam ad effectus productionem ad quam determinationem conſequitur, quod Deus ſpeculetur effectum, ſicut conſtat in peccato; quod ſcientia Divina viſionis ſpeculativè attingit pro poſteriori ad creaturam cognitam in decreto permiſſivo ad peccandum determinatam.

Dices: quando ſcientia Divina viſionis cognoſcit ab æterno eſſe intrinſecum entis rationis, non terminatur ad eſſe intrinſecum, quod ens rationis habet à ſe, nec ad illud quod habet à cognitione creata, cum cognitio creata non exiſtat ab æterno: ergò ſolum terminatur ad eſſe intrinſecum, quod habet ex vi ſcientiæ Divinæ, conſequenterque practicè illud attingit.

Reſpondetur: diſtinguendo ant. quod habet à cognitione creata actualiter, concedo ant: poſsibiliter, nego ant. & conſeq. Nam ſcientia Divina, illud idem eſſe, quod ens rationis habebit in tempore actualiter, vel habere poteſt, illud idem ab æterno tanquam poſſibile cognoſcit, & ipſum denominat extrinſecè cognitum ab æterno: ſicut illud idem eſſe, quod creatura realis poteſt habere, tanquam poſsibile cognoſcit ab æterno ſcientia Divina, ipſumque denominat extrinſecè cognitum ab æterno.

Quarto arguitur: ad formandum entia rationis nulla requiritur fictio: ergò Deus poteſt facere entia rationis. Probatur ant. Chriſtus Dominus formavit entia rationis; ſed Chriſto fictio repugnat, ſicut etiam

etiam error ſpeculativus, quia uttaque cognitio attingit rem aliter ac eſt: ergò ad formandum entia rationis nulla requiritur fictio.

Confirmatur: ſi facere entia rationis diceret imperfectionem, non poſſet convenire Chriſto à quo omnem imperfectionem relegamus; ſed Chriſtus formavit entia rationis: ergò.

Reſpondetur ad argumentum, negando antec. & ad probationem diſtinguo min. fictio aſſertiva, concedo min. apprehenſiva, nego min. & conſeq. Quia fictio aſſertiva, in quo conſiſtit error, deſtruit objectum divinæ veritatis, eo quod affirmat oppoſitum illius, quod Divina ſapientia cognoſcit, & ita nequit competere Chriſto; fictio tamen apprehenſiva non affirmat ita eſſe rem, quam attingit aliter ac eſt, ſed modo ſimplici tendit in illam, nihil affirmando, vel negando, & ideò fictio hæc Chriſto Domino non repugnat, & hæc ſola ſufficit ad formandum entia rationis.

Ad confirmationem dicimus, ita fore, ſi facere entia rationis diceret imperfectionem moralem, qualem involuit peccatum, aut tranſgreſſio conſiliorum. Verum ſolum imperfectionem Phyſicam dicit, quæ Chriſto non repugnat, aut verbo ratione naturæ, vel intellectus humani. Ratio autem ea eſt, quia imperfectio moralis opponitur cum ſanctitate infinita, quæ debet excludere omnem, indecentiam moralem, quam importat quæcumque imperfectio moralis; Phyſica tamen imperfectio nullam dicit indecentiam, & poteſt ad bonum maximum ordinari.

Quintò arguitur: ad formationem entis rationis neceſſarium non eſt attingere rem aliter ac eſt, vel cognitionem objecto non conformari: ergò ex hac parte repugnare non poteſt Deum facere entia rationis. Probatur antec. Ut intellectus formet diſtinctionem rationis inter extrema realiter in diſtincta neceſſarium non eſt, quod illa concipiat tanquam diſtincta realiter, ſed ſufficit concipere illa, ut diſtincta per rationem; ſed cognitio, quæ prout ſic illa attingit conformatur objecto, & non attingit ipſum aliter ac eſt, cum illa extrema per rationem ſint verè diſtincta: ergò ad formandum entia rationis neceſſarium non eſt attingere rem aliter ac eſt, vel cognitionem objecto non conformari.

Confirmatur: tunc efficitur ens rationis, quando id, quod non eſt, cognoſcitur ad-

admodum entis; ſed quotieſcumque cognoſcit Deus ens rationis, ipſum etiam cognoſcit admodum entis, ſiquidem cognoſcit ipſum eo modo quod eſt cognoſcibile, & non aliter cognoſcibile eſt: ergò quotieſcumque Deus ita cognoſcit, formar aliquod ens rationis.

Reſpondetur ad argumentum negando antec. & ad probationem, diſtinguo maj. tanquam diſtincta realiter objective, & ſignate, concedo maj. ex parte modi, & exercite, nego maj. min. & conſeq. Quia quamvis intellectus dum ita concipit extrema diſtincta, non concipiat illa tanquam diſtincta realiter explicite, & ſignate ex parte objecti, nec aſſertive judicet eſſe diſtinctionem realem; eam tamen ex parte modi, & exercite attingit tanquam diſtinctionem realem, & admodum illius, & extrema ipſa conſiderat ex vi modi concipiendi, ac ſi eſſent diſtincta realiter; cumque re vera extrema non ſe habeant eodem modo ac ſi eſſet realiter diſtincta, nec ipſa diſtinctio ſe habeat tanquam diſtinctio realis, ſed totum hoc proveniat à fictione intellectus, cum re vera in objecto non ſit, inde eſt, intellectum concipere rem aliter ac eſt, & cognitionem objecto non conformari.

Ad confirmationem diſtinguo maj. admodum entis, practicè, & ex modo cognoſcendi, concedo maj. ſpeculative, & ex parte rei cognitæ, nego maj. & diſtinguo min, ſpeculative, & ex parte rei cognitæ, concedo min. practice, & ex modo cognoſcendi, nego min. & conſeq. Quia Deus ſolum cognoſcit illud, quod finxit creatura habere tantum eſſe admodum entis; unde totum hoc ſe tenet ex parte rei cognitæ, & ut tale ſpeculatur à Deo; non tamen cognoſcit Deus practice, & ex parte modi illud non ens admodum entis, attingendo ipſum exercite admodum, & ſimilitudinem entis realis, nec talem ſimilitudinem habet objectum ex vi modi quo cognoſcitur à Deo, ſicut Deus cognoſcit diſcurſum factum ab intellectu creato non tamen imperfectio diſcurſus ſe tenet ex parte modi, quo cognoſcitur à Deo.

Sed inſtabis, facere entia rationis eſt attingere rem aliter ac eſt in ſe ex parte modi cognoſcendi, ut concedit data ſolutio; ſed Deus plura objecta attingit aliter ac ſunt in ſe ex modo cognoſcendi: ergò plura facit entia rationis. Probatur min. Quia Deus immaterialia, & ſpiritoalia modò immateriali cognoſcit, ut per ſe manifeſtum eſt, & omnes creaturas

ac-

attingit admodum entis Divini, cum ens divinum ſit objectum ſpecificativum divini intellectus, & ipſe nihil cognoſcere poſsit, niſi admodum ſui ſpecificativi: ergò min. vera eſt.

Secundò eadem min. probatur. Quia nos entia rationis cognoſcimus per ſpeciem entis realis, ea cognoſcimus admodum entis realis; ſed etiam Deus entia rationis cognoſcit per ſpeciem entis realis: ergò ea cognoſcit ex parte modi admodum entis realis, & tandem Deus cognoſcere debet omnia, quæ ſunt, & quocumque modo ſunt; ſed entia rationis ſunt cognoſcibilia admodum entis realis: ergò ita Deus illa cognoſcit, proindeque vera eſt min.

Reſpondetur ad replicam diſtinguendo maj. alietate reſſa in objectum, & applicata rei cognitæ, concedo maj. alietate ſe habente præciſſe ex parte modi attingendi, nego maj. & ſub eadem diſtinctione negamus min. & conſeq. Licèt namque Deus attingat rem aliter ac eſt in ſe ex parte modi cognoſcendi, quia materialia, compoſita, & finita, modo infinito ſimplici, & immateriali cognoſcit, talis tamen alietas ſe tenet præciſſe ex parte cognitionis, & illius entitatis, quæ infinita ſimplex, & immaterialis eſt, non tamen ex parte rei cognitæ, eo quod Deus ex vi ſuæ cognitionis non attribuit talem modum rebus cognitis, ſed ſolum ille modus ex parte Dei attingentis ſe habet; ſicut cum Angelum cognoſcimus admodum juvenis, non facimus ens rationis, quia tale eſſe Angelo non applicamus.

Dices: ergò ex parte Dei attingentis relucet immaterialitas, quæ rebus non applicatur, conſequenterque cognitio divina non eſt conformis objecto, ſed illud attingit aliter ac eſt.

Reſpondetur: diſtinguendo antec. entitativè, concedo antec. repræſentativè, nego antec. & ut Deus faceret entia rationis neceſſarium erat ex parte Dei repræſentari tanquam immaterialia ea, quæ materialia ſunt; ſic enim objectum attingeretur aliter ac eſt; ſed non ita contingit, nam objecta, ut materialia repræſentantur, & ut talia cognoſcuntur immaterialitate intra Deum remanente, & ſe habente entitativè ex parte cognitionis divinæ.

Ad alteram probationem in vivitam dicimus: Deum non cognoſcere creaturas admodum entis infiniti; ſed ſolum per ordinem ad ipſum primo cognitum, & attractum; nec enim objecta creata debent ar-

attingit admodum entis divini, ſed per ordinem, & habitudinem ad ipſum tanquam ad ſpecificativum, & primarium terminum intellectus divini, quia attingere creaturam admodum entis divini eſt attingere ens divinum in obliquo, & ut terminum connotatum, & Deo repugnat ſimilis attingentia. Inſtantia doctrinæ invenitur in habitu Theologiæ, quæ ſecundario peccata conſiderat, & tamen ea non attingit admodum entis divini, quod eſt objectum primarium, à quo Theologia deſummit ſpeciem.

Ad ſecundam probationem min. Reſpondetur, negando cauſalem. Nos enim non ideò concipimus ens rationis admodum entis realis, quia præciſſe cognoſcimus ipſum per ſpeciem entis realis, ſed quia ipſum attingimus per ſpeciem imperfectam deficientem, & inadæquatam entis realis repræſentantem ens rationis, quod non eſt, admodum entis realis, & inadæquatè repræſentantem objecta; Deus autem per ſpeciem comprehenſivam adæquatam, & perfectiſſimam cognoſcit omnia, quæ ſunt, & ideò unum cognoſcit per aliud, ſed non admodum alterius. Ex his ergò, & aliis, quæ dicta relinquimus conſtat, Deum cognoſcere omnia, quæ ſunt, & eo modo, quo ſunt ex parte objecti, non tamen omnimodo, quo cognoſcibilia ſunt ex parte modi, quod erat neceſſarium, ut faceret entia rationis. Inſtantia eſt in creatura, quæ primario, cognoſcibilis eſt ab altera creatura, & tamen tali modo à Deo cognoſcibilis non eſt.

Sextò arguitur: Deus ſimul cum creatura producit entia rationis: ergò verè ea facit. Probatur antec. Deus ſimul cum creatura concurrit ad actionem intelligendi, qua finguntur entia rationis: ergò ſimul creaturam fingit, & facit. Probatur anteced. Quia ſi Deus non concurreret ad actionem intelligendi, qua finguntur entia rationis, ipſa creatura eſſet cauſa prima actionis prædictæ, non verò Deus, quod tamen aſſerendum non eſt.

Reſpondetur, negando antec. & ad probationem, diſtinguo antec. ad actionem ut vera actio eſt, concedo antec. ut fictio eſt, nego antec. & conſeq. Quia Deus ſolum concurrit ad actionem intelligendi ſecundum illud, quod habet de efficientia, & actualitate, non verò ſecundum illud, quod habet de defectu, aut quatenus fictio eſt, ſub qua formaliter ſolum à creatura procedit.

Sed inſtabis primò: creatura

tura nequit esse prima causa talis actionis, quatenus fictio est: ergò ad illam ut talem debet concurrere Deus. Probatur antec. Intellectus creatus non potest esse ultimus finis illius actionis, quatenus fictio est, alias quotiescumque homo faceret entia rationis, peccaret mortaliter, siquidem poneret ultimum finem in aliqua creatura: ergò nec creatura erit prima causa talis actionis, quatenus fictio est, quia prima causa, & ultimus finis sibi invicem correspondent.

Secundò instabis: quidquid non avertit à Deo, causatur ab illo; sed actio illa quatenus fictio est, non avertit à Deo: ergò quatenus fictio est causatur ab illo.

Tertiò instabis: Deus producere debet quidquid vult positivo decreto, nam decretum positivum efficienter concurrit ad volita, sed Deus decreto positivo vult actionem creaturæ, quatenus fictio est: ergò ad illam quatenus talem concurrit efficienter. Probatur min. Deus non vult actionem illam, quatenus fictio est, solo decreto permissivo, alias illam tantum permitteret, sed positivè non vellet; proindeque odio haberet actionem illam ut talem nam Deus solum vult decreto permissivo ea, quæ odio habet, consequenterque creatura peccaret, fingendo entia rationis: ergò Deus decreto positivo vult actionem creaturæ, quatenus fictio est.

Respondetur ad replicam negando duo illius anteced. quia fictio quatenus talis importat defectum actualitatis, & entis, & ideò à sola creatura tanquam à causa prima provenit efficienter, ad quam etiam tanquam ad ultimum finem physicum ordinatur fictio prædicta; ex quo non sequitur creaturam fingentem entia rationis peccare mortaliter, nam licèt habeat se ipsam, ut defectibilem pro ultimo fine physico, solum tamen Deum habet pro ultimo fine moralitatis, & legis, siquidem fictio illa considerata moraliter, & quatenus libera est, ordinatur ab operante in Deum ultimum finem, & lex jubet sic ordinari, quod satis est, ut peccaminosa non fit; quæ cum enim actio, sic ordinatur ad Deum recta, & bona est.

Ad secundam replicam, negatur maj. Quia error speculativus, aut materialiter habitus cum invincibili ignorantia non avertit à Deo, sed quandoque est meritorius; & tamen à Deo non provenit efficienter.

Ad tertiam replicam respondetur, distinguendo maj. positivo decreto applicante

ad

ad opus factum, concedo maj. tantum approbante, nego maj. & diſtinguo min. decreto approbante, concedo min. applicante, nego min. & conſeq. Nam Deus non applicat creaturam ad actionem illam; quatenus fictio eſt, ſed ſolum fictionem approbat, quia licèt non vellit facere fictionem, vult tamen fictionem fieri, eo quod in ipſa, ut à creatura facta nihil invenitur contra legem, & diſpoſitionem Divinam: ex quo conſtat, creaturam non peccare, nec Deum odio habere fictionem, nec eam in eo ſenſu permittere, quo permittit peccatum, eo quod ad peccatum non ſolum non applicat, ſed etiam reprobat ipſum, & prohibet creaturæ; fictionem verò prædictam poſitivè approbat Deus, & voluntate poſitiva vult eam fieri à creatura.

§. IV.

Solvitur argumentum in via D. Thom. difficile.

TANDEM arguitur: ſecundum Doctrinam Div. Thom. 1 *part. quæſt.* 15. *artic.* 2. *ad* 3. aſſerentis: *Quod reſpectus illi, quibus multiplicantur ideæ, non cauſantur à rebus, ſed ab intellectu Divino comparante eſſentiam ſuam ad res*; ſed reſpectus illi, quibus multiplicantur ideæ, ſunt formaliter entia rationis, quando quidem eſſentia Divina in ratione ideæ non eſt in ſe ipſa diviſa, & multiplicata: ergò Deus facit entia rationis. Quam doctrinam etiam alijs in locis traddit Angelic. Doct.

Reſpondetur tamen: intellectum Divinum ſolum fundamentaliter cauſare reſpectus illos, quibus multiplicantur ideæ, quatenus cognoſcendo eſſentiam ſuam, ut diverſimode imitabilem à creaturis per modum exemplaris perfectiſſimi, fundamentum præbet ut intellectus humanus concipiat eſſentiam Divinam, ſecundum quod ideam unius creaturæ, ut diſtinctam per rationem à ſe ipſa, quatenus idea alterius eſt, & modo diverſo imitatur ipſam altera creatura; & ſimiliter ita concipiendo eſſentiam, ut diverſimodè imitabilem, fundamentum præſtat, ut humanus intellectus formet reſpectus idæales comparando formaliter eſſentiam Divinam in ordine ad creaturas ſumptas in particulari, & quatenus unaquæque juxta ſuam naturam, & conditionem ipſam eſſentiam Divinam, ut ideam imitatur.

Sed inſtabis primò: Reſpectus illi, quibus multiplicantur ideæ cauſantur ab aliquo intellectu formaliter; ſed non cau-

cauſantur formaliter ab intellectu creato, ſiquidem Div. Thom. aſſerit: quod non cauſantur à rebus, ſed ab intellectu Divino comparante eſſentiam ſuam ad res: ergò formaliter cauſantur à Deo.

Secundò inſtabis: Verbum *cauſo* appellat ſupra formale, quia verbum appellativum eſt, ſed Div. Thom. affirmat, reſpectus illos cauſari ab intellectu Divino: ergò ſentit cauſari formaliter. Undè non dicitur Deum abſolutè cauſare peccatum, qui ipſum pro formali non cauſat.

Tertiò: reſpectus illi conſequuntur formaliter ad actionem, ut comparantem eſſentiam Divinam ad res; ſed intellectus divinus comparat eſſentiam ſuam ad res: ergò facit formaliter reſpectus illos.

Quartò: reſpectus illi fiunt formaliter per actionem illam, qua comparatur eſſentia, quæ in re comparata non eſt; ſed per actionem intellectus divini comparatur ad res eſſentia divina, quæ in re comparata non eſt: ergò per talem actionem formaliter fiunt.

5. Idæa formaliter eſt aliquid rationis; ſed idæa formaliter reperitur in Deo: ergò facit reſpectum idæalem formaliter. Probatur min. Idæa formaliter exiſtit in intellectu artificis; ſed divinus intellectus eſt artifex reſpectu creaturam ergò idæa formaliter reperitur in intellectu divino.

6. Reſpectus illi ſunt formaliter ab æterno; ſed intellectus creatus illos ab æterno non facit, quia ab æterno non eſt: ergò fiunt formaliter ab intellectu Divino. Major probatur. Quia Div. Thom. concedit ab æterno plures idæas, quæ quidem conſtituuntur, & diſtinguuntur per reſpectus idæales, & negat plures ſcientias; ſed ab æterno dantur plures ſcientiæ fundamentaliter: ergò reſpectus ideales, ne dum fundamentaliter; ſed etiam formaliter ſunt ab æterno, alias eadem ratione, qua negantur plures ſcientiæ, negarentur plures idææ.

7. Fundamentum reſpectuum idæalium non poteſt cauſari: ergò Deus non fundamentaliter, ſed formaliter cauſat reſpectus illos. Probatur antec. Tum quia fundamentum eſt ipſa eſſentia Divina, quæ incauſabilis eſt: Tum quia fundamentum diſtinctionis attributorum eſt ante cognitionem divinam, nam eſt ipſa eminentia divina, quæ Divinam cognitionem antecedit: ergò fundamentum reſpectuum idæalium non cauſatur per actionem intellectus divini, ſed antecedit illam.

8. Tandem inſtabis: quod qui ponit fundamentum relatio-

tionis rationis, cauſat ipſam relationem, ſicut qui ponit fundamentum relationis realis, ipſam relationem cauſat: ergò ſi Deus cauſat reſpectus prædictos fundamentaliter, etiam formaliter, & relativè cauſavit illos.

Reſpondetur ad primam replicam, negando min. Nam reſpectus illi cauſantur à Deo fundamentaliter per ſe primo, quatenus ſolus Deus per ſe primo cognoſcit eſſentiam ſuam, ut diverſimode imitabilem à creaturis, & ſecundum conſiderationem prædictam negat Div. Thom. reſpectus cauſari à rebus, quamvis formaliter cauſentur ab intellectu creato.

Ad ſecundam replicam reſpondetur: verbum *cauſo* ſtrictè acceptum, & in ſenſu formali appellare formale termini, in quem fertur, & propterea nunquam dicitur Deum cauſare peccatum, ne verbum accipiatur in rigore, & Deo applicetur deformitas; in præſenti tamen ſtrictè non ſummitur; ſed ſolum in lata, & fundamentali acceptione, ut à divino intellectu ſecludamus fictionem, quæ ad formationem cujuſcumque entis rationis neceſſaria eſt.

Ad 3. inſtantiam, diſtinguo maj. comparantem reſpectivè, concedo maj. connexivè, nego maj. diſtinguo min: connexivè, concedo min. relativè, nego min. & conſeq. Quia intellectus Divinus tantum cognoſcit eſſentiam ſuam, ut imitabilem à quacumque creatura, & connexam cum qualibet in particulari, quod eſt comparare connexivè; non tamen formaliter comparat illam cognoſcendo illam cum relatione, & ordine ad creaturas, quod erat neceſſarium, ut faceret reſpectus illos formaliter.

Ad 4. inſtantiam negatur min. Quia per actionem intellectus Divini ſolum comparatur eſſentia connexivè, qualiter in re comparata eſt, ſicut eſt cum creaturis connexa; reſpectus verò illi fiunt formaliter tantum per actionem illam, qua relativè comparatur ad res.

Ad 5. diſtinguo min. ut practica, concedo min. ut reſpectiva formaliter, nego min. & conſeq. Si namque idæa conſideretur, quatenus eſt exemplar creaturarum, & concurrit cum intellectu divino ad productionem illarum, quomodo practica eſt, reperitur quidem in intellectu divino, qui per modum artificis concurrit ad creaturas; ſi verò conſideretur idæa, ut reſpectiva eſt, vel quatenus reſpectum rationis formaliter importat, non reperitur in intellectu divino,

nec

nec prout ſic practica, & formaliter effectiva eſt, & ſi verum ſit, quatenus ſic acceptam ut cognitam, & objectivè eſſe in intellectu divino.

Ad 6. negatur maj. Nam reſpectus idæales ſolum fundamentaliter, & non formaliter ab æterno reperiuntur, ſicut etiam attributorum diſtinctio, quod ſatis eſt, ut verum ſit ab æterno dari plures idæas ſicut, & verum eſt dari plura Dei attributa, nam in entibus rationis ſufficit fundamentum ad abſolutam denominationem præſtandam; non tamen cum eadem proprietate verum eſt dari plures ſcientias ab æterno, quamvis ab æterno detur fundamentum pluralitatis, nam diſtinctio idæarum ſignificatur per nomen idææ, quæ non ſignificat eſſentiam ut abſolutè imitabilem, & ſecundum conceptum communem, ſed potius ut diverſimodè imitabilem, & modo particulari à quacumque creatura: diſtinctio etiam voluntatis, & intellectus juſtitiæ, & miſericordiæ per nomen ſignificatur; nam voluntas ſecundum nominis impoſitionem eſt ad bonum, & intellectus ad verum, & miſericordia ad ſublevandum, juſtitia autem ad præmiandum: vel puniendum; ſcientia vero ſe habet per modum principij *quo* reſpicientis omnia ſecundum rationem communem attingibilis per cauſam propriam, & ideò diſtinctio ſcientiæ non ſignificatur per nomen, conſequenterque non ſatis proprie poteſt ſcientiæ pluralitas ab æterno concedi.

Poteramus etiam dicere: Fundamentum ad diſtinguendas ſcientias eſſe eminentiam Divinam, & modum imperfectum cognoſcendi ſe tenentem ex parte creaturæ, quæ ab æterno non eſt, & ita ab æterno non debere concedi ſcientiarum pluritatem, quarum diſtinctionis non datur ab æterno adæquatum fundamentum; adæquatum vero fundamentum pluralitatis idæarum eſt eſſentia cognita, ut diverſimode imitabilis, quæ prout ſic ab æterno eſt, unde diſpar eſt ratio.

Ad 7. diſtinguo antecd. cauſari formaliter, concedo ant. virtualiter, nego antec. & quamvis eſſentia divina cognita, ut imitabilis non cauſetur à Deo formaliter; cauſatur tamen virtualiter, quia intellectus Divinus cauſat virtualiter cognitionem propriam, & conſequenter virtualiter cauſat eſſentiam in eſſe cognitæ.

Poterat etiam dici: eſſentiam in ratione fundamenti intranſitivè cauſari, quatenus fundamentum non eſt, niſi ut cognita, vel ut terminat actionem

nem intellectus divini, quamvis formaliter causata non sit, ad eum modum quo dicitur, accidens operari in virtute substantiæ intransitivè, quia virtutem causativam substantiæ alterius non habet, nisi ut conjunctum substantiæ operanti.

Ad alteram probationem involvitam in eadem instantia respondetur: essentiam Divinam non esse fundamentum respectuum idæalium, nisi cognitam, ut diversimode imitabilem, quia idæa est forma, ad quam respicit artifex ut operetur, & ita ante cognitionem artificis non est essentia divina fundamentum diversi respectus idæalis; attributa vero secundum suam eminentiam, & æqulvalentiam ad plura fundant distinctionem rationis, & hæc eminentia reperitur ante actionem intellectus Divini.

Ad 8. respondetur, negando antec. nec est simile de relatione reali, quæ per naturalem resultantiam dimanat à fundamento, & ideò ex vi ejusdem actionis ponentis fundamentum consequitur relatio realis, secus autem de relatione rationis, quæ naturali sequela, & absque aliqua actione nova ex fundamento resultare non potest, & propterea, qui ponit fundamentum relationis prædictæ, non debet ponere relationem, sicut ab oppósito, qui ponit fundamentum proximum malitiæ peccati debet causare peccatum, eo quod malitia naturali sequela, & absque nova actione expositione fundamenti resultat.

Hæc quidem solutio probabilis est; sed aliqui Thomistæ eam etiam satis probabiliter impugnant: quia non potest quis ponere fundamentum proximum relationis rationis, nisi cognoscendo rem aliter ac est; unde regulariter dicitur ens rationis resultare ad cognitionem rei aliter ac est, & constat ipsum resultare ad cognitionem rei aliter ac est, & constat ipsum resultare proximè, & immediatè ad positionem proximi fundamenti: ergò qui ponit fundamentum proximum relationis rationis, debet ponere relationem.

Secundo eam impugnant: quia quotiescumque forma fundata imperfectionem involvit, fundamentum proximum illius formaliter, ut tale involvit imperfectionem, ut constat in fundamento malitiæ; sed quotiescumque forma fundata, & illius fundamentum eandem, vel æqualem imperfectionem involvunt, æqualiter utrumque potest ab eadem causa fieri: ergò qui ponit fundamentum relationis rationis, po-

poteſt etiam ponere relationem.

Dices : Formam rationis non conſequi ad fundamentum ſequela naturali, qualiter ſequitur relatio realis, ſed poni per diverſam actionem.

Contra tamen eſt : quia etiam conceſſo non conſequi ex vi ejuſdem actionis, & abſque altera nova, hæc tamen actio exigitur neceſſario ex vi actionis apponentis fundamentum, & utraque eandem, vel ſimilem imperfectionem involvit : ergò utraque poterit ab eadem cauſa prooedere.

Tertiò impugnantur ſupradicta ſolutio : nam quidquid ſit de alijs entibus rationis, relatio tamen rationis fit per eam actionem, qua comparatur formaliter res aliqua ad terminum, ad quem in re comparata non eſt: ſed in doctrina communiori Thomiſtarum per eandem actionem comparativam ponitur fundamentum proximum relationis : ergò utrumque per eandem actionem fit, conſequenterque qui ponit fundamentum debet producere formam.

Dices : nos etiam ſupra ſentire, omnem primam intentionem eſſe realem, & conſequenter non poteſt eſſe attingentia rei aliter ac eſt in ſe; ſed aliqua ſaltim ſecunda intentio rationis proximè fundatur in prima : ergò non ſemper fundamentum proximum entis rationis ponitur, quando res attingitur aliter ac eſt in ſe.

Reſpondetur : diſtinguendo min. proximè mediatè, concedo min. immediatè, nego min. Nam licèt fundamentum proximum mediatè illud videlicèt, quod ad proximum accedit, poſsit eſſe reale, & prima intentio objectiva, fundamentum tamen proximum immediatè ſemper eſt rationis, & attingentia rei aliter ac eſt. Nec inde inferas, fundamentum etiam, cum ſit ens rationis, aliud exigere fundamentum proximum, quia ratio formalis proximè fundandi, ratio formalis eſt ad ſe ipſam, & ad alia, quæ ſequuntur, non enim fundamentum proximum malitiæ, quatenus tale, aliud fundamentum proximum ad ſe ipſum requirit. Juxta quam doctrinam.

Reſpondetur ad ultimam replicam : quod qui ponit fundamentum proximum, & immediatum ad relationem rationis debet ponere relationem; ſed Deus non ponit fundamentum proximum reſpectus idæalis, quod quidem conſiſtit in comparatione relativa ſuæ eſſentiæ ad creaturas, ſed ſolum ponit fundamentum

proximum mediatum, quatenus cognoscit essentiam ut diversimode imitabilem à creaturis, & essentia sic attacta mediat inter proximum fundamentum, & se ipsam absolutè sumptam, qua ratione pure remotè se habet.

Ex dictis colligitur: intellectum Angeli formare aliqua entia rationis, distinctionem videlicèt repertam inter divina attributa, quæ imperfectè etiam cognoscit, & non unico conceptu, quamvis formare non possit alia entia rationis involuentia imperfectionem propriam intellectus humani, qualia sunt ea, quæ in compositione, vel discursu reperiuntur.

Colligitur etiam ex dictis: aliqua entia rationis fieri per simplicem aprehensionem; v. gr. intentionem termini, generis, speciei, & similia, quas formar intellectus, eas apprehendendo ad modum relationis realis, nihil tamen affirmando, vel negando. Ex quo similiter habetur, quod ut fiat ens rationis semper requiritur actio quodammodo comparativa, qua saltim attingatur ens rationis ad modum entis realis; non tamen requiritur actus aliquis intellectus verus, vel falsus, nam veritas, ut falsitas solum reperitur in judicio intellectivo.

Pariter etiam infertur: per secundum operationem enuntiantem unum de alio posse fieri exercitè intentionem subjecti, & intentionem prædicati resultantes ex quo secunda operatio unum de alio, aut negat, aut affirmat. Et tursus in tertia operatione reperiri entia rationis propria discursus, nam ex quo prædicta operatio attingat causam in ordine ad effectum, vel duo prædicata ut connexa cum aliquo medio consequitur intentio antecedentis, & consequentis, & etiam sequitur altera intentio extremitatis, vel medij, quæ omnes sunt formaliter entia rationis, in quibus, quia facilia sunt, amplius immorari non licèt.

***

LIBER TERTIUS.

DE UNIVERSALI, ET IN EO Quæstio prima.

DE EXISTENTIA, ET NATURA universalis.

ARTICULUS I.

Verùm universalia dentur in rebus?

§. I.

Quibusdam prælibatis statuitur prima conclusio.

AD intelligentiam artic. & eorum, quæ sequuntur, primo præmittendum est: Universale secundum nominis ethimologiam dici illud, quod ad plura comparatur, aut respicit plura, quod tamen multipliciter contingere potest, videlicet per modum causæ quatenus plura causare potest, sicut omnes causæ universales, quæ propterea dicuntur universalia in causando: aut per modum repræsentantis; sicut conceptus Angeli, qui plura objecta repræsentat, vel conceptus noster repræsentans naturam communem à singularibus seggregatam, & terminus communis, qui naturam communem significat, quæ quidem dicuntur universalia in repræsentando: aliud etiam dicitur universale in essendo, quod videlicèt in pluribus reperitur, & de illis prædicatur, quod solum est instituti præsentis; nam univer-

sale in causando spectat ad Metaphisicum, & ad Physicum, qui etiam de causis universalibus agit, & universale in repræsentando, vel significando pertinet ad Dialecticum. Ad nos vero tantum pertinet de universali in essendo, & prædicando disputare.

Hoc igitur universale secundum doctrinam Phylos. 7. Metaph. lect. 12. diffinivit D. Th. esse illud, *quod pluribus inesse natum est*. Et 1. Periherm. lect. 10. asserit esse, *quod de pluribus natum est prædicari*: Ex quibus universale prædictum communiter diffinitur *esse unum in multis, & de multis*: Sicut natura humana, quæ in pluribus hominibus est, & de illis prædicatur. Per illam autem particulam *unum* explicatur fundamentum universalitatis, unitas videlicèt formalis, quam natura habet in suis individuis, aut genus in speciebus, exprimitur etiam subjectum, quia natura, quæ est una formaliter subinduit intentionem universalis. Per particulam vero *in multis* explicatur ordo ipsius naturæ universalis ad plura, in quo ordine universalis essentia consistit. Per illam tandem particulam *de multis* explicatur proprietas universalis.

Sed instabis contra diffinitionem prædictam: quia Deus est unus in multis, & de multis prædicatur, siquidem Pater est Deus, Filius est Deus, & idem de Spiritu Sancto; & tamen universalis non est, non enim pertinet ad aliquod ex quinque prædicabilibus: ergò diffinitio traddita convenit alijs à diffinito.

Respondetur; Universale debere esse unum in multis multiplicatum in illis, & propterea D. Thom. Opusc. 56. dixit: Universale esse unum, & multa, unum videlicèt in statu abstractionis, & multa in statu contractionis: Natura vero Divina in tribus personis non multiplicatur realiter, & ideo illi non convenit diffinitio. Sed de his *lib.* 7. Deo auxiliante, dicemus.

Dices secundo: Ens esse unum in multis, & de multis prædicari, ut per se manifestum est; & tamen non est universale, alias esset genus ad omnia, quæ in prædicamento continentur, cum sit prædicatum superius ad omnia illa, & consequenter omnia prædicamenta univocè convenirent, quod esse falsum constabit infra: ergò idem quod prius.

Respondetur: Universale debere esse unum unitate perfecta, & simpliciter tali, aut unitate univoca, quod tamen non habet ens, & propterea illi non convenit diffinitio; si tamen rationem quæras, cur ly unum in

in diffinitione positum de unitate perfecta fit intelligendum? Ea est ratio, quod diffinitiones rigorosè intelligendæ sunt, quando nullum sequitur inconveniens, quod tamen in præsenti non sequitur, & alliunde explicatio prædicta Ang. Præceptori conformatur.

Dices: Nullum universale est unum unitate perfecta: ergò ex prædicta explicatione sequitur nullum universale esse proprie universale. Probatur ant. primo. Quod est divisum, & multiplicatum, non est unum simpliciter, & unitate perfecta; sed omnia universalia sunt multiplicata in inferioribus suis: ergò nullum universale erit proprie universale.

Probatur secundo: omne prædicatum universale continet actu differentias inferiorum: ergò nullum universale est unum unitate perfecta. Probatur ant. Differentiæ inferiorum actu continentur in ente; sed quodcumque prædicatum universale actu continet ipsum ens: ergò actu continet differentias inferiorum.

Respondetur: negando ant. & ad primam probationem dicitur: universale, quatenus actu multiplicatum est in inferioribus suis, non esse unum simpliciter, & perfectè, sed solum secundum quid, & unitate formalis convenientiæ; esse tamen unum perfectè, quatenus abstractum ab inferioribus suis, sic enim solum explicat convenientiam absque ulla diversitate, cum prout sic omnes differentias excludat, à quibus provenit diversitas, & distinctio, & ita illi sic accepto verè convenit diffinitio.

Ad secundam probationem distinguo ant. remotè, & ratione alterius, concedo ant. proximè, & ratione sui, nego ant. & conseq. Nam ex quo prædicatum universale contineat actu ens, in quo includuntur actu omnes differentiæ inferiorum, tantum sequitur universale continere actu differentias inferiorum, non quidem proximè, & ratione sui, sed tantum remotè, & ratione alterius prædicati inclusi in universali; quod non tollit in propria linea esse univocum, & habere unitatem simpliciter, ex qua doctrina constat æquivoca, & analoga non esse universalia, quia carent unitate simpliciter, & similiter complexa, eo quod illis plures conceptus objectivi, & non unicus correspondent.

Tandem supponimus duo in universali importari: unum videlicèt de materiali, & alterum de formali. De materiali quidem importatur natura, quæ pluribus communis est; de formali vero significatur relatio rationis, qua natura constituitur

tur in ratione universalis. Et si fermo sit de relatione rationis, certissimum est, non existere à parte rei: quapropter difficultas non de relatione, sed de natura ipsa procedit; an videlicet detur à parte rei natura aliqua universalis, quæ sit pluribus communis.

In qua difficultate Heraclitus, & Cratillus asserebant, nullam dari à parte rei naturam universalem, sed omnia esse contingentia, & corruptibilia, proindeque nullam dari veram scientiam, eo quod de contingentibus nihil certo sciri posset. Quæ sententia attribuitur Epicuro, & discipulis illius.

Plato vero, ut horum dementiam fugeret, in aliam dilapsus est: nam dicebat dari naturas universales realiter à singularibus separatas, ex quarum participatione singularia formabantur, sicut ex impressione sigilli formantur in cera sigillationes diversæ, & signa materialiter distincta, ultra quam impressionem asserebat fieri alteram in mentibus nostris, per quam rerum scientiam haberemus, unam impressionem, dicebat, fuisse factam in anima nostra ante unionem cum corpore, & per immersionem in corpore, vel materia obscuratam esse, iterum tamen per applicationem, & studium elucere in intellectu, & in anima, ad eum modum quo imago pulvere tecta, excusso pulvere apparet.

Sed doctrinam istam vel potius delirium solum Divinum, quia non humanum, aut rationabiliter ad inventum, falsissimum esse constat, quia intellectus agens ponitur in rerum natura, ut naturam communem abstrahat à singularibus, & sic eam intelligibilem reddat; ergò talis natura ante operationem intellectus agentis non supponitur à singularibus seggregata.

Secundò: illa natura esset improducta, & producta; producta quidem, quia à parte rei, & non esset à se, sed ab alio; improducta vero, quia omne productum terminat singularem actionem, & consequenter est singulare, qualis non est illa natura: ergò natura prædicta implicatoria est.

Tertiò: quia illa natura esset subsistens, siquidem operaretur, & causaret singularia, & operari est subsistentis: ergò esset singularis, nam subsistentia rei singularis est.

Quartò: illa natura esset realiter una identificata cum pluribus; quod implicat in creatis: ergò implicat talis natura. Ant. probatur. Nam esset una, cum sit separata à singularibus, esset insuper identificata cum pluribus, siquidem prædi-

ca-

catur de illis, & nihil potest verè de altero prædicari, nisi sit idem cum illo: ergò ant. verum est.

Quintò: illa natura esset de essentia singularis, quia Petrus; v. gr. essentialitèr est homo, & non esset de essentia singularis, eo quod essentia separari non potest ab eo, cujus essentia est; ergò implicat essentialiter natura illa. Fundamentum autem Platonis eandem solutionem habet, quam quæ infra proponuntur.

Nominales autem affirmavant: solas voces esse universales, sed res per voces significatas esse tantum singulares, & ideo solum de vocibus, & non de rebus asserebant, scientias esse. Veritamen Doctores affirmant à parte rei dari naturas universales, quæ re vera pluribus communicantur, cum quibus.

§. II.

NOSTRA CONCLUSIO.

CONclusionem istam nemo dubitare potest esse mentem Arist. 1. Perihier. *cap.* 5. dividentis res in singulares, & universales, & in pluribus locis affirmantis, objectum intellectus esse naturam universalem, quod nihil magis tritum in doctrina D. Thom. & ideo ad rationem deveniamus.

Ratione ergò probatur conclusio nostra: Quia natura illa, in qua plura conveniunt, est natura universalis, nam prædicta natura pluribus communis est, omnibus videlicèt, quæ in tali natura conveniunt; sed à parte rei dantur plurimæ naturæ, in quibus plura singularia conveniunt: ergò à parte rei dantur universales naturæ. Probatur min. Omnes homines conveniunt à parte rei in natura humana, & omnia animalia in ratione animalis: ergò dantur à parte rei naturæ, in quibus plura singularia conveniunt. Probatur antecedens: Convenientia, & unitas est carentia distinctionis; sed homines non distinguuntur in ratione hominis, nec animalia in ratione animalis: ergò omnes homines conveniunt à parte rei in

in natura humana, & omnia animalia in ratione animalis.

Secundò probatur conclusio: à parte rei datur diffinitum per istam diffinitionem *animal rationale*; sed tale diffinis cum est commune omnibus hominibus, sicut etiam ipsa diffinitio: ergò à parte rei dantur naturæ communes, vel naturæ universales.

Explicatur: per diffinitionem prædictam *animal* videlicèt *rationale*; non explicatur natura particularis unius, vel alterius individui, alias diffinitio non omnibus conveniret: ergò explicatur aliquid omni individuo commune; sed id, quod explicatur à parte rei invenitur: ergò datur à parte rei natura universalis, vel omni individuo communis.

Tertiò probatur conclusio: à parte rei dantur objecta scientiarum; sed objectum scientiæ est natura universalis: ergò à parte rei dantur universalia. Probatur min. scientia non agit per se, nisi de necessarijs, & perpetuis, eo quod est habitus certus, & evidens per demonstrationem adquisitus, & consequdater veritas, & objectum, quod attingit, aliter se habere non potest; sed sola universalia necessaria sunt, & perpetua, singularia verò contingentia, & defectibilia sunt: ergò objectum scientiæ est natura universalis.

Respondebis: quod ex quo objectum scientiæ sit natura universalis, non infertur à parte rei dari naturam universalem; nam etiam objectum Logicæ est natura universalis, quæ tamen natura non datur à parte rei, eo quod objectum Logicæ solum habet esse objectivè in intellectu.

Sed contra est: quia quamvis non omne objectum scientiæ debeat esse à parte rei, sicut patet in objecto Logicæ; objectum tamen scientiæ, quæ per se primo disputat de ente reali, debet esse à parte rei, & de hac solum scientia, cujus objectum est reale. Arist. procedebat in præsenti, & ratio nostra procedit; sed objectum cujuscumque scientiæ est natura universalis, ut ratio nostra suadet: ergò à parte rei debet dari universalis natura.

Quartò probatur conclusio: dum homo prædicatur de Petro, & Paulo, prædicatur aliquid utrique commune. sed quod prædicatur, est natura aliqua à parte rei: ergò à parte rei datur natura communis. Min. patet. Quia dum homo dicitur de Petro, & Paulo, prædicatur de illis na-

tura realis; in qua conveniunt, & consequenter quod prædicatur est natura aliqua à parte rei. Maj. verò probatur. Dum homo dicitur de Petro, & Paulo, non prædicatur aliquid proprium Petri, vel Pauli; nam quod est proprium Petri, vel Pauli, non convenit utrique simul, consequenterque de utroque drædicari non potest: ergò prædicatur aliquid utrique commune.

Confirmatur: voces universales significant immediatè aliquam naturam ex parte objecti communem: ergò datur à parte rei talis natura communis. Probatur antec. Quia voces universales non significant immediatè singularia collectivè, siquidem significant id, quod potest de quolibet singulari prædicari, & singularia collectivè sumpta non possunt de quolibet prædicari: nec etiam voces prædictæ significant singularia divisivè, alias voces prædictæ non possent affici signo universali distributivo, sicut ly aliquis homo non potest distribui, quia significat immediatè singularia disiunctivè: ergò voces præfatæ significant immediatè aliquam naturam ex parte objecti communem.

Respondebis: dum homo dicitur de Petro, & Paulo prædicari hominem communem, sed non secundum se totum, sed secundum aliquam partem, quæ tamen ex modo concipiendi instar totius apparet, quatenùs confusè, & sine aliqua distinctione ab alijs partibus, per intellectum concipitur.

Sed contra est: Nam cum prædicatur homo de Petro, & Paulo Prædicatur totum significatum per vocem; sed totum significatum per vocem est totus homo communis, aut tota natura humana: ergò prædicatur homo secundum se totum de utroque individuo. Probatur maj. Totum illud prædicamus mediante illa voce, quod vox per se primo significat, sicut, & facimus in alijs propositionibus, & propterea istæ sunt falsæ: materia est homo, & forma est homo, quia totum significatum per vocem *homo* non convenit materiæ, vel formæ; ergò dum prædicamus hominem de Petro, & Paulo, prædicamus totum significatum per vocem.

Explicatur impugnatio prædicta: dum homo dicitur de Petro, & Paulo, non prædicatur de illis homo prout in re, sed solum prout objicitur intellectui; sed homo prout objicitur intellectui, est homo secundum se totum: er-

ergò secundum se totum prædicatur. Probatur min. In propositionibus prædictis non objicitur intellectui homo, quatenus dicit aliquam partem propriam Petri, nec aliquam propriam Pauli, ut à Petro distinguitur: ergò prædicatur homo secundum se totum de utroque individuo. Probatur antec. Si ita prædicaretur illa vox non esset terminus communis: ergò non ita prædicatur. Probatur antec. Non significaret plura divisim; nam significare plura divisim, non est significare plura immediatè, sed significare unum affirmabile de pluribus; sed si homo modo dicto prædicaretur, illa vox significaret immediatè plura, & non unum siquidem significaret partem aliquam propriam Petri, & partem propriam Pauli, ut à Petro distinguitur: ergò illa vox terminus communis non esset.

Explicatur ulteriùs impugnatio prædicta; homo per differentias individuales partitur inter Petrum, & Paulum; sed dum homo modo dicto prædicatur, nullam importat differentiam individualem, nec aliquid aliud, quo Petrus distinguitur, vel discernatur à Paulo: ergò non secundum aliquam partem, sed secundum se totum de utroque prædicatur.

§. III.

Argumentis contra conclusionem occurritur.

CONTRA conclusionem arguitur primò: Natura universalis non potest de singularibus prædicari: ergò non datur à parte rei natura aliqua universalis, quæ sit pluribus singularibus communis, alias posset de singularibus prædicari. Probatur anteced. primò. Universale comparatur ad singulare, sicut totum ad partem, sed totum nequit prædicari de parte: ergò natura universalis non potest de singularibus prædicari.

Secundò probatur anteced. Quia hæc propositio est falsa, singulare est universale: ergò non potest natura universalis de singularibus prædicari.

Tertiò probatur anteced. Si natura universalis posset prædicari de singularibus v. gr. de Petro, & Paulo; daretur natura utrique communis, & identificata cum utroque, alias de illis prædicari non posset, nam prædicatum, & subjectum debent identificari realitèr; sed hoc implicat alias etiam Petrus, & Paulus essent realitèr idem, nam quæ sunt ea-

eadem unitertio ſunt eadem inter ſe: ergò natura univerſalis non poteſt de ſingularibus prædicari.

4. probatur anteced. Natura, quæ de ſingularibus prædicatur, invenitur à parte rei; ſed quod à parte rei invenitur, debet eſſe ſingulare: ergò nulla natura univerſalis poteſt de ſingularibus prædicari. Probatur min. Quidquid eſt à parte rei in creatis, eſt productum, vel cauſatum à Deo; ſed omne productum, vel cauſatum à Deo debet eſſe ſingulare, eo quod actio productiva terminatur ad rem ponendam ſub exiſtentia, & exiſtentia eſt actus rei ſingularis: ergò quod à parte rei invenitur debet eſſe ſingulare.

Reſpondetur ad argumentum, negando anteced. & ad primam probationem, diſtinguo major. Sicut totum potentiale: concedo major. actuale, nego major. & diſtinguo minor. totum actuale, concedo minor. potentiale, nego minor. & conſeq. Quia totum actuale actu continet ſuas partes, & ideò ratione unius alteram excedit; proindeque nequit prædicari de quacumque parte, & propterea non ſunt veræ propoſitiones ſequentes: materia eſt homo, forma eſt homo: quia homo præter formam includit materiam, quæ de forma prædicari non poteſt, & ideò ipſe homo ratione materiæ, quam continet actu, non poteſt prædicari de forma; totum verò potentiale non continet actu partes; ſed ſolum eas continet in potentia; illud verò, quod in actu continet, eſt utrique parti commune, & ob hoc poteſt benè de utraque prædicari; ac proinde natura univerſalis, quæ ſolum eſt totum potentiale; poterit benè de ſingularibus prædicari.

Ad ſecundam probationem: diſtinguo conſequens. Natura univerſalis pro formali rationis, vel præciſionis, concedo conſeq. pro materiali, nego conſeq. Quia natura pro formali præciſionis, & univerſalitatis importat ſtatum abſtractionis, & intentionem rationis, quæ ſingularibus non conveniunt, pro materiali verò importat naturam ipſam, quæ in ſingularibus invenitur, & ideò natura univerſalis pro materiali, & ſecundum prædicata Phyſica, vel Metaphiſica naturæ de ſingularibus prædicatur, quod, & non aliud requiritur, ut à parte rei detur univerſalis natura.

Ad tertiam probationem diſtinguo major. identificata ob-

objectivè, concedo major. subjectivè, aut realitèr, nego major. minor. & conseq. Nam ex quo detur universalis natura, quæ de singularibus prædicetur solum infertur, naturam prædictam sumptam objectivè identificari cum illis, quod re vera ita contingit, nam dum homo dicitur de Petro, & Paulo concipitur homo, ut unus objectivè, eo quod absque aliqua distinctione, vel differentia distinguente objicitur intellectui. Undè Petrus, & Paulus concipiuntur, ut idem cum homine sic sumpto objectivè, ex quo tamen non sequitur illa individua esse idem realitèr inter se, quia ex identitate imperfecta cum medio in esse objecti non potest inferri identitas perfecta, qualis est realis identitas, sicut ex quo aliqua objecta sint unum, & idem in esse intelligibili formalitèr, non infertur physicè sumpta esse idem formalitèr inter se, nam plura objecta formalitèr inter se distincta possunt in ordine ad cognitionem formalitèr convenire.

Ad 4. respondetur: distinguendo minor. Singulare identicè, concedo min. formalitèr, & objectivè, nego min. Quia natura universalis à parte rei cum singularibus indentificata invenitur, quod satis est ut à parte rei producatur, & fiat: sumpta tamen formalitèr objectivè, & quatenus sine singularitate concipitur universalis, & communis est, & in illa prout sic omnia inferiora conveniunt, & propterea natura, quæ specificativè sumpta est universalis, reperitur à parte rei.

Sed instabis primò: quælibet natura à parte rei cum singularibus identificatur; sed natura cum singularibus identificata universalis non est, siquidem non est una in multis, sed potius divisa est, & multiplicata in illis; ergò nulla datur à parte rei universalis natura.

Secundò instabis: quidquid est à parte rei, existit realitèr: sed existentia solum actuat rem singularem: ergò quidquid est à parte rei debet esse singulare.

Tertiò instabis; Si aliqua daretur universalis natura maximè illa, quæ significatur per vocem universalem; sed vox universalis non significat universalem naturam à parte rei existentem: ergò nulla datur à parte rei universalis natura. Probatur min. primò. Vox universalis significat naturam universalem, quatenus significat illam

conceptam ut unam, ſed natura ut una non eſt quid reale exiſtens à parte rei, ſed potius aliquid fictum: ergò vox univerſalis non ſignificat univerſalem naturam à parte rei exiſtentem.

Secundò probatur minor. Vox univerſalis ſignificat naturam univerſalem, quatenus eam ſignificat ſine ſingularitate; ſed natura ſine ſingularitate non exiſtit à parte rei: ergò non ſignificat naturam univerſalem à parte rei exiſtentem.

Reſpondetur ad primam replicam, diſtinguendo minor. Univerſalis formalitèr, concedo min. fundamentalitèr, nego min. & conſeq. Licèt namque natura humana (& idem de quacumque alia natura) à parte rei ſit diviſa, & multiplicata realitèr, & conſequentèr non ſit formalitèr una unitate univerſalis, non tamen individua diſtinguuntur formalitèr in natura communi; ſed potius in illa habent convenientiam formalem, ratione cujus convenientiæ poteſt intellectus naturam prædictam à ſingularibus præſcindere, & ut unam: conſiderare, & quia ad hoc præbet fundamentum natur ipſa, quatenus in ea conveniunt formalitèr ſingularia: ideò à parte rei eſt fundamentalitèr univerſalis, & una, in quo ſolo ſenſu aſſerimus dari à parte rei naturam univerſalem.

Ad ſecundam inſtantiam reſponderi poterat primò: exiſtentiam per ſe primò, & immediatè actuare naturam ſingularem, mediatè verò, & ex conſequenti actuare naturam communem, nam homo ſecundum omnia, prædicata, quæ habet capax eſt exiſtendi à parte rei, & ſecundum omnia illa ponitur per exiſtentiam extra omnes ſuas cauſas.

Secundò reſpondetur: diſtinguendo minor. rem ſingularem adæquatè, concedo minor. Inadæquatè tantum: nego minor. Quia exiſtentia actuat rem ſingularem, non inadæquatè, & ſecundum differentiam ſolum individualem; ſed acceptam adæquatè ſecundum omnia prædicata, & ſingularia, & communia, quæ in ipſa reperiuntur, quamvis prædicata communia, niſi prius determinentur per differentiam individualem, non poſſint exiſtere.

Ad 3. replicam: negatur min. & ad primam probationem, diſtinguo maj. Unitate formalis convenientiæ, concedo maj. unitate identitatis, nego maj. & diſtinguo min. Ut una unitate identitatis, concedo min. formalis convenien-

tia,

tiæ, nego min. & conſeq. Quia voces univerſales ſignificant ex parte rei naturam communem, ut unam fundamentaliter, vel ut unam unitate convenientiæ formalis, ſecundum quam rationem invenitur à parte rei; quamvis ſub ea præciſione, qua per voces ſignificatur, & per intellectum concipitur, à parte rei non exiſtat.

Ad ſecundam probationem min. diſtinguo maj. Ly *ſine* pertinente ad præciſionem ex modo ſignificandi, & ex modo concipiendi, concedo maj. Pertinente ad rationem *quæ* univerſalem, nego major. & conceſſa minor, negatur conſeq. Nam quamvis voces ſignificent naturam univerſalem ſine ſingularitate negativè, vel cum præciſione ab illa, hæc tamen præciſio non pertinet ad naturam univerſalem, quæ quidem non petit ex proprijs excludere ſingularia; ſed ſolum excludit, quod diſtinguantur in ipſa: undè præciſio pertinet pure admodum ſignificandi; non tamen eſt prædicatum naturæ conceptæ, quin potius natura hæc ſecundum omnia prædicata exiſtit in individuis, licèt non ſervet in illis ſtatum præciſionis, qui ſtatus ſolum pertinet ad naturam, prout eſt in intellectu.

Dices: ergò natura, quæ dicitur univerſalis, non exiſtit à parte rei prout ſignificata per voces, & quatenus objicitur intellectui; ſed natura, quæ de ſingularibus prædicatur, debet à parte rei, & in ſingularibus inveniri: ergò natura ſupradicta non poteſt de ſingularibus prædicari.

Reſpondetur: quod natura reduplicativè ſumpta, quatenus ſignificata per voces, & objicitur intellectui, non datur à parte rei; ſed diſtinguo minor. Pro ſubſtracto, & ex parte rationis *quæ*, concedo minor. Pro formali præciſionis, nego min. & diſtinguo conſeq. Pro formali præciſionis, concedo conſeq. Pro ſubſtracto, nego conſeq. Quia præciſio, vel natura reduplicativè, ut præciſſa in ſingularibus non exiſtit, nec de *illis* prædicatur; ipſa tamen natura, quæ præſcinditur ſecundum omnia ſua prædicata in ſingularibus eſt, & de illis prædicatur, quod, & non aliud requiritur.

Secundò arguitur: De ſingularibus poteſt dari ſcientia: ergò ex quo dentur ſcientiæ, non infertur debere dari naturas univerſales. Probatur antecedens primò. Quia Deus eſt ſingularis, & tamen Theologia per ſe primò de Deo eſt:

ergò

ergò de ſingularibus poteſt dari ſcientia.

Secundò probatur antecedens. De ſingularibus poteſt dari diffinitio, ſiquidem plura ſingularia verè diffiniuntur, & individuum verè diffiniuntur in Logica: ergò de ſingularibus poteſt dari ſcientia, nam quæ habent diffinitur habent veram eſſentiam, & veras paſsiones, quæ de illis demonſtrantur.

Tertiò probatur anteced. De ſingularibus poſſunt formari propoſitiones neceſſariæ, & veritatis æternæ. V. gr. iſtæ propoſitiones: Petrus eſt riſibilis, & Paulus eſt diſcurſiuus: ergò de ſingularibus poteſt dari ſcientia, quia ſcientia benè poteſt eſſe de neceſſarijs, & æternis.

Reſpondetur ad argumentum: negando anteced, & ad primam probationem dicitur: Deum eſſe ſingularem, eſſe tamen immutabilem, & æternum, & ita poſſe dari ſcientiam de Deo; non tamen de alijs ſingularibus, quæ omnia mutabilia, & defectibilia ſunt.

Ad ſecundam probationem reſpondetur: quod ſicut natura per ſe primò non intendit ſingularia, ſed ſolum ex conſequenti; & ut conſerve-

tur univerſalis natura; ita etiam ſcientia per ſe primò non eſt de ſingularibus, ſed ſolum de natura communi, cujus naturam, & proprietates ſcire per ſe primò deſiderat intellectus; ex conſequenti verò ſingularia diffiniuntur à ſcientia, & paſsiones illorum ſecundario demonſtrantur, quamvis hoc regulariter non contingat in nobis, in quibus ſcientia imperfecta invenitur, & differentias individuales rerum non attingimus quidditativè, nec paſsiones ſpeciales hujus individui præ alio, eo quod nulla eſt tam propria nullius individui, cujus ſimilem non inveniamus in alio, & propterea non poſſumus unum ab alio indefectibiliter diſcernere.

Secundò reſpondetur: diſtinguendo anteced. de ſingularibus exercitè, & quatenus talia ſunt, nego anteced. de ſingularibus ſignatè, & quatenus dicunt rationem ſingularis omni ſingulari communem; concedo anteced. Quia licèt ſingularia ſignatè accepta, & quatenus important rationem ſingularis, vel individui omni individuo communem, poſsint diffiniri, & ſcientia de illis dari, & hoc modò individuum in Logica diffiniatur, & aliqua de illo enu-

mutentur, ut in his : Petrus est individuum, & Petrus constat hac anima, de singularibus tamen exercitè, nec datur scientia, nec diffinitio; sic enim dicuntur, & sunt formaliter singularia, & prout sic etiam defectibilia sunt.

Ad tertiam probationem respondetur : de singularibus posse formari propositiones necessarias, & æternas; non tamen ratione sui, sed ratione naturæ communis tantum, quia prædicata essentialia, & passiones propriè primò competunt naturæ, mediatè verò, & ratione naturæ competunt individuis; nam ideò Petrus est discursivus, & risibilis, quia homo discursivus, & risibilis est. Propterea que de singularibus non est scientia, sed solum de ratione communi, eo quod scientia solum est de subjecto primario, & immediato veritatis necessariæ, quæ sola natura est, & non de alio subjecto, ut à natura distincto, & ratione illius prædicati, quo distinguitur à natura, consequenterque de singulari quatenus tali non poterit esse scientia.

Dices : Singularia esse corruptibilia non impedit, quod de illis detur scientia: ergò de singularibus etiam exercitè sumptis, poterit scientia dari. Probatur anteced. Quia natura humana, & quæcumque natura materialis sublunaris est natura corruptibilis, & tamen de illa datur scientia : ergò singularia esse corruptibilia non impedit, quod de illis scientia detur.

Respondent aliqui: Naturam humanam, & alias naturas materiales non esse corruptibiles per se, sed solum per accidens, & ratione individuorum, quatenus cum individuis identificantur, & ideò corruptis individuis, corrumpuntur; at verò singularia per se sunt corruptibilia, & propterea de illis scientia non est.

Sed contra : quia de objecto corruptibili per accidens non potest dari scientia, alias scientia per accidens posset deficere ad defectum objecti: ergò si natura humana per accidens corruptibilis est, de illa non erit scientia.

Secundò impugnatur dicta est solutio: Unio animæ rationalis cum materia est prædicatum proprium humanæ naturæ; sed talis unio per se, & ab intrinseco corruptibilis est: ergò etiam humana natura erit per se corruptibilis. Probatur min. Quando forma non faciat capacitatem ma-

materiæ, eſt ab intrinſeco amiſſibilis, & ſeparabilis à materia; ſed anima rationalis non faciat capacitatem materiæ: ergò unio animæ rationalis cum materia ab intrinſeco, & per ſe corruptibilis, & defectibilis eſt, & ideò.

Reſpondetur aliter: negando anteced. & ad probationem, diſtinguo maj. Corruptibilis Phyſicè, & quantum ad exiſtentiam, concedo maj. eo quod componitur ex materia non faciata forma, & conſequenter ab intrinſeco appetente alteram formam, & introductionem illius, & ex inde expulſionem præcedentis. *Corruptibilis* Metaphiſicè, quantum ad connexionem videlicèt prædicatorum eſſentialium, & exigentiam proprietatum, nego maj. Nam connexio prædicta ſemper manet, & ab æterno fuit, ſicut ſemper erat verum hominem eſſe animal rationale, & exigere riſibilitatem. Singularia autem formaliter ut talia ſub omni ratione corruptibilia ſunt, ſi conſiderentu exercitè.

Ex prædictis ſolutionem facilem habet, quæ poterant in favorem Platonis opponi, quorum primum ſupra tactum eſt, & ſecundum immediatè antecedenter de natura materiali corruptibili. Et tertium poterat eſſe, quod objectum noſtri intellectus eſt natura univerſalis: ſed objectum noſtri intellectus debet eſſe ſeparatum à ſingularibus materialibus, quia quidquid identificatur cum prædictis ſingularibus, eſt materiale, & objectum intellectus materiale non eſt: ergò datur natura univerſalis à ſingularibus ſeparata.

Confirmatur: Intellectus cognoſcit naturam communem ſine ſingularitate: ergò verè datur natura communis à ſingularibus ſeggregata, alias intellectus eſſet falſus, dum naturam attingit ſine ſingularitate.

Confirmatur ſecundò: quia deſtructis ſingularibus, remanent univerſalia, alias deſtructis ſingularibus non manerent ſcientiæ, quod tamen eſt falſum, ſiquidem deficiente roſa, datur vera ſcientia de illa: ergò dantur univerſalia à ſingularibus ſeparata.

Reſpondetur ad argumentum: quod objectum noſtri intellectus non eſt materiale modo materiali attactum, ſed modo ſpirituali: eſt tamen materiale ex parte rei, quia potentia cognoſcitiva ſpiritualis tàm ſpiritualia, quàm materialia poteſt attingere.

Ad primam confirmationem diſtinguo anteced. præciſivè, aut negativè, quatenus naturam attingit ſingularitate non cognita, concedo antec. aſſertivè nego antec. Quia intellectus non affirmat naturam illam, quam præſcindit, eſſe præciſſam in re, & ſine ſingularitate à parte rei reperiri, in hoc enim eſſet falſus.

Ad ſecundam confirmationem diſtinguo antec. remanent phyſicè, & ſub exiſtentia, nego antec. metaphiſicè, & quantum ad connexionem prædicatorum eſſentialium, concedo antec. & negatur conſeq. Quia deſtructis ſingularibus non exiſtunt univerſalia phyſicè, & à parte rei extra omnes ſuas cauſas, connexio tamen prædicatorum eſſentialium, quæ eſt objectum ſcientiæ ſemper manet, aut in ſtatu poſsibilitatis rerum, aut objectivè in intellectu Divino verè ſemper affirmante prædicata eſſentialia eſſentialitèr eſſe connexa, & ſpeciales exigere proprietates.

Dices: ergò connexio prædicta non deſtruitur entitativè: ergò manet ſub exiſtentia, alias non ultra maneret entitativè, & conſequentèr maneret à ſingularibus ſeparata.

Reſpondetur: diſtinguendo primum conſequens. Entiativè quoad rectum, concedo conſeq. quoad rectum, & obliquum, nego conſeq. Quia licèt connexio prædicta non deſtruatur materialitèr entitativè: ſed ejus entitas manet in ſtatu poſsibilis, deſtruitur tamen quoad exercitium exiſtendi, eo quod jam non exiſtit, quod eſt exiſtentiam amittere, & entitatem conſervare.

Dices: ergò manet etiam entitas rei ſingularis, quia entitas naturæ communis, & ſingularis non eſt diſtincta realitèr: ergò ſingularia etiam manent eo modo, quo manent univerſalia.

Sed negatur ſecunda conſeq. Quia licèt differentia individualis, & ſpecifica ſint idem entitativè, & dum manet una altera perſeveret, non tamen verificatur manere ſingularia, ut talia formalitèr, eo quod proprium exercitium amittunt; nam proprium exercitum ſingularis eſt exiſtere, & operari, & quia ſine illo manet, abſolutè dicuntur non eſſe, quamvis entitas ſingularis entitativè in ſtatu poſsibilitatis perſeveret.

*** *** *** ***

AR-

ARTICULUS II.

Vtrùm à parte rei detur unitas, formalis minor unitate numericâ?

§. I.

Sensus difficultatis apperitur, & statuitur affirmativa conclusio.

MAniſeſtum eſt : unum eſſe indiviſum in ſe, & diviſum à quolibet alio, & ideò unum in concreto importare entitatem cum carentia diviſionis: cumque carentia cognoſcatur per formam, qua privat, inde eſt, quod qualis fuerit diviſio, erit etiam unitas eſt: ergò diviſio duplex : alia quidem numerica, & materialis, diſtinctio videlicet per principia materialia, qualis datur inter Petrum, & Paulum, & omnia individua materialitèr, & numericè diſtincta : alia eſt diviſio formalis, quæ conſiſtit in diſtinctione penes principia formalia, ut ea, quæ reperitur inter hominem, & equum, qui formaliter diſtinguuntur : & ſecundum eundem modum duplex etiam unitas reperitur : alia numerica, & materialis, quæ eſt carentia diſtinctionis penes principia materialia, ſicut Petrus eſt unus materialiter in ſe, & diſtinctus materialitèr à ſe ipſo : unitas verò formalis eſt carentia diſtinctionis penes principia formalia, ſicut unitas quam in ratione hominis habent Petrus, & Paulus, qui in prædicta ratione non diſtinguuntur formalitèr. Ex quo conſtat unitatem numericam eſſe maximam, quia nullam diviſionem admittit ; unitatem autem formalem eſſe minorem, eo quod admittit diviſionem materialem, & unitas eo minor eſt, quo magis admittit de forma oppoſita, ſcilicèt de diviſione, qua privat, & exinde ſimiliter fit unitatem ſpecificam eſſe majorem unitate generica, quatenus unitas ſpecifica excludit ſpecificam diſtinctionem, quam unitas generica non excludit.

Ad intelligentiam tamen præſentis difficultatis præ oculis habendum eſt : nos in præſenti non loqui de unitate formali formalitèr, aut ſimplicitèr ſumpta, pro unitate videlicèt quæ totaliter indiviſa in ſe, reperiatur in multis, & ſit pluribus communis ; de qua quidem unitate, an detur à parte rei in ſequentibus diſſeremus, ſed tantum nos loqui de unitate formali accepta fundamentalitèr pro conveniencia,

tia, & similitudine plurium individuorum in una, & eadem specifica natura, in qua non distinguuntur formaliter, in quo sensu est.

§. II.

Affirmativa conclusio.

PRobatur conclusio nostra ratione: inter Petrum, & Paulum reperitur à parte rei carentia distinctionis penes principia formalia: ergò datur inter utrumque à parte rei unitas formalis, quæ consistit in carentia distinctionis, in natura penes principia formalia. Probatur antec. Petrus, & Paulus à parte rei non distinguuntur formaliter in natura humana: ergò carent distinctione penes principia formalia, nam idem est formaliter, non distingui, & distinctione carere. Antecedens probatur. A parte rei Petrus, & Paulus conveniunt specificè in ratione hominis, alias inter se distinguerentur specie: ergò non distinguuntur formaliter in natura humana, quia idem est specificè in natura humana convenire, & non distingui formaliter in natura prædicta.

Confirmatur, & explicatur: quoties non datur inter aliqua specifica distinctio, aut formalis diversitas in naturâ, datur unitas formalis accepta fundamentaliter pro convenientia formali illorum in tali natura; sed inter Petrum, & Paulum non datur à parte rei specifica distinctio, aut formalis diversitas in natura humana: ergò datur à parte rei inter utrumque unitas formalis modo supradicto explicata.

Confirmatur secundò: Inter Petrum, & Paulum reperitur à parte rei relatio similitudinis in natura humana; sed talis relatio fundatur in unitate formali: ergò reperitur à parte rei unitas formalis inter utrumque. Probatur min. Talis relatio non fundatur in actione, vel passione, in ratione mensurabilis, & mensuræ, aut in ratione numeri: ergò in unitate fundatur, quia præter assignata non est dabile fundamentum aliud relationis; sed non fundatur in unitate numerica, quam non habent Petrus, & Paulus: ergò fundatur in unitate formali.

*** *** ***
*** ***
***.

§. II.

§. III.

Argumentis occurritur.

COntra concluſionem arguitur primò: quia omnis unitas, quæ datur à parte rei debet eſſe numerica: ergò non poteſt dari à parte rei unitas aliqua, quæ ſit unitas formalis. Probatur antec. Omnis unitas, quæ datur à parte rei, eſt unitas ſingularis; ſed omnis unitas ſingularis eſt unitas numerica: ergò omnis unitas, quæ datur à parte rei debet eſſe numerica.

Reſpondetur: negando anteced. & ad probationem diſtinguo maj. ſingularis identicè, concedo maj. formaliter, vel fundamentaliter, nego maj. & conceſſa min. ſub eadem diſtinctione negatur conſeq. Quia licèt omnis unitas, quæ datur à parte rei ſit numerica materialiter; & identicè, quatenus eſt identificata cum unitate numerica; non tamen omnis unitas, quæ datur à parte rei, eſt numerica fundamentaliter, & formaliter per rationem; nam unitas realis formalis provenit à forma ſecundum gradum communem, unitas verò numerica provenit ab eadem forma ſecundum gradum individualem, & propterea unitates dictæ à parte rei fundamentaliter diſtinguuntur, & formaliter diſtinguuntur per rationem.

Dices: ex prædicta ſolutione ſequitur tantum dari à parte rei unicam unitatem; ſed hæc debet eſſe numerica, quæ à nullo negatur à parte rei: ergò non poteſt à parte rei dari unitas formalis. Probatur maj. Ex prædicta ſolutione ſequitur tantum dari à parte rei unam, & eandem entitatem, ſed ad unam, & eandem entitatem tantum ſequitur una unitas, quia unitas eſt paſſio entis: ergò ex data ſolutione ſequitur, tantum dari à parte rei unicam unitatem.

Reſpondetur: negando maj. & ad probationem diſtinguo min. una materialiter, & identicè, & per excluſionem diſtinctionis actualis à parte rei, concedo min. Una per excluſionem diſtinctionis fundamentalis, & formalis per rationem, nego min. & conſeq. Nam unitas ſequitur ad entitatem, ut carentem diviſione, cumque eadem entitas poſsit carere diviſione penes principia materialia, in quo unitas numerica conſiſtit, & etiam poſsit carere diviſione penes principia formalia, in quo conſiſtit unitas formalis, ut conſtat in Petro, qui non diſtinguitur ma-

terialiter à ſe ipſo, nec formaliter à Paulo. Inde fit utramque unitatem poſſe ſequi eandem entitatem, quamvis hæc duplex unitas non ſit à parte rei actualiter, ſed ſundamentaliter tantum diſtincta.

Secundo arguitur: Si inter Petrum, & Paulum daretur à parte rei unitas formalis, per unitatem prædictam Petrus, & Paulus eſſent unum formaliter; ſed Petrus, & Paulus à parte rei non ſunt formaliter unum: ergò nulla datur à parte rei unitas, quæ poſsit eſſe formalis. Probatur min. eſſe formaliter unum, eſt habere aliquam formam, quæ ſit utriquè communis; ſed nulla forma à parte rei Petro, & Paulo communis eſt, ſed potius quæcumque forma à parte rei, etiam ipſa natura humana realiter multiplicatur in illis: ergò Petrus, & Paulus, à parte rei non ſunt formaliter unum.

Reſpondetur: diſtinguendo min. unitate identitatis, concedo min. unitate ſimilitudinis, aut convenientiæ formalis, nego minor. & conſeq. Quia licet Petrus, & Paulus à parte rei non ſint unum formaliter unitate indiviſibili, aut unitate identitatis; eo quod natura humana realiter entitativè multiplicatur in illis. Sunt tamen à parte rei Petrus, & Paulus unum formaliter unitate conformitatis, & convenientiæ formalis, quatenus conveniunt formaliter in una, & eadem natura humana, vel in ea non diſtinguuntur formaliter, & in carentia prædictæ diſtinctionis unitas formalis conſiſtit.

Dices: Si ſemel Petrus, & Paulus habent unitatem formalem, debent habere unitatem formalem omnimodam, & totaliter indiviſam: ergò erunt unum formaliter unitate identitatis. Probatur ant. Si ſemel habent unitatem prædictam, nullo modò diſtinguuntur formaliter: ergò debent habere omnimodam unitatem, & totaliter indiviſam quia unitas omnimoda, & totaliter indiviſa formalis conſiſtit in omnimoda carentia diſtinctionis formalis, quæ verè inter Petrum, & Paulum repetitur.

Reſpondetur ad replicam negando primum antec. & ad probationem negatur conſeq. Ad cujus probationem introductam reſpondemus: Unitatem formalem omnimodam, & totaliter indiviſam conſiſtere in carentia diſtinctionis, formalis Metaphiſicè, & præciſivè conſiderata, & quatenus per intellectum præciſſa; non verò conſiſtere in prædicta carentia Phyſicè, aut con-

cre-

cretivè ſumpta, & quatenus à parte rei reperitur identificata cum unitate numerica, vel carentia numerica diſtinctionis. Ratio autem eſt: quia carentia diſtinctionis formalis præciſivè ſumpta, & ſegregata ab unitate numerica ſummitur à principio formali, aut à natura prout à ſingularibus ſeparata ſecundum quam rationem natura eſt una formaliter unitate indiviſibili, vel unitate identitatis, & ideo carentia diſtinctionis formalis præciſivè accepta, & deſumpta à natura ſic præciſſa arguit unitatem formalem talem ſimpliciter, & totaliter indiviſam. Carentia verò diſtinctionis formalis concretivè ſumpta, vel phyſicè à parte rei deſummitur à natura cum ſingularibus identificata; & cum natura identificata cum ſingularibus non ſit ſimpliciter indiviſa, ſed potius multiplicata, inde fit, non eſſe ſimpliciter unam, nec carentiam diviſionis deſumptam à natura prout ſic, arguere unitatem formalem ſimpliciter talem, cum natura ſic conſiderata, & phyſicè ſumpta non omnem veram diviſionem excludat.

Dices: ergò ideo unitas formalis prædicta non eſt ſimpliciter talis, aut totaliter indiviſa, quia realiter coniungitur cum diviſione numerica, ſed numerica diviſio non poteſt tollere unitatem formalem eſſe talem ſimpliciter, & totaliter indiviſam: ergò prædicta unitas debet eſſe totaliter indiviſa. Probatur min. Unitas non tollitur niſi per diviſionem oppoſitam; ſed diviſio numerica non opponitur cum unitate formali: ergò non poteſt tollere unitatem formalem eſſe ſimpliciter talem, & totaliter indiviſam.

Reſpondetur: concedendo primam conſeq. & negando min. ſubſumptam: & ad probationem diſtinguo min. non opponitur directè, concedo min. in directè, nego min. & conſeq. Quia quando dividuntur, & multiplicantur individua, multiplicantur etiam ſpecifica prædicata: unde naſcente Petro, naſcitur novus homo diſtinctus ab omni alio; & ita diviſio numerica, quæ per ſe primo, & directè excludit unitatem numericam, ex conſequenti, & indirectè excludit unitatem formalem totaliter indiviſam, aut excludentem omnem veram diviſionem, quia unitas formalis conjuncta cum diviſione numerica non omnem veram diviſionem excludit.

Ex dictis infertur: utramque unitatem non eſſe realiter entitativè diſtinctam; eo quod utra-

utraque provenit ab una, & eadem forma realiter, quæ communicata secundum prædicatum specificum præstat unitatem formalem; communicata secundum gradum individualem præbet unitatem numericam tanquam effectum formalem; & cum effectus formalis formę non sit realiter à forma distinctus: inde est, utramque unitatem non esse realiter entitativè diversam.

Dices: Unitatem numericam provenire à materia; eo quod materia est principium individuationis, aut unitatis numericæ, & unitatem formalem provenire à forma, ut per se manifestum est; sed materia, & forma realiter distinguuntur: ergò etiam unitates prædictæ debent distingui realiter.

Respondetur: distinguendo maj. à materia tanquam à principio radicali, concedo maj. tanquam à principio proximo nego maj. & concessa minor. negatur conseq. Quia unitas numerica radicaliter tantum provenit à materia, quæ est principium radicale, & primum, unde oritur individuatio; proximè tamen unitas numerica non provenit à materia, sed à forma substantiali, à qua omnes gradus, & unitates proximè, & immediatè proveniunt. Quam autem distinctionem habeant à parte rei unitates prædictæ, ex dicendis duobus articulis sequentibus apertissimè constabit.

ARTICULUS III.

Vtrum detur distinctio realis formalis, aut ex natura rei inter gradus Metaphysicus.

§. I.

Sensus difficultatis apperitur, & statuitur negativa conclusio.

IAM pridem difficultas ista gravissima Logicorum ingenia torquet, & quo magis intellectus in ea examinanda insudavit, eo gravior, & acutior difficultas insurrexit: ad cujus intelligentiam præmittendum est, in quocumque individuo; v. gr. in Petro, plura prædicata reperiri, videlicet, rationem substantiæ, corporis, viventis, animalis, rationalis, & ultra hæc, differentiam individualem, per quam ultimo constituitur individuum, quæ omnia tanquam superiora, & inferiora ad invicem comparantur, & propterea quia dum ipsa intelligimus, quasi per gradus descendimus, aut ascendimus,

mus, ea omnia prædicata gradus Metaphiſicos appellamus, & in præſenti qualiter diſtinguantur, inquirimus.

Rurſus ſupponendum eſt: quod cum unitas, & diſtinctio ſequantur ad ens, ut ſæpe repetit D. Thom. & ens tantum poſsit eſſe duplex, vel reale, vel rationis, duplex tantum poterit eſſe diſtinctio, una videlicet realis, & altera diſtinctio rationis.

Tertio ſupponendum eſt: diſtinctionem rationis aliam eſſe rationis ratiocinantis, quando ſcilicet intellectus ad diſtinguendum extrema, non invenit fundamentum in rebus, ſed præciſſe ex modo concipiendi ſe habet prædicta diſtinctio; & alteram etiam inveniri diſtinctionem rationis ratiocinatæ, quando nimirum intellectus ad prædictam diſtinctionem invenit fundamentum in rebus, & propterea inter extrema diſtinctionem rationis format.

Quarto præmittendum eſt: etiam diſtinctionem realem, alteram eſſe rei à re, ſicut Petrus à Ioanne diſtinguitur, & forma à materia: & aliam eſſe rei à modo, ſicut homo diſtinguitur à ſeſsione propria, & hujuſmodi alijs, quæ propter ſuam tenuitatem, aut parvitatem non obtinent nomen rei, ſed modi dumtaxat dicuntur, & diſtinctio illorum à rebus modalis diſtinctio nominatur. Ultra quas diſtinctiones aliam ad invenit Scotus, quam vocat diſtinctionem formalem actualem ex natura rei, eam videlicet, quæ non datur inter unam, & alteram rem, aut inter rem, & modum illius, ſed præciſſe inter deus formalitates unius, & ejuſdem rei. V. gr. inter animalitatem, & rationalitatem, ſeu inter ipſam rationalitatem, & differentiam individualem, quarum unam, aſſerit non eſſe formaliter alteram, nec de formali alterius conſtitutivo, ſed potius formaliter diſtinctam ab alia ante omnem intellectus operationem.

Ex quo conſtat, Authores, cum quibus in præſenti contendimus, non ponere diſtinctionem realem entitativam, aut realem modalem inter gradus metaphiſicos, ſed potius talem diſtinctionem non dari, nobis cum modò ſupponere, & tanquam poſsibilem negare; quorum etiam commune intentum communis ratio ſuadet: quia omnia prædicata Metaphiſica identificantur realiter in una, & eadem forma: ergò etiam inter ſe nullam habent diſtinctionem realem entitativam, nam ea, quæ ſunt eadem realiter entitativè cum ter-

tertio, sunt etiam eadem realiter entitativè inter se. Antecedens probatur. Omnia enumerata proveniunt ab una, & eadem forma tanquam effectus formales: ergò omnia illa identificantur realiter cum eadem realiter forma. Pater conseq. Quia effectus formalis formæ nihil aliud est, saltim entitativè; quam ipsa forma subjecto communicata. Et antecedens probatur. Nam forma substantialis communicata secundum rationem corporis præstat corporeitatem, communicata verò secundum quod vitalis præstat rationem viventis, & communicata, quatenus rationalis est, eundem gradum communicat, & idem de omnibus alijs: ergò omnia enumerata proveniunt ab una, & eadem forma tanquam effectus formales.

Sed instabis primò: Quod rationale accidentaliter de animali prædicatur, accidit namque animali, quod rationale, vel irrationale sit: ergò realiter entitativè ab animali distinguitur; nam ideò probant Thomistæ, existentiam in creatis realiter entitativè ab essentia distingui, quia de illa accidentaliter prædicatur.

Instabis secundò: Gradus genericus, & differentialis necessario provenire debent à principijs realiter entitativè distinctis: ergò gradus prædicti debent esse realiter entitativè diversi. Probatur ant. Nam juxta commune Logicorum axioma genus summitur à materia, differentia verò summitur à forma; sed materia, & forma realiter entitativè distinguuntur;: ergò prædicti gradus necessario provenire debent à principijs realiter entitativè distinctis.

Ad utramque tamen instantiam facile respondetur: Ad primam quidem, quod rationale accidit animali secundum se, & accidentaliter de illo, quatenus sic prædicatur, non tamen de illo prout à parte rei, & singulariter sumpto, eo quod animal in singulari essentialiter est rationale, aut irrationale saltem identicè, cujus oppositum necessarium erat, ut realiter entitativè distingueretur ab illo. Existentia verò creata de essentia etiam in singulari accidentaliter prædicatur.

Ad secundam, omissis aliquorum solutionibus, quæ magis offendunt, quam defendunt, respondetur: quod gradus genericus non summitur à materia tanquam à principio proprio proximè, & immediate communicante talem gradum, sed potius hoc modo

tàm

tàm genus, quàm differentia proveniunt à forma ſpecifica præſtante ſubjecto ſpeciem adæquatam ipſius, & illius adæquatam diffinitionem; ſummitur tamen genus à materia tanquam à principio exemplari, & per ſimilitudinem, aut quandam proportionem, eo quod ſicut materia ſe habet in potentia ad formam, & per illam determinatur, ita genus in potentia ſe habet ad differentiam, & determinatur per illam. Quibus prælibatis.

In puncto difficultatis Scotiſtæ cum ſuo Doctore unaniminter affirmant: prædicata Metaphiſica non eſſe realiter entitativè, vel modaliter diſtincta, eſſe tamen realiter formaliter diverſa, aut ex natura rei, quatenus animalitas diffinitur eſſe principium ſentiendi, & rationalitas dicitur eſſe principium diſcurrendi, & ita diverſis diffinitionibus diffiniuntur, & explicantur: ex quibus manifeſtè infertur, animal non eſſe de conceptu, & diffinitione rationalis, nec ipſum rationale de diffinitione, & de conceptu animalis, ſed potius eſſe prædicata ex natura rei diſtincta, & quorum unum in proprio conceptu, etiam prout in re, alterum non includit.

Thomiſtæ vero cum Angel. Præcept. per oppoſitum affirmant, talia prædicata actualiter quidem diſtingui ſolum per operationem intellectus, & à parte rei nullam diſtinctionem habere præter eam, quæ virtualis, vel fundamentalis dicitur, quatenus una, & eadem res propter æquivalentiam, quam habet ad plura, præbet intellectui fundamentum, ut in ea plura prædicata actualiter diſtinguat, ſicut in Deo diſtinguit plura Divina attributa: quæ ſententia etiam extra Scholam D. Thom. communiſſima eſt. Sit ergò.

§. II.

Noſtra Concluſio.

SEntentiam oppoſitam falſo niti fundamento ex contradictione deſumpto ad diſtinctionem formalem, aut ex natura rei efficaciter perſuadendam, docuit Angel. Doct. *quæſt. 7. de Potent. art. 1. ad 5.* per ea verba: *De illo, quod idem ſecundum rem, ſed ratione differens, nihil prohibet prædicari contradictoria, ut dicit Ariſt. 3. Phyſicor. ſicut patet, quod idem punctum re, differens ſolum ratione eſt principium, & finis.* Ex quibus conſtat, diſtinctionem ſolum per rationem actualem & fundamentalem à parte rei ſufficientem eſſe, ut verificen

tur contradictoria, nec adhoc eſſe neceſſariam diſtinctionem realem formalem, aut ex natura rei.

Noſtram verò anteponendam eſſe tanquam propriam mentem D. Thom. conſtat ex ipſo 1. *part. quæſt.* 50. *art.* 3. *ad* 1. per alia verba, ea videlicèt: *Genus, & differentia in Angelo non accipitur ſecundum aliud, & aliud, ſed ſecundum unum, & idem, quæ tantum differunt ſecundum conſiderationem noſtram.* Quod etiam 7. Metaphiſ. ſæpe per totum librum, & de ente, & eſſent. cap. 7. & 1. p. quæſt. 76. & alibi repetit D. Thom.

Ratione verò concluſionem noſtram probant aliqui. Quia non eſt dabilis diſtinctio ex natura rei, quæ media ſit inter diſtinctionem realem, & diſtinctionem rationis: ergò gradus Metaphiſici non poſſunt talem diſtinctionem habere. Probatur antec. inter oppoſita contradictorie non eſt aſſignabile medium; ſed diſtinctio realis, & diſtinctio rationis contradictorie opponuntur, quia prima non eſt per intellectum, ſed à parte rei, ſecunda verò non eſt à parte rei, ſed per intellectum: ergò non eſt dabilis diſtinctio ex natura rei, quæ media ſit inter diſtinctionem realem, & diſtinctionem rationis.

Confirmant aſſumptum: quia diſtinctio non poteſt extendi pluſquam ipſum ens, eo quod diſtinctio eſt paſſio entis ad ipſum conſequuta, & cum illo proportionata, ſed ens adæquate dividitur in ens reale, & rationis, ut fatentur adverſarij: ergò etiam diſtinctio dividitur adæquatè in realem, & rationis, & diſtinctio media admittenda non erit.

Reſpondebis: non eſſe dabile medium inter diſtinctionem realem, & rationis, dari tamen medium inter diſtinctionem medium inter diſtinctionem realem entitativam, & diſtinctionem rationis, ipſam videlicèt diſtinctionem ex natura rei, de qua præſens difficultas, quæ potius debet appellari realis cum addito ideſt realis formalis, quam realis abſolute; eo quod verſatur inter formalitates ejuſdem rei, & non inter rem, & rem, vel rem, & illius modum.

Sed contra: Quæcumque diſtinctio actualis à parte rei debet eſſe realis entitativa: ergò alia admittenda non eſt. Probatur antecedens primo. Quia diſtinctio ſequitur ad entitatem; ſed implicat entitas, aut realitas à parte rei, quæ non ſit entitas realis: ergò quæcumque etiam diſtinctio actualis à parte rei debet eſſe realis entitativa.

Sed

Secundò probatur ant. Ideo distinctio inter duas formalitates existentes à parte rei debet esse realis, quia quæcumque formalitas est realis; sed quæcumque formalitas à parte rei non solum est realitas, sed etiam entitas: ergò quæcumque distinctio debet esse realis entitativa.

Existimo tamen, rationem prædictam, quamvis veram, non posse Scotum urgere, & discipulos illius, qui solum negant suam distinctionem esse realem, secundum quod communiter accipitur pro distinctione rei à re, vel à modo rei, non tamen esse realem contra positivè ad illud, quod solum habet esse per rationem, eo fere modo, quo Thomistæ negant distinctionem modalem esse realem contra positivè ad distinctionem, quæ versatur inter duas entitates; & si Scotistæ dicant ad formalitatem realem, secundum quod formalitas realis est, consequi distinctionem realem formalem, sicut ad entitatem realem sequitur distinctio realis entitativa, non facile poterunt præmi supradicta ratione. Quapropter ea in sua probabilitate relicta.

Secundo ratione probant alij conclusionem nostram. Quia formalitates realiter identificatæ sunt formalitates formaliter in re identificatæ; sed implicat duplex formalitas in re formaliter identificata, & ex natura rei, vel in re formaliter distincta: ergò implicat duplex formalitas realiter identificata, & formaliter in re distincta consequenterque implicat distinctio media ex natura rei, aut realis formalis inter duas formalitates à parte rei existentes, Maj. probant. Quia formalitates esse in re formaliter identificatas, nihil aliud est, quam rationem formalem unius esse rationem formalem alterius; sed implicat, formalitates, realiter identificari, & rationem formalem unius non esse rationem formalem alterius, quando quidem formalitates identificari est, unam in re esse aliam: ergò formalitates realiter identificatæ, sunt etiam in re identificatæ formaliter.

Verum ad rationem istam, etiam facile adversarii respondent: Formalitates realiter identificatas esse etiam formalitates formaliter in re identificatas, identitate materiali, sed non identitate formali; est enim identitas formalitatum, formaliter identitas, sed non identitas formalis, sicut distinctio inter Petrum, & Paulum est

est formaliter distinctio, sed non distinctio formalis.

Tertiò probant alij, conclusionem prædictam: quia formalitas realiter identificata cum altera essentialiter est identificata cum illa; sed formalitas essentialiter identificata cum altera, est formaliter identificata cum illa: nam quod essentialiter identificatur cum altero essentialiter est illud: ergò formaliter realiter identificata cum altera non potest esse ex natura rei, aut formaliter ab alia distincta.

Sed ad hanc etiam rationem respondebunt: facile distinguendo maj. & concedendo de identitate materiali; negando verò majorem de formali identitate materiali; negando vero majorem de formali identitate: sicut Petrus essentialiter distinguitur à Paulo, eo quod Petro essentialiter repugnat cum Paulo identificari, & tamen non petit essentialiter distingui distinctione essentiali, vel formali, sed potius in essentia, vel specifica forma conveniunt. Quapropter his, & hujusmodi alijs rationibus præter missis.

Efficaci, & speciali ratione conclusionem suademus: quia si animalitas, & rationalitas essent duæ formalitates ex natura rei, & formaliter distinctæ. entitas etiam utriusque esset ex natura rei, & formaliter distincta (& idem de quòcumque prædicato Metaphisico dicendum) sed entitas animalitatis, & rationalitatis formaliter, & ex natura rei distincta non est: ergò animalitas, & rationalitas non sunt duæ formalitates ex natura rei, & formaliter distinctæ ante opus intellectus. Min. per se manifesta est, & illam concedit Scotus, totaque illius Schola, quæ non ponit distinctionem ex natura rei inter ipsas entitates; sed solum inter formalitates unius rei, & ejusdem entitatis. Maj. vero, in qua difficultas est, urgentissime probatur. Si essent, duæ formalitates ex natura rei, & formaliter distinctæ entitas animalitatis esset ex natura rei, & formaliter diversa ab entitate rationalis: ergò entitas utriusque esset ex natura rei, & formaliter distincta. Probatur antec. Entitas animalitatis esset ex natura rei, & formaliter distincta ab ipsa rationalitate: ergò etiam ab illius entitate esset ex natura rei, & formaliter distincta. Patet conseq. Quia rationalitas non est distincta formaliter à propria entitate, sed potius ex natura rei est sua entitas, consequenterque si entitas animalitatis esset ex natura rei distincta à rationalitate, esset etiam

ex

ex natura rei distincta ab entitate illius. Antec. autem probatur. Animalitas ipsa esset ex natura rei, & formaliter à rationalitate distincta: ergò etiam entitas animalitatis esset ex natura rei à rationalitate diversa. Probatur conseq. Quia entitas animalitatis non est distincta ex natura rei ab ipsa animalitate, sed potius eadem cum illa formaliter, nam animalitas ex natura rei est sua entitas, eo quod ex natura rei non est entitas alterius, & consequenter si non esset sua entitas, ex natura rei non esset entitas, aut ens: ergò si animalitas esset ex natura rei à rationalitate distincta etiam entitas animalitatis, quæ eadem est formaliter, & ex natura rei, cum ipsa animalitate, esset formaliter, & ex natura rei à rationalitate diversa. Quapropter, vel debent adversarij concedere, entitatem animalitatis esse distinctam formaliter, & ex natura rei ab ipsa animalitate, quod concedere non audebunt, esse distinctam formaliter ab ipsa rationalitate, sicut, & animalitas ipsa distincta est, nam quando duo sunt unum, & idem formaliter ex natura rei, eodem modo formaliter, & ex natura rei distinguitur utrumque ab eo extremo, à quo unum eorum distinguitur. Ex quo habes entitatem animalitatis ex natura rei esse distinctam ab ipsa rationalitate, & consequenter non esse entitatem rationalitatis, sed potius ex natura rei ab entitate rationalitatis formaliter esse distinctam.

Secundò probatur conclusio nostra ratione: humanitas Petri non est ex natura rei, & formaliter distincta ab ipsa petreitate, quæ se habet ut differentia individualis illius: ergò nec animalitas erit ex natura rei, & formaliter à rationalitate diversa, cum de omnibus gradibus metrphisicis, eadem ratio sit. Ant. prob. Si humanitas Petri esset ex natura rei à petreitate distincta, non esset ex natura rei, & ante operationem intellectus distincta, nec in distincta ab humanitate Pauli; sed hoc implicationem involuit: ergò ant. verum est. Probatur maj. quantum ad primam partem. Nam humanitas distincta ab humanitate Pauli est humanitas singularis, siquidem est hæc, & non illa; sed humanitas Petri distincta ex natura rei ab ipsa petreitate non est humanitas singularis, siquidem per ipsam petreitatem singularis constituitur: ergò si humanitas Petri esset ex natura rei à petreitate distincta, non esset ante opus intellectus distincta ab humanitate Pauli.

Rursus maj: quantum ad secundam partem probatur ex eo quod eadem humanitas Petri nequit esse in re humanitas ipsa Pauli, alias una natura esset in re in pluribus suppositis realiter entitative distinctis, quod implicat in creatis: ergò si humanitas Petri esset ex natura rei à petreitate distincta, non esset indistincta ab humanitate Pauli.

Tertio probari poterat ratione communi diversis terminis constituta: quia formalitas animalis est formalitas rationalis: ergò non sunt distinctæ ex natura rei & formaliter, nam una, & eadem formalitas non potest esse à se ipsa distincta ex natura rei, & formaliter. Prob. ant. ea sunt una, & eadem formalitas, quorum esse est unum, & idem; sed esse animalitatis, & rationalitatis est unum, & idem: ergò formalitas animali est formalitas rationalis. Probatur min. Illorum esse est unum, & idem, quorum entitas est una, & eadem; sed entitas animalis, & rationalis est una, & eadem: ergò esse utriusque est unum, & idem.

Respondebis: negando ant. & ad probationem distinguendo maj. & concedendo illam de esse formali; negando verò de esse materiali, & entitativo, nam ut aliqua sint eadem formalitas, non sufficit, quod esse entitativum sit unum, & idem; sed necessarium est, quod sit idem esse formale utriusque, quod non habet rationalitas, & animalitas.

Sed contra: quia unitas formalis animalis est formaliter unitas rationalis: ergò esse formale utriusque est unum, & idem, nam unitas formalis requitur ad esse formale, proindeque si unitas formalis est eadem, erit etiam idem esse formale: Antecedens verò probatur. Unica existentia debet actuare unicum esse formale in doctrina Scholi, in qua existentia identificatur cum essentia, aut cum esse formali; sed existentia animalitatis, & rationalitatis est unica: ergò unitas formalis animalis est formaliter unitas rationalis, vel utriusque esse formale est unum, & idem.

Tandem probatur conclusio communissima ratione: eo namque distinctio ex natura rei esset inter gradus metaphisicos necessario concedenda, quia gradus prædicti diversis diffinitionibus diffiniuntur; sed plura diversis diffinitionibus diffiniuntur, quæ tamen distincta non sunt formaliter ex natura rei: ergò ob prædictam ratio-

tionem non erit distinctio ex natura rei necessario concedenda. Prob. min. Nam personalitas Divina, & Divina relatio diversis diffinitionibus diffiniuntur; persona quippè diffinitur ad se; relatio verò diffinitur ad aliud, & propterea Pater non dicitur persona Filij, quamvis dicatur Pater illius; ut sæpe repetit Aug. Similiter etiam intellectus, ut intellectus; & ut ratio diversas habet diffinitiones per ordinem ad actus diversos, & connotata distincta, & idem de voluntate ut natura, & ut libera est, & in utraque potentia capacitas receptiva diversorum actum, naturalis videlicèt, & liberi, discursus, & luminis principiorum habitus scientifici, & erronei, habitus obscuri, & clari, diversis diffinitionibus diffiniuntur, & in eadem parte quantitatis, & substantiæ diversis diffinitionibus diffinitur capacitas ad recipiendum frigus, & calorem recipiendum, & in eadem differentia virtutis respectus ad subjectum, & ordo ad actum; & tamen in his omnibus non conceditur ab Schoti discipulis distinctio ex natura rei, aut realis formalis: ergò plura diversis diffinitionibus diffiniuntur, quę tamen distinctionem non habent ex natura rei, aut realem formalem.

§. III.

Argumentis contrariorum occurritur.

CONTRA conclusionem istam poterat in primis argui: Gradum animalitatis posse perseverare rationalitate destructa, ut patet, si Deus anihilaret homines (sicut potest) & alias species animalis relinqueret, in quo eventu rationalitate destructa, animalitas perseveraret: ergò gradus isti formaliter, & ex natura rei distinguuntur.

Argumentum in nano. quod non probat distinctionem ex natura rei, sed potius realem entitativam, nam quæ realiter separantur, realiter entitative distinguuntur, ut nobis cum defendit Schotus. Ad ipsum tamen facile dicitur, quod rationalitate destructa maneret quidem animalitas aliorum, sed non animalitas identificata cum rationali, quæ destruitur necessario rationalitate destructa, & de hac tantum affirmamus in præsenti non esse actualiter distinctam ante opus intellectus à rationalitate, quæ in homine reperitur.

Secundò arguitur: Rationalitas non est de essentia animalitatis, quæ reperitur in

homine : ergò formaliter, & ex natura rei ab animalitate distinguitur. Probatur antecedens primò. Animalitas hominis essentialiter indistincta est ab animalitate equi ; sed rationalitas non est de essentia animalitatis equi , alias deberet equo convenire: ergò nec est de essentia animalitatis, quæ in homine reperitur.

Secundò probatur antec. differentiæ non sunt de essentia generis ; sed rationalitas est differentia , & animal, quod reperitur in homine est genus: ergò rationalis non est genus: ergò rationalitas non est de essentia animalitatis, quæ in homine reperitur.

Tertio probatur antecedens. Quia differentiæ sunt de essentia entis , ens non est univocum ; sed animal est prædicatum univocum : ergò rationalitas non potest esse de essentia animalis , quod in homine reperitur.

Quarto probatur antecedens. Animal, quod reperitur in homine non est de essentia rationalitatis: ergò nec rationalitas erit de essentia animalitatis, quæ in homine reperitur. Probatur antecedens. Quia ens est de essentia inferiorum , non potest ab illis perfectè præscindere ; sed animal, quod repe-ritur in homine perfectè præscindit à differentia rationalis: ergò non est de essentia rationalitatis , quæ in homine reperitur.

Respondetur ad argumentum , distinguendo ant. de essentia Metaphisica , concedo ant. de essentia Physica , nego ant. & conseq. Ad probationem distinguo maj. essentialiter Metaphisicè , concedo maj. Physicè , nego maj. & concessa min. negatur conseq. Quia animalitas , quæ reperitur in homine non est distincta essentialiter Metaphisicè ab animalitate, quæ reperitur in equo , & ideo rationalitas non potest esse de essentia Metaphisica animalitatis, quæ in homine datur ; tamen de essentia Physica illius , quando quidem entitas utriusque essentialiter indivisibilis, & inseparabilis est.

Ad secundam probationem dicimus : differentias non esse de essentia Metaphisica generis, & ipsius secundum se , esse tamen de essentia Physica , & illius Physicè sumpti , cum quo prout sic sunt una, & indivisibilis entitas.

Ad tertiam probationem respondetur , distinguendo maj. de essentia Metaphysica, concedo maj. Physica , nego causalem majoris. Nam ratio quare ens nequit esse prædicatum univocum, ea est, quod dif-

differentiæ ſunt de eſſentia Metaphiſica entis, aut ipſius, quatenus etiam à nobis concipitur, ſed non ſic differentiæ ſunt de eſſentia Metaphiſica animalis, unde dicitur differentias eſſe extra conceptum generis, quod quidem eſt non eſſe de eſſentia illius prout objicitur conceptui intellectus, vel quatenus à nobis concipitur.

Ad quartam probationem reſpondemus eodem modo: animal, quod reperitur in homine non eſſe de eſſentia Metaphiſica rationalis, eſſe tamen de eſſentia Phyſica illius, & ſimilimodo rationalis eſt de eſſentia animalis. Ex quo potius infertur, animal præſcindere à differentijs, de quarum eſſentia Metaphiſica non eſt, nam ratio, quare ens non poteſt perfectè à differentis præſcindere, eſt quia ipſum ens eſt de eſſentia Metaphiſica cujuſcumque differentiæ, etiam inadæquatè conceptæ, quando quidem quæcumque differentia debet concipi, ut eſt aliquid, & conſequenter ut ens.

Sed inſtabis: Rationalitas non eſt de eſſentia Metaphiſica animalis, juxta datam ſolutionem, & conſequenter erit extra eſſentiam Metaphiſicam illius; ſed eſſentia Metaphiſica animalis realis eſt, & à parte rei exiſtit, & idem de eſſentia Metaphiſica rationalitatis dicendum: ergò aliqua realitas animalis non erit à parte rei realitas aliqua rationalis ſed potius erit realitas à rationali diſtincta.

Reſpondetur: diſtinguendo min. Realis entitativè, concedo min. formaliter, nego min. Quia quamvis eſſentia Metaphiſica animalis ſit aliqua natura realis entitativè, & realiter identificata cum eſſentia Metaphiſica rationalis exiſtat à parte rei; formaliter tamen, & quatenus eſt eſſentia Metaphiſica animalis, importat ipſum ſolum, ut eſt principium ſentiendi, & quatenus inadæquatè objicitur intellectui ſecundum munus proprium, & ut à rationali diſtinctum, quæ quidem non datur à parte rei.

Tertio arguitur: Animal à parte rei non eſt actu formaliter rationale: ergò animal, & rationale ex natura rei, & ante opus intellectus actualiter diſtinguuntur. Probatur anteced. primo. Animal à parte rei non eſt actu formaliter id, quod negat; ſed negat rationale: ergò non eſt actu formaliter rationale. Probatur min. Id, quod convenit negat illud, quod non convenit; ſed animal in homine eſt illud, quod convenit cum equo: ergò negat ra-

tionale, quod eſt illud, quod cum equo non convenit.

Secundò probatur antec. Animal à parte rei eſt contrahibile per differentiam rationalis; ſed contrahibile non eſt actu formaliter differentia contractiva: ergò animal à parte rei non eſt actu formaliter rationale.

Tertio probatur antec. Extrema realiter identificata poſſunt habere diſtinctionem actualem ante opus intellectus; ſed hoc ipſo animal à parte rei non erit actu formaliter rationale, ſed ab illo actu diſtinctum: ergò. Probatur maj. Extrema realiter entitativè diſtincta poſſunt eſſe actualiter unum ante opus intellectus, ſicut patet in Petro, & Paulo, qui ſunt unum in natura humana, in qua poſiti è conveniunt ante conſiderationem intellectus: ergò etiam extrema, quæ ſunt realiter idem poterunt habere actualem diſtinctionem intellectus. Conſeq. à paritate non eſt.

Confirmatur argumentum: nulla formalitas creata poteſt eſſe realiter communicabilis pluribus, & realiter incommunicabilis, hoc enim proprium eſt Divinæ naturæ, quæ pluribus communicatur ut natura, & tamen ut relatio communis non eſt; ſed natura humana realiter eſt communicabilis pluribus, & differentia individualis realiter communicabilis non eſt: ergò ſunt duæ formalitates realiter actualiter diſtinctæ. Quod idem de cæteris prædicatis metaphiſicis æqualiter convincit.

Reſpondetur ad argumentum, negando antec. & ad primam probationem, conceſſa min. negatur min. & ad eius probationem diſtinguo maj. in termino comparationis, concedo maj. in ſubjecto comparationis, nego maj. Nam id, quod convenit negat illud, quod non convenit in termino comparationis, unde animal negat rationale in equo, qui terminus eſt comparationis, & convenientiæ; non tamen negat id, quod non convenit in ipſo ſubjecto, videlicet in homine, nam ut homo non conveniat cum equo in rationalitate, ſatis eſt, rationalitatem in equo non reperiri; non tamen requiritur animal, & rationale in homine, & prout in ipſo non eſſe realiter idem. Poterat etiam dici, illud quod convenit, negat id, quod non convenit non formaliter actualiter, ſed ſolum fundamentaliter à parte rei, inveniri actu fundamentum diſtinctionis actualis.

Ad ſecundam probatio-

nem;

nem, distinguo maj. contrahibile Logicè, concedo maj. Physicè, nego maj. & secundum eandem distinctionem minor. negatur conseq. Nam animal à parte rei est tantum contrahibile Logicè, quatenus animali à parte rei non repugnat concipi, ut vere contrahibile per differentiam rationalis; non tamen indifferentiam, & contrahibilitatem, aut determinabilitatem exercet à parte rei, sed potius est unum, & idem realiter cum differentia rationalis, cuius oppositum erat necessarium, ut non esset à parte rei actu formaliter rationale. Et quidem argumentum si probaret convinceret etiam distinctionem realem, nam realiter determinabile per aliud, realiter debet esse distinctum quoad propriam entitatem, sicut materia realiter entitativè distinguitur à forma, per quam determinatur realiter.

Dices: Compositio Metaphisica est realis, & propterea Deo repugnat, cui tamen non repugnat compositio rationis; sed compositio realis requirit partem realiter contrahibilem, & realiter contrahentem; ergò animal à parte rei realiter, & Physicè est contrahibile per differentiam rationalis.

Respondetur: negando maj. quia prædicta compositio solum est compositibi rationis, & ex partibus sola ratione actualiter distinctis; Deo tamen repugnat, quia fundatur in potentialitate, & imperfectione excludentis, & exclusi, quæ Deo convenire non potest.

Ad tertiam probationem negatur maj. & ad probationem illius distinguo antec. Unum fundamentaliter, concedo antec. formaliter, nego ant. & conseq. Ex quo tantum sequitur, quod sicut Petrus, & Paulus ante opus intellectus sunt unum fundamentaliter, quatenus conveniunt formaliter in natura humana, quæ convenientia præbet fundamentum, ut intellectus concipiat illam naturam tanquam positivè, ita extremá realiter entitativè idem possunt esse plura fundamentaliter in quantum à parte rei invenitur fundamentum, ut intellectus inter ea actualiter distinguat.

Ad confirmationem verò argumenti negatur minor. Quia natura humana in re non est realiter communicabilis pluribus; sed potius determinata, & incommunicabilis, sicut ipsa differentia individualis, cum qua identificatur in re.

Sed instabis: Natura humana realiter est communicabilis pluribus: ergò min. vera est. Probatur antecedens primo.

mo. Realiter eſt multiplicabilis, ſiquidem eſt natura materialis, cui non repugnat multiplicari realiter: ergò realiter eſt communicabilis pluribus.

Secundo probatur antec. Natura humana eſt apta ut realiter ſit in pluribus, ſicut de facto realiter in pluribus eſt: ergò natura humana realiter eſt communicabilis pluribus.

Reſpondetur negando antec. & ad primam probationem diſtinguo antec. Realiter eſt multiplicabilis Logicè, concedo antec. Phyſicè, nego ant. & conſeq. Licet namque non repugnet in re dari plures naturas humanas realiter entitativè diſtinctas, in quo conſiſtit potentia Logica, & objectiva, ut natura humana realiter multiplicetur; non tamen ipſa natura prout in re habet potentiam ſubjectivam, & Phyſicam ad ipſam multiplicationem, alias prout in re eſſet Phyſicè determinabilis, quod tamen implicat, cum natura prout in re ſingularis, & determinata ſit.

Ad ſecundam probationem diſtinguo antec. ut realiter ſit in pluribus, realiter determinante actum, concedo antec. determinante potentiam, nego antec. & conſeq. Quia natura humana realiter exiſtit in pluribus, ſed aptitudo, vel potentia, ut in illis exiſtat realiter, non eſt realis, quia in re in quocumque individuo determinatur ad unum.

Dices: Natura humana realiter multiplicatur Phyſicè: ergò poteſt Phyſicè multiplicari, & conſequenter potentia ad multiplicationem Phyſica eſt.

Sed non valet ab actu phyſico ad potentiam phyſicam; ſicut non valet: Deus actu exiſtit: ergò potentiam phyſicam habet ad exiſtendum, nam ex actu phyſico ſolum infertur Phyſica non repugnantia ad actum, quæ ſolum eſt potentia Logica, & objectiva; unde exiſtentiæ convenit exercitum exiſtendi in rerum natura, & tamen numquam fuit in potentia ſubjectiva, & Phyſica ad prædictum exercitum, alias haberet potentiam veram, & realem diſtinctam realiter ab exercitio exiſtendi, conſequenterque exiſtentia eſſet realiter à ſe ipſa diſtincta.

Quarto arguitur: quæ differunt diffinitione, etiam ex natura rei actualiter diſtinguuntur; ſed animal, & rationale differunt diffinitione, nam animal diffinitur eſſe principium ſentiendi, & rationale diſcurrendi: ergò animal, & rationale ex natura rei actualiter

dif-

differunt ante opus intellectus. Maj. probatur. Quia diffinitiones diversæ explicant diversas naturas: ergò, quæ differunt diffinitione differunt ex natura rei ante opus intellectus.

Respondetur: distinguendo maj. diffinitione adæquata rei in se; concedo maj. Inadæquata, nego maj. & sub eadem distinctione min. negatur conseq. Dupliciter namque res diffiniri possunt: adæquate videlicet, aut diffinitione adæquata cum illis prout in se, & si hoc modo diffiniantur habent diversas essentias, & naturas quæcumque habent diversas diffinitiones. Possunt in super res diffiniri diffinitione inadæquata cum illis prout in se, & solum adæquata cum ipsis secundum quod inadæquatè concipiuntur à nobis, & si taliter diffiniantur ex diversitate diffinitionis non infertur res prout in se habere diversas essentias ex natura rei distinctas, sed solum habere essentias inadæquate per intellectum distinctas; cumque diffinitio data animalis non sit adæquata cum illo prout in re, sed tantum cum illo, ut inadæquate concipitur, solum infertur, ex quo ita diffiniatur, esse per intellectum à rationali distinctum, non tamen prout in re à rationali distingui, sicut ipsa diffinitio non explicat naturam animalis ut in re, sed solum prout inadæquate objicitur intellectui, & ideo prædicta diffinitio est communis homini, & equo, cum tamen animal hominis prout in re commune non sit.

Sed instabis primo. Quæ differunt diffinitione, repræsentantur etiam per conceptum distinctum; sed quæ repræsentantur per conceptum distinctum, ex natura rei actualiter distinguuntur ante opus intellectus: ergo si modo prædicto differunt animal, & rationale, ex natura rei distinguuntur. Probatur min. Quia de eadem re non datur duplex conceptus, nam distinctio conceptuum supponit distinctionem objectorum, eo quod conceptus supponit objectum cognoscibile, ac proinde distinctus conceptus diversum cognoscibile supponere debet: ergò quæ repræsentantur per conceptum distinctum ex natura rei actualiter distinguuntur.

Secundò instabis: Distinctio essentialis non potest dependere ab intellectu fingente; sed quæ differunt diffinitione inadæquata essentialiter distinguuntur, siquidem diffinitio essentialis distincta explicare debet distinctam essentiam: ergò quæ differunt etiam diffinitione

ne

ne in adæquata ex natura rei, distinguuntur ante opus intellectus.

Respondetur distinguendo maj. inadæquatum, vel adæquatum, concedo maj. adæquatum semper, nego maj. & distinguo min. adæquatum, concedo min. inadæquatum, nego min. Nam quæ differunt diffinitione inadæquata repræsentantur etiam per conceptum non adæquatum, sed potius inadæquatum cùm re prout in se ipsa, ex quo tantum sequitur, objectum repræsentatum esse ratione distinctum, non tamen esse diversum, quatenus est in se ipso.

Ad probationem verò min. dicimus posse dari duplicem conceptum de eadem re, quando ipsa fundamentaliter est multiplex, nam sicut eadem causa: quia virtualiter est multiplex potest producere effectus realiter entitativè distinctos; ita idem objectum, quando fundamentaliter multiplex est repræsentari potest per plures conceptus realiter, illosque specificare, & causare per modum causæ formalis, & plures operationes, per quas fiat distinctio actualis inter objecta, quæ sit distinctio rationis. Nec probatio superaddita convincit, quia conceptus specificatur ab objecto cognoscibili, & ab illo tanquam à causa dependet, proindeque ipsum supponit, sicut effectus supponit causam, distinctio verò conceptus exercite se habet, & non supponit necessario distinctionem actualem in objecto, sed illam supponit, vel facit ut contingit, quando intellectus animal, & rationale distinguit.

Ad secundam instantiam distinguo maj. essentialis realis, concedo maj. essentialis rationis nego maj. essentialis rationis, nego maj. & distinguo min. distinctione essentiali rationis, concedo min. essentiali reali, nego min & conseq. Nam quæ differunt diffinitione inadæquata; non differunt essentialiter prout in re, sed solum differunt essentialiter, quatenus concipiuntur à nobis, quæ distinctio, quamvis sit essentialis, est tamen sola distinctio rationis. Et instantia totius doctrinæ invenitur in conceptu discursus, & intellectus, voluntatis ut natura, & quatenus libera est: Quæ omnia diversa diffinitione inadæquata diffiniuntur, & solum differunt essentialiter prout concipiuntur à nobis.

Dices: Diffinitio, ut bona sit, debet adæquari cum re diffinita, & cum illa convenire, nam bona diffinitio convertitur cum diffinito: ergò quæ dif-

diffiniuntur diversis diffinitionibus non possunt esse idem realiter, sed debent habere distinctionem essentialem, & realem.

Sed facile respondetur: diffinitionem deberet esse adæquatam, & convertibilem cum re diffinita, non quidem prout in se, sed prout à diffiniente concepta. Ex quo non potest inferri distinctio illius in re, sed tantum essentialis distinctio illius, ut inadæquatè conceptæ, & inadæquatè diffinitæ, quæ distinctio rationis est, quamvis essentialis sit, eo quod intellectus concipit unam formalitatem ut essentialiter, & formaliter ab alia diversam.

Dices: distinctionem essentialem esse inseparabilem à rebus de potentia Dei absoluta, alias posset essentialiter deficere, & consequenter essentialis distinctio non esset; sed distinctio rationis separabilis est à rebus, nam solum existit, dum intellectus distinguit actualiter, & exercitè: ergò implicat esse distinctionem essentialem, & esse distinctionem rationis.

Respondetur tamen facile: Distinctionem essentialem esse inseparabilem à rebus, eo modo quo essentialis est, & eodem modo esse inseparabilem distinctionem rationis, quæ competit animali, & rationali, ut inadæquatè conceptis, quomodo non possunt non talem distinctionem habere, & ita mirum non est illum esse distinctionem essentialem.

Quinto arguitur: De una, & eadem formalitate verificari non possunt propositiones contradictoriæ; sed de animali, & rationali contradictoriæ propositiones verificantur: ergò animal, & rationale non sunt à parte rei una, & eadem formalitas, sed potius ex natura rei debent esse formalitates distinctæ. Probatur min. Hæc est propositio vera: animal in homine est principium conveniendi, & hæc etiam vera est: rationale non est principium conveniendi: sed propositiones istæ sibi invicem contradicunt: ergo de animali, & rationali propositiones contradictoriæ verificantur.

Hoc argumentum fundamentum est principale, cui præcipuè Schoti sententia fidit. Pro cujus intelligentia præmittendum est: nos posse loqui de animali, & rationali dupliciter: primo quatenus significantur his nominibus *animal*, & *rationale*, & à nobis inadæquate concipiuntur. Secundo posumus loqui de illis prout sunt in se ipsis, & in re; & quidem si de illis secundo modo lo-

loquamur, quidquid negatur de uno, debet etiam de altero negari, & quidquid affirmatur de uno etiam affirmatur de altero, & ideò falſa eſt hæc propoſitio, rationale non eſt ratio conveniendi, & etiam altera: animal non eſt ratio diſtinguendi; eo quod negatio abſolute prolata deſtruit totaliter prædicatum, & idem eſt ac dicere: animal ſub nulla formalitate eſt principium diſtinguendi, cum animal ſecundum quod rationale diſtinguat, & in ſe ſit rationale, & in altera rationale non eſt principium conveniendi, idem eſt, quod affirmare, rationale ſub nulla formalitate eſſe conveniendi principium, quod utriuſque falſum eſt, cum rationale prout in re ſit formaliter animal, & principium conveniendi; ſi verò de animali, & rationali primo modo conſideratis, loquamur, poteſt aliquid affirmari de animali, & de rationali negari, & è contra; nam ad hoc ſufficit diſtinctio rationis, quam involvunt, quatenus à nobis inadæquate concipiuntur, quam doctrinam deſumpſimus ex Aug. Doct. quæſt. 8. de Potent. art. 2. ad 7. per ea verba: *Non opus eſt, quod omnia eadem prædicentur quomodolibet de eiſdem, ſed ſolum de eiſdem ſecundum rationem, eſſentia autem divina, & Paternitas, & ſi ſint idem re, non ſunt idem ratione, & ideo non oportet, quod quidquid prædicatur de uno prædicetur de alio:* quia tamen ſemper quod de prædictis loquimur, utimur illis nominibus animal, & rationale, quibus ſignificantur tanquam ratione diſtincta, propterea abſolute loquendo aliquid affirmatur de animali, quod de rationali negatur, & hujus doctrinæ repetitio paſſim in D. Thom. invenitur. Ea ergò.

Reſpondetur ad argumentum, diſtinguendo maj. de una, & eadem re, & ratione, concedo maj. de eadem re, ratione tamen diſtincta, nego maj. & conceſſa min. negatur conſeq. quia ex verificatione contradictoriatum ſolum infertur, animal, & rationale eſſe formalitates per intellectum actualiter diſtinctas, & fundamentaliter in re, non tamen quod prout à parte rei actualiter diſtinguantur inſtantia argumenti invenitur in intellectu, quatenus intellectus eſt, & ratio, & in voluntate ut libera, & ut natura, de quibus verificantur prædicata contradictoria; cum tamen in re non ſint illa prædicata ex natura rei actualiter diſtincta, alias daretur duplex voluntas diſtincta ex natura rei.

Sed inſtabis: In quocumque

que ſigno verificantur propoſitiones contradictoriæ de aliquo, debet eſſe aliqua multitudo: ſed ante operationem intellectus verificantur ſupradictæ propoſitiones de animali, & rationali: ergò animal, & rationale, debent eſſe ante operationem intellectus actualiter diſtincta.

Reſpondetur: diſtinguendo maj. multitudo formalis, vel fundamentalis, concedo maj. formalis determinate, nego maj. & conceſſa min. negatur conſeq. Quia ut de aliquo verificentur propoſitiones contradictoriæ ſufficit in illo reperiri diſtinctionem fundamentalem rationis, & neceſſarium non eſt eſſe in illo multitudinem formalem, aut formalem diſtinctionem, eo quod quamvis diſtinctio rationis, ut formaliter exiſtens, dependeat ab operatione intellectus actualiter fingentis, diſtinctio tamen fundamentalis, vel fundamentum diſtinctionis formalis à conſideratione actuali intellectus non dependet, ſed illius fictionem præcedit, & hæc ſola ſufficitit, ut in vi, & ratione ipſius propoſitiones contradictoriæ de rationali, & animali verificari poſſint, ſicut ob eandem fundamentalem diſtinctionem verificatur de bonitate ſpecificare voluntatem diſtinctionem verificatur de bonitate ſpecificare voluntatem, quod negatur de veritate ante fictionem actualem intellectus, & de eodem puncto verum eſt eſſe principium unius partis, & non alterius, cujus terminus eſt.

Sed inſtabis: diſtinctio fundamentalis, aut fundamentum diſtinctionis actualis per rationem non ſufficit, ut de animali, & rationali verificentur propoſitiones contradictoriæ: ergò ultra eam debet aſſignari alia diſtinctio à parte rei actualis. Probatur ant. primo. Prædicta diſtinctio non ſufficit, ut animal à parte rei negetur de rationali, nam hæc eſt falſa, rationale, quod eſt in homine non eſt animal, propter identitatem utriuſque, ſicut, & hęc juſtitia, quæ eſt in Deo, non eſt miſericordia: ergò nec ſufficit prædicta diſtinctio ad contradictoria verificanda, cum unius, & alterius eadem ratio ſit.

Secundo probatur antec. Aſſignata diſtinctio non ſufficit, ut prædicata oppoſita privativè verificentur de eadem entitate, ut patet in forma, & illius privatione, quæ eidem materiæ realiter pro eodem inſtanti convenire non poſſunt: ergò etiam ad contradictoria non ſufficit, quia oppoſitio contradictoria major eſt, quam

privativa, & maxima omnium.

Tertiò probatur. Prædicata virtualiter distingui est, talia prædicata posse concipiut distincta; sed hoc non sufficit, ut de illis ante opus intellectus verificentur contradictoria: ergò idem quod prius. Probatur min. implicat, quod eadem res sit, & non sit, etiam si à nobis possit concipi, ut distincta: ergò prædicata, quæ sunt idem, posse concipi, ut distincta, satis non est, ut de illis verificentur contradictoria ante opus intellectus.

4. probatur. Ratio propter quam animal est ratio conveniendi, & rationale non est ratio conveniendi ea non est, quod possunt à nobis imperfecte, & inadæquate concipi, ut prædicata distincta: ergò sic posse concipi, vel habere fundamentum, ut per intellectum distinguantur, ad contradictoria non sufficit.

5. probatur. Intellectus Divinus affirmat de animali, quod negat de rationali; sed hoc provenire non potest à distinctione fundamentali, cum talia prædicata fundamentaliter distincta non sint per ordinem ad Divinum intellectum, qui non potest inter illa facere distinctionem actualem: ergò idem.

Respondetur ad replicam, negando antec. & ad primam probationem, negatur conseq. Quia in prædicatione unius gradus de altero nulla exercetur appellatio, & ideò si unum negatur de altero, negatur realis identitas inter illos, & propterea propositio, in qua animal de rationali negatur à parte rei, falsa est, v. cur, & altera, justitia non est misericordia; prædicata vero contradictoria appellant proprios conceptus, & distinctionem fundamentalem eorum actualem per rationem & ideo distinctio prædicta non sufficit ad primum, & sufficit ad secundum.

Ad secundam verò probationem ant. etiam negatur conseq. propter similem rationem, quia videlicet prædicata contradictoria appellant formalitates distinctas fundamentaliter à parte rei; sed prædicata opposita privative non appellant formalitatem, sed appellant entitatem materialiter acceptam, quatenus privatio est carentia formæ in subjecto secundum suam entitatem, & in eadem entitate subjecti sumpta adæquatè recipitur, & ideo distinctio fundamentalis non sufficit, imo nec distinctio ex natura rei formalis: sed potius distinctio realis entitativa requiritur, ut verificentur opposita privative, sicut

cut eadem distinctio necessaria est, ut prædicata contraria v.gr. albedo, & nigredo possint rebus convenire: & licet oppositio contradictoria quantum ad veritatem, & falsitatem propositionis maxima sit, siquidem contradictoriæ nec possunt esse simul vere, nec simul falsæ, quantum ad incompatibilitatem tamen in eadem entitate tanta non est, nam ad contradictionem requiritur, eandem formalitatem appellari, contraria vero, & privativa non formalitatem, sed entitatem appellant, nam formæ Physicæ, & contrariæ in entitate adæquate recipiuntur.

Ad tertiam probationem negatur min. eo quod prædicata contradictoria formalitates appellant, ut fundamentaliter distinctas, esse vere, & non esse appellant entitatem materialem, & ideo posse concipi, ut distincta sufficit, ut prædicata contradictoria verificentur, sed non ut eadem res sit, & non sit.

Ad 4. respondetur distinctionem prædictam non esse rationem formalem, ut animal sit ratio conveniendi, & rationale non sic conveniendi ratio; esse tamen conditionem indispensabiliter exactam ut convenientia affirmetur de animali, & de rationali negetur.

Ad 5. respondetur: Intellectum Divinum non affirmare convenientiam de animali, & illam negare de rationali, ut fundamentaliter distinctis per ordinem ad intellectum Divinum, sed per ordinem ad intellectum humanum, qui potest actualem distinctionem rationis formare, & fingere inter unum, & alterum prædicatum. Ex quo constat, quod si Divinus intellectus conciperet animal, & rationale sine ulla connotatione ad intellectum creatum, non posset affirmare de illis prædicata contradictoria, eo quod illa conciperet adæquate prout in re, & de illis prout sic contradictoria verificari non possunt.

Dices: si semel contradictoria verificantur actualiter ante opus intellectus, vere unum convenit actualiter, & alterum prædicatum actualiter vere negatur: ergò animal actualiter habet aliquid, quod non habet actualiter rationale: ergò non solum fundamentaliter, sed etiam actualiter est à rationali distinctum: ergò distinctio fundamentalis non sufficit, sed actualis necessaria est, ut contradictoria verificentur ante opus intellectus.

Respondent aliqui: distinguendo primum consequens:

&

& actualiter fundamentaliter, concedunt conſeq. actualiter formaliter, negant conſeq. aſſerentes, quod ut prædicata contradictoria verificentur de animali, & rationali, ſatis eſt, quod animal fundamentaliter habeat aliquid, quod non habet rationale, & quod fundamentaliter ſit à rationali diſtinctum.

Sed ſolutionem iſtam ſic acceptam, & amplius non explicatam, non poſſumus approbare: quia animal actualiter eſt formaliter, quod actualiter formaliter convenit illi, nam unumquodque actualiter eſt illud, quod eſt actualiter, ſicut unumquodque eſt id; quod eſt, & conſequenter animal actualiter eſt formaliter id, quod actualiter formaliter prædicatur de illo, proindeque ſi aliquod prædicatum actualiter formaliter dicitur de animali ante opus intellectus, quod de rationali negatur, aliquid habebit animal actualiter formaliter, quod non habet rationale, & ita erit actualiter formaliter aliquid, quod non eſt rationale, & tandem erit actualiter formaliter à rationali diſtinctum ante opus intellectus. Quapropter omiſſa ſolutione prædicta, vel ad noſtram reducenda.

Reſpondetur aliter ad replicam diſtinguendum ſecundum conſequens; actualiter ſignatè, concedo conſeq Exercite, nego conſeq. Quia quotieſcumque cognoſcitur fundamentum diſtinctionis actualis attinguntur etiam ex illo tunc extrema ipſa diſtinctionis, ut actu diſtincta objectivè, & ſignatè, quatenus attinguntur ut potentia terminare exercitam diſtinctionem, & propterea ſignificantur extrema ut diſtincta in actu ſignato, & de illis ut ſic diſtinctis contradictoria verificantur, eo quod extremum cognitum, ut in actu ſignato diſtinctum ab alio, cognoſcitur etiam ſecundum quod actualiter ſignatè eſt aliquid, quod alterum non eſt, & hoc aliquid poteſt de tali extremo affirmari, & negari de alio, ſed quia diſtinctio fundamentalis neceſſario connotat extrema ut exercite diſtinguibilia, & connectitur infalibiliter cum illis ut diſtinctis in actu ſignato, propterea dicimus, diſtinctionem fundamentalem ſufficere ad contradictoria verificanda contra poſsitivè ad operationem intellectus actualiter exercite diſtinguentis, antequam operationem ut exercite diſtinguentem, contradictoria verificari poſſunt.

Sed inſtabis primo: Si diſtinctio fundamentalis ſufficit ad con-

contradictoria verificanda, poterit à parte rei affirmari aliquid de uno extremo, quod tamen negetur de alio realiter identificato cum ipso; sed hoc est artem syllogisticam destruere, fundatam illis principijs, quæ sunt eadem unitertio, sunt eadem inter se: dici omni, &c. idest in eo fundatam, quod quidquid dicitur de subjecto dicitur etiam de omni identificato cum illo, & quidquid de subjecto negatur, etiam de identificato cum subjecto debet negari: ergò distinctio fundamentalis insufficiens est ad contradictoria verificanda.

Secundò instabis: Quia repugnante intellectu creato, repugnaret etiam distinctio fundamentalis, siquidem repugnaret distinctio actualis fundata, quæ solum potest fieri per intellectum creatum, & repugnante forma fundata, debet repugnare fundamentum, eo quod fundamentum dicitur per ordinem ad id, quod fundare potest; sed repugnante intellectu creato verificantur prædicata contradictoria de animali, & rationali, nam adhuc homo in animalitate conveniret cum equo, & in rationalitate non conveniret, sed differret: ergò prædicata contradictoria ultra distinctionem fundamentalem, actualem etiam distinctionem requirunt.

Mag. Froylan.

Ad primam replicam respondetur: distinguendo maj. de uno extremo ut fundamentaliter ab alio distincto, concedo maj. de illo prout in se, ergo maj. min. & conseq. Quia ars syllogistica fundatur in eo, quod quæ sunt eadem unitertio realiter, debent esse idem realiter inter se, & quæ prædicantur de aliquo realiter, & prout in se sumpto deben etiã prædicari de omni identificato cum illo; non tamen in eo quod quæ identificantur unitertio realiter, ratione tamen distincto, debeant esse indistincta per rationem, sed potius sic identificata debent esse inter se ratione distincta, & aliquid poterit per rationem affirmari de uno, quod de altero negetur, quod in animali, & rationali contingit.

Ad secundam respondetur: quod repugnante intellectu creato, repugnaret etiam pluralitas nominum, quibus animal, & rationale significantur, nam plurtitas nominum supponit pluralitatem conceptum, & ita non darentur animal, & rationale diversimodè nominata, nec ulla distinctio actualis per rationem, proindeque non daretur fundamentalis distinctio, sed prædicata contradictoria de animali, & rationali verificari non possent.

Verum, quia difficultas ista gravissima, & satis utilis est, & Lydius lapis inter Scholam Doctoris subtilis, & Discipulos D. Thom. ne intactum aliquid relinquamus, placet ulterius urgere contra ea, quæ dicta reliquimus, in forma sequenti: Nam de animali, & rationali prout in re verificari possunt prædicata contradictoria: ergò animal, & rationale prout in re debent esse formalitates saltim actualiter distinctæ. Probatur ant. primò. Animal prout in re est principium conveniendi, & rationale non est principium conveniendi: ergò de illis prout in re contradictoria verificantur. Prob. ant. quantum ad secundam partem, in qua est difficultas. Rationale prout in re est principium non conveniendi: ergò rationale prout in re non est principium conveniendi. Patet conseq. Quia arguitur ab affirmativa ad negativam variato prædicato penes finitum infinitum, quæ juxta regulam dialecticorum bona consequentia est.

Secundò probatur ant. a re operatio Intellectus, & prout in re animal est ratio assimilandi hominem equo, & rationale non est ratio assimilandi: ergo de illis prout in re verificati possunt prædicata contradictoria. Prob. ant. quantum ad secundam partem. Rationale prout in re est ratio dissimilandi: ergò non est ratio assimilandi nam in ea ratione, in qua duo similia sunt non possunt esse dissimilia, aut è contra.

Tertio prob. ant. homo, & equus sunt animalia, & homo, & equus non sunt rationalia, nec in tali prædicato conveniunt, sed potius verum est in illo non convenire: ergò de his prædicatis prout in re contradictoria verificantur.

4. Animal prout in re, & ante operationem intellectus fundat distinctionem à rationali; sed rationale non fundat distinctionem à rationali: ergò idem quod prius.

5. ante operationem intellectus animal est conceptibile sine rationali, & rationale non est conceptibile sine rationali: ergò idem.

6. in pluribus rebus, quæ realiter sunt idem verificantur prædicata contradictoria de illis prout in re: ergò in animali, & rationali idem contingere poterit. Antec. pluribus constare poterit. Primo quidem in actu contritionis, qui realiter est odium peccati, & non est odium Dei, cum Deus per contritionem non possit odio haberi; & tamen odium, & non odium contradictorie opponuntur. Secundo in entitate peccati,

quæ

quæ prout in re producitur à Deo ſub ratione entis, & non producitur ſub ratione malitiæ. Et Filius in Divinis procedit per intellectum, & non per voluntatem, quæ realiter idem ſunt; & eſſentia eſt Filiatio, & Paternitas non eſt filiatio, cum tamen eſſentia, & Paternitas idem realiter ſint: ergò antec. verum eſt.

Reſpondetur ad argumentum, negando antec. & ad primam probationem negatur ultima conſeq. Quia regula dialecticorum non tenet, quando arguitur à non diſtributo ad diſtributum, qualiter in præſenti virtualiter contingit; quia negatio abſolutè prolata deſtruit totaliter prædicatum, & ideò hæc propoſitio rationale prout in re non eſt principium conveniendi, facit hunc ſenſum, rationale ſub nulla formalitate eſt principium conveniendi, ubi per ſe manifeſtum eſt, rationale eſſe diſtributum, in antecedenti autem videlicet, rationale eſt principium non conveniendi, ipſum rationale diſtributum non erat, & propterea arguitur à non diſtributo ad diſtributum, quæ quidem mala conſequentia eſt; ſicut propter ſimilem defectum, non valet, in Sequana ſunt non piſces: ergò in Sequana non ſunt piſces.

Dices: rationale prout in re eſt principium diſſimilandi: ergò non eſt principium aſſimilandi, aut principium conveniendi; nam idem realiter nequit eſſe ſimile, & diſſimile reſpectu eiuſdem.

Reſpondetur: idem realiter non poſſe eſſe ſimile, & diſſimile perfectè, poſſe tamen eſſe diſſimile, & ſimile imperfectè, & rationale eſt diſſimile imperfectè reſpectu equi, eo quod cum illo etiam habet ſimilitudinem, & convenientiam univocam in aliqua ratione communi, videlicet animalis, & ideo poteſt rationale, ut in re eſſe diſſimile, & ſimile ſimul, eo quod ſimilitudo non conſiſtit in indiviſibili, ſicut æqualitas.

Ad ſecundam probationem antec. principalis, negatur antec. & ad probationem negatur conſeq. Nam idem rationale prout à parte rei eſt principium aſſimilandi, & diſſimilandi ſimul, in ea quippè ratione in qua duo ſunt ſimilia perfectè, non poſſunt eſſe diſſimilia verum ſi imperfectè tantum diſſimilia ſunt, poſſunt in eadem ratione prout à parte rei ſimilitudinem habere quam vis ratio prædicta, quatenus ratio eſt aſſimilandi ratione diſtincta ſit à ſe ipſa, quatenus diſſimilitudinem præſtat. Quæ

doctrina ex præcedenti sufficientissime constat.

Ad tertium probationem distinguo antec. in illo non convenire, quatenus fundamentaliter ab animalitate hominis distincto, concedo antec. ut a parte rei existente; nego ant. Nam quamvis homo, & equus non sint rationalia conveniunt tamen in rationalitate prout est à parte rei, eo quod in animalitate conveniunt, & rationalitas in re est animalitas, & ut equus cum homine in rationalitate conveniat, sufficit, convenire in animalitate, quæ prout à parte rei est rationalitas ipsa.

Dices: quia equus est animal, convenit cum homine in animalitate: ergò quia non est rationalis, non habebit in rationalitate convenientiam.

Sed distinguo causalem antec. *Lv quia* dicente causam sufficientem, concedo antec. causam necessariam, nego ant. & conseq. Sufficit namque, quod equus sit animal ut cum homine conveniat, sed non erat hoc necessarium, nam ut conveniret cum homine sufficiebat habere aliquod prædicatum simile animalitati, ut à parte rei existenti, & ideò ut conveniat cum homine in rationalitate, satis est habere animalitatem similem animalitati hominis, quæ prout in re est rationalitas ipsa.

Dices: quando duo extrema assimilantur, & conveniunt in aliquo uno, debet illud inveniri in utroque, sicut ut duo conveniant in ratione albi, debet albedo in utroque reperiri: ergò ut equus in rationalitate assimiletur homini, & cum illo conveniat, debet rationalitas in equo inveniri.

Sed facile dicitur: quod ut duo conveniant in aliquo uno, satis est, quod vel illud, vel aliquid illi simile reperiatur in utroque, & quamvis in equo non sit rationalitas, est tamen animalitas similis illi, quatenus in ipso est animalitas similis animalitati, quæ prout in homine est idem cum rationali formaliter. Nec est simile de albedine, quæ non identificatur cum aliqua forma reperta in extremo convenientiæ.

Dices: ergo album, & nigrum convenient in ratione albi. Probatur conseq. Licèt in nigro non sit albedo, est tamen in ipso color similis colori albi, & realiter cum albedine identificato: ergò verum erit album, & nigrum convenire in ratione albi.

Respondetur; album, & nigrum etiam convenire quamvis

vis imperfecte in ratione albi, ut existentis à parte rei, quia nigrum est simile colori identificato cum albedine albi, & propterea quamvis ita non appareat ad sensum, re vera tamen idem, & eodem modo in utroque casu dicendum.

Ad 4. probationem ant. principalis respondetur: etiam rationale prout à parte rei fundare distinctionem à rationali, non prout à parte rei, sed à se ipso inadæquate concepto secundum formalitatem animalis, cum qua est idem à parte rei, & ipsum animal prout à parte rei fundare distinctionem à se ipso, quatenus objicitur intellectui secundum conceptum rationalis, nam prout à parte rei sunt unum, & idem, & quidquid fundat unum, fundat, & alterum.

Dices: ergò rationale prout à parte rei fundat distinctionem à se ipso: ergò potest intellectus cum fundamento distinguere rationale à rationali.

Sed distinguo secundum consequens A rationali secundum conceptum animalis, concedo conseq. secundum munus rationalis, nego conseq. Solutio patet ex dictis.

Ad 5. probationem distinguo anteced. exercite, & effectivè, concedo antec. objective, & signate, nego antec. & conseq. Quia esse, & non esse, conceptibile sine rationali verificatur de illis ante operationem intellectus, ut exercite distinguentis, sed non ante operationem intellectus, ut distinguentis signate, ideſt, ante operationem distinctivam ut possibilem, qua præintellecta etiam ipsa prædicata concipiuntur ut signatè distincta, & sic accepta potest unum concipi sine alio, sicut, & de alijs contradictorijs explicatum relinquimus.

Ad 6. & ultimam probationem anteced. respondetur, negando antec. & ad primum exemplum dicimus: esse odium, & non odium; solum verificari de actu contritionis per ordinem ad diversa, & ideo non verificari de illo prout in re, & in se ipso, sed de ipso ut fundamentaliter distincto in ordine ad connotata diversa, sicut de eadem scientia Divina ut fundamentaliter distincta in ordine ad ipsum Deum & in ordine ad possibilia, per ordinem ad quæ dicitur abstractiva eadem notitia, quæ in ordine ad Deum intuitiva est.

De cæteris verò exemplis dicimus: entitatem quidem peccati sumptam adequatè prout in re adæquatè etiam produci inadæquatè tamen ac-

ceptam, quatenus videlicet concipitur ut malitia, & prædicto nomine nominatur, non produci a Deo, cæterum in hac consideratione non est malitia prout in re adæquatè, sed est malitia quatenus fundamentaliter ab entitate diversa, quomodo subterfugit Divinam causalitatem. Et tandem negamus, filium non procedere per voluntatem realiter sumptam, & prout in se, in qua acceptione sicut per intellectum, ita etiam per voluntatem procedit, non tamen per ipsam ut tali nomine significatam, nam significatur tali nomine prout à nobis concipitur ab intellectu distincta, secundum quam considerationem non potest filius procedere per voluntatem; sed solum procedit per intellectum, ut à voluntate distinctum. Et similiter Paternitas est filiatio sumpta filiatione adæquatè, & prout existit in re, cum Paternitas sit realitas, quæ est filiatio; non tamen est filiatio formaliter, ut tali nomine significatur, sic enim importatur filiatio, ut à Paternitate distincta. Nec inde inferas, Paternitatem, & filiationem non esse realiter distinctas, quia prout his nominibus significantur, importantur ut distinctæ virtualiter ab essentia, & prout sic realiter in essentia distinguuntur; si tamen adæquatè, & prout in re accipiuntur, identificatur cum essentia, & non importantur ut ab illa distinctæ, & ideo prout sic identificantur realiter ratione essentiæ, quam realiter important, & cum qua identificantur.

Dices secundum solutionem istam: distinctionem realem relationum supponere distinctionem fundamentalem rationis, ut existentem, & distinctionem actualem rationis relationum ab essentia tanquam possibilem; sed implicat distinctionem realem relationum dependere à distinctione rationis, aut illius fundamento, cum ens reale dependere non possit à fictione intellectus: ergò solutio implicatoria est.

Respondetur: distinguendo min. dependentia stricta, & à priori, aut tanquam à causa, concedo min. dependentia lata, vel tanquam à termino connexionis, nego min. & conseq. Non enim est assignabilis ratio, quare ens reale non possit esse connexum cum ente rationis possibili, quę facile non diluatur.

Ex dictis colligitur: Inutilem, & impossibilem esse distinctionem virtualem intrinsecam consistentem in eo, quod

quod in una, & eadem re propter equivalentiam virtualem, aut eminentialem ad plura detur capaciras, ut de ipſa verificentur prædicata contradictoria ante operationem intellectus, & omni appellatione ſecluſa, vel connotatione ad intellectum potentem in re prædicta diſtinctionem rationis actualem efficere.

Primum probatur: nam ad verificanda prædicata contradictoria ſufficit fundamentalis diſtinctio per ordinem ad intellectum, ut potentem actualem diſtinctionem formare, ad quam quidem faciendam habet fundamentum in re propter æquivalentiam ipſius: ergò diſtinctio virtualis intrinſeca ad prædictum effectum inutilis eſt.

Secundum verò probatur. Quia prædicatum, quod realiter negatur de ſubjecto, non poteſt realiter affirmari de illo omni appellatione ſecluſa, & ordine ad intellectum: ergò diſtinctio virtualis intrinſeca conſiſtens in capacitate ad ſuſcipienda realiter prædicata contradictoria omni appellatione ſecluſa, & ordine ad intellectum, impoſsibilis eſt. Probatur ant. Prædicatum, quod realiter negatur de ſubjecto omni appellatione ſecluſa non eſt realiter ipſum ſubjectum, quia unum realiter de altero negari, eſt unum non eſſe realiter aliud: ergò nequit realiter affirmari de ſubjecto, ad hoc enim neceſſarium erat, quod eſſet ipſum ſubjectum realiter, ut ſic eſſet verum dicere hoc ſubjectum; v. gr. rationale realiter eſt animal.

Confirmatur: Prædicatum, quod realiter affirmatur de ſubjecto omni appellatione ſecluſa, realiter identificatur cum ſubjecto, ſed hoc ipſo non poteſt de illo realiter negari: ergò idem quod prius. Probatur min. Quando duo identificantur realiter, non bene unum realiter negatur de altero, & ideo hæc eſt falſa propoſitio: Juſtitia realiter non eſt miſericordia, & ſimiliter hæc: Paternitas realiter non eſt eſſentia Divina: ergò prædicatum realiter identificatum cum ſubjecto nō poteſt de illo realiter negari

Urgetur ad hominem contra Thomiſtas oppoſitum aſſerentes: quia ſi eſſe principium diſcurrendi negatur realiter de animali, debet eſſe realiter ſaltem formaliter ab animali diſtinctum, eo quod ſi tàm realiter entitativè, quam realiter formaliter animal eſſet principium diſcurrendi non poſſet tale prædicatum formaliter realiter de animali negari, nam unum, & idem formaliter non benè negatur formaliter de ſe ip-

so; sed si principium discurrendi negatur realiter formaliter de animali, etiam rationale debet eodem modo negari, cum eodem modo, quo negatur constitutivum in aliquo esse reali, negari debeat constitutum in tali esse; quod tamen Thomistæ non asserunt, sed potius dicunt, rationale esse realiter formaliter animal, & non formalitatem realiter ab animali distinctam: ergò de animali, & rationali realiter sumptis, & secluſa connotatione ad intellectum non potest unum prædicatum realiter negari, & affirmari realiter.

Sed instabis: concessa æquivalentia unius rei ad plura distincta realiter; v.gr. unius, & ejusdem entitatis animæ rationalis ad animam sensitivam bruti, & vegetativam plantæ, poterit unum, & alterum affirmari, & negari de eadem entitate secundum diversas æquivalentias, nam vere secundum unam æquivalentiam est realiter unum, & secundum alteram non est realiter ipsum: ergò possunt prædicata contradictoria verificari realiter propter æquivalentiam realem ad plura, etiam secluſa connotatione intellectus.

Sed facile respondetur: quod si eadem res æquivalet pluribus distinctis realiter, modo quo æquivalet erit utrumque, sicut anima rationalis est eminenter formaliter sensitiva, & etiam vegetativa, non tamen poterit unum realiter, & secluſa connotatione intellectus de re æquivalenti negari, eo quod æquivalentia ad unum secluſa connotatione intellectus, & prout à parte rei non est distincta ab æquivalentia ad alterum, nec unum realiter non est alterum, sed tàm inter se, quàm cum tertio, aut subjecto identificantur realiter, & propterea nullum illorum potest realiter de subjecto negari.

ARTICULUS IV.

Utrùm inter prædicata suprædicta detur præcisio objectiva?

§. I.

Difficultas apperitur, & statuitur affirmativa conclusio.

QUAMVIS Thomistæ unanimiter affirment inter gradus Metaphisicos superiores, & inferiores dari præcisionem objectivam, perfectam quidem excludentis, & excluſi, quatenus unum prædicatum nec exprimit alterum, nec ipsum implicite continet; in præsenti

sa-

tamen non præciſsionem perfectam, & adæquatam, ſed inadæquatam, & imperfectam intendimus, conſiſtentem in eo, quod diverſis conceptibus, & operationibus diſtinctis correſpondeat uni ex parte objecti aliquid, quod alteri non correſpondet.

Ad cujus intelligentiam præmittendum eſt: præciſsionem duplicem eſſe unum formalem, & alteram objectivam: formalis præciſsio eſt actus intellectus attingens ex parte objecti omnes formalitates in ipſo repertas, non tamen eodem modo, ſed alias clare, alias vero inconfuſè, vel obſcurè, ita tamen quod de nulla illarum verificetur, non eſſe per talem actum attactam. Præciſsio objectiva contingit, quando nedum actus intellectus diverſus eſt, verum etiam ex parte objecti, & ejuſdem entitatis realiter indiviſibilis correſpondet una formalitas, & non altera, aut una verè cognoſcitur, & altera non vere per eundem actum attingitur.

Secundò præmittendum eſt: fuiſſe Nominalium ſententiam inter gradus Metaphiſicos nullam dari veram præciſsionem objectivam; ſed tantummodo formalem ſe tenentem ex parte intellectus, quia licèt idem realiter, & indiviſibile objectum diverſis cognitionibus attingatur, non tamen illis ex parte objecti aliqua correſpondet diſtinctio, ſed potius unicum, & idem indiviſibile objectum in ordine ad diverſa connotata, aut cum extrinſeca denominatione diſtincta proveniente à diſtincta cognitione. Nominalibus familiariter adhærent diſcipuli Societatis, & ſi Primates eorum opinionum prædictam deſerant, quod, & fecit Suarez *diſp. 7. Metaph. ſect. 1.* Vazquez *1. p. q. 28. art. 2. diſp. 117. cap. 1.* quos etiam aliqui ejuſdem Scholæ ſequuntur, non approbantes in hac parte à Thomiſtis ſeggregari, cum quibus.

§. II.

Noſtra Concluſio.

Inter gradus Metaphiſicos verè dantur præciſsiones objectivæ.

Concluſionem iſtam eſſe mentem D. Thom. nobis dubitare non licet, ipſe namque pluribus in locis expreſsiſsime talem continet ſententiam ut 3. *Metaph. text.* 10. & 4. *Thopic. cap.* 2. 4. *contra gentes, cap.* 5. *& in* 1. *contra gentes, cap.* 54. loquitur ita: *Intellectus ea, quæ ſunt in eſſe conjunc-*

junctæ, interdum disjunctim accipere potest, quando unum eorum in alterius rationem non cadit, & propter hoc in ternario considerare potest binarium tantum, & animali rationali id quod est sensibili tantum. Quibus 1. *part. quæst.* 40. *artic.* 3. consonat per ea verba: *Respondeo dicendum, quod duplex est abstractio per intellectum, una quidem secundum quod universale abstrahitur à particulari, ut animal ab homine, & in hac abstractione non remanet id, in quo fit abstractio, remota enim ab homine differentia rationali, non remanet in intellectu homo; sed solum animal.* Quia tamen artic. præcedenti satis immorati sumus, propterea non ita necessaria modo omittentes, ad rationem deveniamus.

Ratione ergò poterat probari conclusio: nam ea, quæ objectivè distinguuntur, possunt etiam objectivè præscindere, ut per se notum videtur; sed prædicata realiter identificata objectivè distinguuntur: ergò poterunt objectivè præscindere, consequenterque, quamvis prædicata Metaphisica rei sint una, & eadem indivisibilis entitas, poterunt admittere præcisionem objectivam. Min. probatur. Nam prædicata specificantia potentias specificè distinctas, objectivè distinguuntur, siquidem distinctio specifica potentiarum provenit à distinctione objectorum; sed prædicata realiter identificata specificant potentias specificè distinctas, ut conitat in veritate, & bonitate, quæ realiter identificantur in objecto, & prima specificat intellectum, & secunda voluntatem: ergò prædicata realiter identificata objectivè distinguuntur.

Confirmari poterat, & urgeri: quia inter genus, & illius differentias debet necessario concedi objectiva præcisio, & non solum, quæ se teneat ex parte actus: ergò inter animal, & rationale eadem deber admitti, quando quidem comparantur ut genus, & differentia. Antecedens probatur primo. Ex Arist. 3. *Metaph. textu* 10. ubi asserit differentias esse extra essentiam generis, quod etiam de ente, & essent. *cap.* 3. docet Angel. Doct. per ea verba: *Quod genus non est in differentia sicut pars essentiæ eius; sed solum sicut ens extra quidditatem, sivè essentiam, & ideò genus non prædicatur de differentia per se loquendo, ut dicit Arist. in* 3. *de Anima*: ergò inter genus, & differentias necessario concedenda est objectiva præcisio.

Secundo probatur antece: Si inter genus, & differentias non daretur objectiva præcisio,

ſio, ſed ſolum ex parte actus, non reſultaret ex illis compoſitio Metaphiſica, nam hæc non ſe tenet ex parte actus intellectus, qui realiter diſtinguntur; ſed ex parte ipſius objecti, in quo dantur prædicata ſuperiora, & inferiora, quorum aliqua comparantur ut potentia, & alia comparantur ut actus, ratione à potentia diſtincte, ex quibus ut ſic ratione diſtinctis reſultare debet Metaphiſica compoſitio; ſed ex genere, & differentia fieri compoſitionem Metaphiſicam, & communiter Logici tenent, & Ariſt. cum D. Thom. loco ſupra citato docet: ergo inter genus, & differentiam debet dari objectiva præciſio.

Explicatur: in ſpecie, quæ componitur ex genere, & differentia ex parte objecti invenitur Metaphiſica compoſitio; ſed Metaphiſica compoſitio diſtinctionem inter extrema componentia requirit; eò quod compoſitio eſt diſtinctorum unio: ergo ex parte objecti debet dari diſtinctio, aut præciſio objectiva. Probatur maj. compoſitio Metaphiſica non ſe tenet ex parte actus intellectus: ergo in ſpecie compoſita ex genere, & differentia ſolum ex parte objecti invenitur Metaphiſica compoſitio. Probatur antec. Tum quia compoſitio Metaphiſica fit ex actu, & potentia, & actus intellectus non comparantur per modum actus, & potentiæ, cum unus non actuetur verè per alterum: Tum etiam quia compoſitio Metaphiſica eſt inter ea, ex quibus reſultat ſpecies; ſed ſpecies non componitur, aut reſultat ex actibus intellectus: ergo compoſitio Metaphiſica non ex parte actus intellectus, ſed ex parte objecti ſe tenet.

Secundo concluſio noſtra efficaciter probatur ex doctrina adverſariorum: Nam ideo aſſerunt inter animal, & rationale, & alia hujuſmodi prædicata identificata realiter, non poſſe dari præciſionem objectivam, quia de his prædicatis verificarentur prædicata contradictoria, videlicet cognoſci, & non cognoſci, reſpondere, & non reſpondere ex parte objecti, quæ quidem contradictoria affirmant illi verificari non poſſe de eadem indiviſibili entitate; ſicut etiam de eadem entitate indiviſibili verificari non poteſt, quod producitur, & non producitur, quod exiſtit, & non exiſtit; ſed in eorum doctrina de animali, & rationali prædicata contradictoria verificantur: ergo in eorum doctrina concedenda eſt objectiva præciſio, aut fundamentum nullum eſt. Probatur

min

mi n. in eorum doctrina animal præſcinditur formaliter à rationali, & non præſcinditur formaler à ſe ipſo, & idem de rationali dicendum, & animal per unam cognitionem attingitur clarè, & rationale per eandem non clarè, ſed confuſe tantum attingitur. Animal ex vi unius cognitionis apparet intellectui, & rationale non apparet. Animal per unam cognitionem judicatur eſſe in homine, & per eandem non judicatur eſſe rationale; ſed hæc omnia, ut patet, contradictoria ſunt: ergò de animali, & rationali verificatur prædicata contradictoria in adverſariorum doctrina.

Reſpondent adverſarij, quod in eo ſenſu, in quo animal præſcinditur formaliter à rationali, etiam præſcinditur formaliter à ſe ipſo, & in eo ſenſu, in quo à ſe ipſo non præſcinditur, nec etiam à rationali præſcindi, nam per cognitionem, qua cognoſcitur animal, etiam attingitur rationale per ordinem ad actum ſentiendi, & per illam, qua cognoſcitur rationale per ordinem ad actum diſcutrendi, etiam animal cognoſci per ordinem ad eundem actum: unde eo modo quo unum attingitur, etiam attingitur alterum per ordinem ad eundem actum, vel ad idem connotatum, quamvis quando cognoſcitur animal in ordine ad ſenſationem, non cognoſcatur rationale per ordinem ad diſcurſum, ſed quid mirum! Cum in ordine ad diſcurſum animal non cognoſcatur; & eandem doctrinam applicant cæteris contradictorijs, quæ in ratione noſtra adducuntur, quia per illum actum, quo animal clare cognoſcitur in ordine ad exercitum ſentiendi, etiam clare cognoſcitur rationale in ordine ad prædictum exercitium, & ſi in ordine ad exercitium diſcurrendi ſolum cognoſcatur obſcurè, cæterum in ordine adhoc exercitium etiam animal obſcure cognoſcitur.

Hæc tamen ſolutio, quæ adverſariorum aſylum eſt, efficaciter impugnatur: quia animal in aliquo verò ſenſu præſcinditur formaliter à rationali, alias inter hæc prædicata non ſolum non erit vera objectiva præciſsio, verum etiam non erit vera præciſsio formalis, cumque animal in nullo verò ſenſu præſcindatur formaliter à ſe ipſo, in aliquo vero ſenſu erit præciſſum à rationali formaliter, in quo à ſe ipſo formaliter non præſcindit; ſed animal, & rationale ſunt una, & indiviſibilis entitas: ergò de eadem indiviſibilis entitate verifica-

catur præscindere formaliter, & formaliter non præscindere, quæ contradictoria sunt.

Respondebis: ai animal vere præscindere formaliter à rationali, quatenus rationale non attingitur per ordinem ad discursum, & in eodem sensu etiam formaliter à se ipso præscindere, quandò quidem ipsum animal per ordinem ad discursum non cognoscitur, quapropter numquam verificatur præscindere formaliter à rationali in aliquo sensu, in quo à se ipso formaliter non præscindat.

Sed contra est: quia quando animal cognoscitur in ordine ad actum sentiendi, ita apparet animal per cognitionem prædictam, quod potest intellectus illud affirmare de homine; sed per illam cognitionem non ita apparet rationale, quod possit intellectus illud verè affirmare de homine: ergò animal in aliquo vero sensu præscinditur à rationali formaliter, in quo non præscinditur formaliter à se ipso, nam unum ab altero formaliter præscindere, est taliter apparere, quod possit intellectus unum, & non alterum affirmare. Probatur min. per cognitionem prædictam non ita apparet rationale, quod intellectus possit affirmare de homine esse discursivum: ergò non ita apparet rationale, quod intellectus illud possit affirmare de homine, nam rationale affirmari non potest de aliquo, de quo simul etiam non dicatur, discursivum, cum sint unum, & indivisibile prædicatum, solo nomine distinctum. Probatur ant. Per cognitionem prædictam non apparet rationale per ordinem ad discursum, sed solum attingitur animal per ordinem ad exercitium sentiendi: ergò non ita rationale per illam cognitionem apparet, quod possit intellectus affirmare de homine esse discursivum, nam intellectus non potest affirmare de homine esse discursivum, nisi ordinem ad discursum cognoscat.

Secundò solutio principalis impugnatur: nam animal à rationali præscindi formaliter in aliquo vero sensu, est animal repræsentari intellectui, & ab eo cognosci in aliquo verò sensu, in quo non repræsentatur rationale, nec ab intellectu cognoscitur; sed sic de facto contingit; ergò animal in aliquo vero sensu à rationali præscinditur, in quo non præscinditur formaliter à se ipso. Probatur min. Nam quando cognoscitur animal in ordine ad exercitium sentiendi, animal ut tale repræsentatur intellectui, & rationale ut tale, &

quatenus explicatur nomine proprio non repræsentatur intellectui, quando quidem munus illius proprium est in ordine ad discursum: ergò min. vera est.

Tertiò impugnatur data solutio: quia si illius doctrina vera est, poterit una connexio realiter identificata cum altera præscindi ab alia formaliter, quin præscindat à se ipsa: ergò idem de animali, & rationali dicendum. Probatur anteced. Per illam cognitionem, qua animal attingitur in ordine ad exercitium sentiendi, attingitur connexio cum prædicto exercitio, & non attingitur connexio cum exercitio discursus, eo quod connexio non potest attingi, quin attingatur terminus connexionis, & discursus, qui est terminus connexionis non attingitur per cognitionem prædictam. Quapropter cognitio supradicta primam connexionem attingit, & præscindit formaliter à secunda; sed connexiones istæ realiter identificantur, cum distinctæ realiter non sint ab entitate animalis rationalis: ergò si contrariorum doctrina vera est, poterit una connexio realiter identificata cum alia præscindere ab alia formaliter, quin præscindat à se ipsa.

Addimus; similem contradictionem formari de simili, & dissimili, quæ verificantur de eadem entitate, ut plures adversarij fatentur absolute concedentes animal esse simile equo, & rationale esse dissimile, & in prædicari, & non prædicari, quæ verificantur etiam de eadem indivisibili entitate, nam in hac propositione, Petrus est animal, non prædicatur rationalitas de Petro: quod probamus. Nam non bene valet, Petrus est animal: ergò est rationalis, consequenterque dum prædicatur animalitas non prædicatur illativè rationalitas: ergò multo minus prædicabitur in sensu formali, proindeque de eadem entitate indivisibili verificatur prædicari, & non prædicari simul, quæ non minus contradictoria videntur, quam quæ nobis opponuntur.

Tertiò probatur conclusio. Quia potest animal cognosci, nullo modò cognita ipsa rationalitate: ergò animal, & rationale objective præscindunt. Prob. anteced. primo. Potest eadem entitas operari in quantum animal, quin operetur in quantum rationalis est, sicut patet in homine, dum operatur per sensum, & non per potentiam intellectivam: ergò poterit eadem entitas animalis rationalis cognosci secundum

dum quod animal, nullo modo cognita ipsa rationalitate. Patet conseq. Quia primum difficilius est quam secundum.

Secundo probatur antec. Potest eadem entitas esse ordinata ad unam operationem, & non esse ad eandem, ordinata v. gr. entitas hominis, quæ ut animal ordinatur ad exercitium sentiendi, & ut rationalis, non ordinatur ad prædictum exercitium: ergò poterit etiam cognosci, ut animal nullo modo cognita ipsa rationalitate.

Tertio probatur anteced. Potest eadem entitas cognosci in ordine ad exercitium sentiendi, quin cognoscatur in ordine ad exercitium discursus, non cognoscitur ut rationalis, nam dum non cognoscitur terminus habitudinis, non cognoscitur habitudo ad terminum, & rationalitas necessario importat habitudinem ad discursum, aut connexionem cum illo: ergò potest eadem entitas cognosci ut animal, nullo modo cognita ipsa rationalitate.

Dices: dum cognoscitur entitas hominis secundum quod animal, totam entitatem cognosci, & etiam attingit ipsam rationalitatem, non tamen per ordinem ad omnia connotata, sed solum per ordinem ad connotatum sentiendi.

Sed contra: quia si solutio hæc vera est, dum cognoscitur entitas secundum quod animal non attingitur sub expressione, & munere rationalis, eo quod rationale ut tale solum explicatur per ordinem ad discursum: ergò illa entitas pro expresso à rationalitate præscindit ex parte objecti, & consequenter ex parte objecti datur vera præcisio penes implicitum, & explicitum talem, cujus oppositum est, adversariorum intentum.

Respondebis: illam expressionem non referre ex parte objecti, sed solum ex parte intellectus, ac proinde ex quo animal pro expresso à rationali præscindat, non infertur dari præcisionem objectivam.

Sed contra est: quia expressio rationalis pertinet ad cognoscibilitatem objectivam: ergò si animal pro expresso præscindit à rationali, etiam objectivè præscindit. Probatur ant. primo Specialis connexio objecti cum termino, vel aliquo connotato pertinet ad cognoscibilitatem objectivam; sed expressio rationalis est specialis connexio, & cum termino speciali: ergò expressio rationalis pertinet ad objec-

tiam cognoscibilitatem objecti.

Secundo probatur antec. Dum non cognoscitur expressio rationalis, non cognoscitur objectum omnimodo, quo cognoscibile est ex parte objecti alias posset homo comprehensè cognosci, si solum cognosceretur sub expressione animalis, etiam si cognitio non attingeret rationale pro expresso, quod dicendum non est, & ratio est, quia tunc objectum comprehenditur, quando cognoscitur omnimodo, quo est cognoscibile ex parte objecti: ergò expressio rationalis pertinet ad cognoscibilitatem objectivam.

Tertiò. Homo sub expressione, & numere rationalis est principium discurrendi, & sub munere animalis non est principium discurrendi, sentiendi; sed esse principium discurrendi, & sentiendi se tenet ex parte objecti: ergò utraque expressio pertinet ad objectivam cognoscibilitatem.

Explicatur impugnatio: dum attingitur homo sub expressione animalis, id quod expressè cognoscitur, & ut expressè cognitum, se tenet ex parte objecti, siquidem ab illo prout sic specificatur cognitio, & idem dum cognoscitur homo sub expressione rationalis: ergò utraque expressio ad objectivam cognoscibilitatem pertinere debet.

Respondebis: expressiones illas non se tenere ex parte objecti, sed solum ex parte intellectus, quia hominem ut animal, & sub expressione ista esse principium sentiendi facit hunc sensum: homo per cognitionem animal apparet intellectui principium sentiendi, & per cognitionem rationale apparet principium discurrendi, quod idem est ac dicere, hominem per unam cognitionem exprimi totum ut principium sentiendi, & per alteram exprimi totum hominem ut principium discurrendi, quod nihil aliud est, quam expressiones esse distinctas solum ex parte intellectus diverso modo concipientis unum, & idem objectum.

Sed contra: quia dum homo cognoscitur sub expressione animalis correspondet illi diversa diffinitio objectiva, quæ rationali non correspondet sub expressione propria: ergò expressiones prædictæ se tenent ex parte objecti. Probatur antecedens. Sub expressione illa diffinitur animal esse principium sentiendi; sed prædicta diffinitio vere competit animali, & in ipso est objective, quæ tamen rationali

non

non convenit: ergò verum est antec. Prob. min. Quantum ad secundam partem. Prædicta diffinitio, sicut, & ipsum animal, est communis omni animali objectivè, quod negari non potest; sed rationale objectivè non est prædicatum commune, nec ipsius diffinitio objectivè communis est: ergò supradicta diffinitio non convenit objectivè rationali.

Explicatur impugnatio prædicta: homo secundum quod animal importat formaliter aliquid objectivè commune cuicumque animali; sed rationale formaliter non est prædicatum objectivè commune: ergò homo secundum quod animal non importat formalitèr objectivè rationale.

Secundò impugnatur data solutio: dum dicimus, hominem quia animal sentit, & non quia rationalis non asserimus, hominem sentire, ex quo illum cognoscimus ut animal, sed potius ideò hominem ex parte objecti sentire, quia ex parte objecti animal est: ergò dum dicimus, hominem, quia rationalis, est non sentire, non asserimus, hominem ut rationalem non sentire, quia illum sic concipiamus, sed quia verè ex parte objecti non sentit secundum quod rationalis: ergò formalitates, & expressiones animalis, & rationalis ex parte objecti se habent.

Explicatur formalitates illæ, de quibus affirmatur, & negatur prædicatum objectivum se habent ex parte objecti; sed de homine quatenus animal affirmatur sentire, & de illo quatenus rationalis est negatur sentire: ergò expressiones prædictæ se habent ex parte objecti.

Tertiò impugnatur data solutio: nam affirmare hominem esse intellectivum, eo quod animal objectivè, est falsum, & asserere ipsum esse intellectivum, eo quod in se, & objectivè est rationis, est verum: ergò dum homo concipitur ut rationalis habet aliquid objectivè, quod non habet, dum concipitur ut animal, & consequenter formalitates, vel expressiones animalis, & rationalis, ex parte objecti se tenent.

Tandem poterat conclusio nostra probari à paritate divinorum: nam in Deo Trinitas Personarum identificatur realiter cum natura, & existentia Divina; & tamen lumine naturæ cognoscitur, & ex vi talis cognitionis verè affirmatur Deum existere, non tamen cognoscitur Trinitas cognitione naturali, alias ex vi illius affirmari posset existere Trinitatem: ergò prædicata realiter in Deo identifica objectivè præcin-

cindunt. Quod idem de Divinis attributis dicendum; nam dum cognoscimus voluntatem, aliquid concipimus objectivè ab intellectu distinctum, & ad ipsum objectivè consequutum, & ideò voluntatem ex parte objecti verè per intellectum probamus. Et dum misericordiam concipimus aliquid etiam objectivè distinctum à justitia cognoscimus alias sicut absolutè est verum, Deum dare primam gratiam ex sua misericordia, ita etiam esset verum Deum dare primam gratiam ex justitia objectivè, & ex parte ipsius Dei, quando quidem ex parte Dei nulla admittitur distinctio, & præcisio inter justitiam, & ejus misericordiam.

§. III.

Argumentis contrariorum occurritur.

CONTRA prædictam conclusionem arguitur primò: quia idem non potest per rationem ratiocinatam à se ipso distingui, sed solum ratione ratiocinante, & quatenus vis nominatur, ut cum dicitur gladius, & ensis, sed animal, & rationale sunt idem realitèr: ergò non possunt ratione ratiocinata, & objectivè distingui. Probatur maj. primò. Nam distinctum ab aliquo non potest esse aliquid ipsius, sed id, quod est idem cum alio realiter est aliquid illius: ergò idem non potest ratione ratiocinata, & objectivè à se ipso distingui, sed solum ex parte intellectus diversimode concipientis, & diversimode nominantis.

Secundò probatur maj. Idem non potest esse plura, nam esse idem, & unum, & simul plura implicationem involvit; sed omnia distincta sunt plura: ergò idem non potest ratione ratiocinata, & objective à se ipso distingui.

Tertiò probatur major. Idem non potest esse plura secundum rem, ut per se patet, nec plura secundum rationem, alias esset plura entia rationis: ergò idem quod prius.

4. Si intellectus realiter indistincta actualiter distingueret, operatio intellectus esset chymærica, & falsa, siquidem ut distincta conciperet, quæ in re distinctionem non habent; sed hoc non concedimus: ergò idem.

5. Si intellectus inter animal, & rationale realiter identificata actualiter distingueret, mutaret intrinsecam cognoscibilitatem objecti, quando quidem unum, & idem ut plu-

ra

ra objecta cognoſceret; ſed intellectus intrinſecam cognoſcibilitatem objecti non mutat: ergò.

6. probatur. Qui attingit indiviſibile, aut totum, aut nihil attingit, & conſequenter in entitate indiviſibili non poteſt dari objectiva præciſsio, per hoc, quod unum, & non alterum attingatur; ſed prædicata realiter identificata ſunt eadem indiviſibilis entitas: ergò prædicata prædicta non poſſunt ratione, & objectivè præſcindi.

7. Diſtinctio inter prædicata realiter identificata reperta, non poteſt eſſe in objecto, ut à cognitione diſtincto: ergò talia prædicata non poſſunt ratione ratiocinata, & objective diſtingui. Prob. antec. Antequam prædicata realiter identificata actualiter cognoſcantur, non habet unum ex illis, per quod ſit aliud actualiter ab altero: ergò diſtinctio inter illa non poteſt eſſe in objecto, ut à cognitione diſtincto.

Reſpondetur ad argumentum negando maj.] & ad primam probationem diſtinguo maj. eo modo quo diſtinguitur, concedo maj. alio modo, nego maj. & ſub eadem diſtinctione minoris, negatur conſeq. Nam ea, quæ ſunt idem realiter, poſſunt præbere fundamentum, ut diſtinguantur actualiter per rationem, & ideò poteſt unum per rationem non eſſe aliquid alterius in eſſe objecti, ſed potius alio præciſum, & actualiter diſtinctum ab illo.

Ad ſecundam probationem maj. reſpondetur. Idem, & unum non poſſe eſſe plura eo modo, quo unum eſt; poſſe tamen idem realiter eſſe plura per rationem.

Ad 3. negatur ant. Nam idem realiter poteſt eſſe plura per rationem actualiter diſtinguentem, ex quo non ſequitur, quod idem realiter convertatur in plura entia rationis, ſed ſolum quod plura entia rationis fingantur in illo, ſicut defacto animali tribuimus intentionem generis, & rationali intentionem differentiæ.

Et ſi dicas: quod ens rationis non poteſt diſtingui diſtinctione reali, quia diſtinctio eſt paſsio entis, ſicut, & unitas: ergò ens reale non poterit diſtingui diſtinctione rationis: conſeq. à paritate notata eſt.

Reſpondetur: negando conſeq. Quia ens rationis non eſt capax prædicati realis, & ita non poteſt diſtingui diſtinctione reali, ſed ens reale eſt capax intentionis rationis, & ideò poteſt diſtingui diſtinctione rationis, non tamen quæ ſequatur ad entitatem realem ſubjectivè, &

prout in se, sed quæ sequitur ad entitatem realem objectivè, & quatenus una, & eadem entitas realis inadæquate attingitur secundum unam formalitatem, ut à se ipsa secundum alteram formalitatem præscindit.

Ad 4. respondetur, distinguendo maj. Si operatio esset assertiva distinctionis realis, concedo maj. si non sit, nego maj. & min. & illius conseq. Quia dum intellectus realiter, indistincta actualiter distinguit, non affirmat: ea esse distincta realiter, alias esset chymerica, & falsa, sed solum præcisivè unam formalitatem, & non alteram attingit, & propterea distinguit inter utramque, quæ distinctio est rationis, & cum fundamento in re, & si hanc affirmet intellectus, non ideò erit falsa cognitio, cum talis assertio, vera sit, & conformis objecto, dum distinctio per rationem invenitur.

Ad 5. negatur maj. Quia cognoscibilitas intrinseca objecti semper manet realiter immutata, & tantum cognoscibilitas per rationem mutatur negativè, quatenus objecta non distincta actualiter ante operationem intellectus fiunt per intellectum actualiter distincta, & ratione diversa.

Ad 6. respondetur: indivisibile, quod est etiam indivisibile per rationem, aut totum, aut nihil attingi, indivisibile tamen realiter posse esse divisibile per rationem in formalitates diversas, quarum quælibet est unum objectum, & sola potest attingi, & ideò tale indivisibile etiam posse per rationem secundum unam partem, aut formalitatem, & non secundum aliam terminare cognitionem.

Ad 7. negatur ant. & ad probationem distinguo consequens in objecto ante opus intellectus, concedo conseq. per intellectus operationem, nego conseq. Ex quo solum sequitur, quod in objecto non sit distinctio realis; non tamen quod in ipso ut distincto à cognitione non sit actualis distinctio rationis, licèt habita per actionem intellectus, ad quam tamen objectum præbet fundamentum in re.

Sed instabis: illa distinctio actualis provenit ab intellectu, juxta datam solutionem; sed distinctio, quæ ab intellectu provenit non se tenet ex parte objecti, sed ex parte cognitionis: ergò ratione distinctionis prædictæ non habetur objectiva præcisio, sed sola præcisio formalis, & ex parte intellectus. Probatur min. distinctio quæ ab intellectu provenit, non identificatur cum objecto, nec attingitur per actum, sed eadem

realiter est cum actu intellectus distinguentis; sed distinctio, quæ se tenent ex parte objecti identificatur cum illo formaliter in esse objecti, siquidem illud in esse objecti constituit, nam per ipsam objectum in esse objecti, sicut constituitur unum, constituitur etiam distinctum: ergò distinctio quæ ab intellectu provenit, non se tenet ex parte objecti, sed ex parte cognitionis.

Respondetur, distinguendo maj. provenit ab intellectu effective, concedo maj. formaliter, nego maj. & distinguo min. quæ ab intellectu provenit formaliter, concedo min. effectivè; nego min. & conseq. Distinctio namque, quæ provenit ab intellectu formaliter, non est distincta à cognitione intellectus, quia effectus formalis formæ non est distinctus à forma, & ideò talis distinctio non potest se tenere ex parte objecti, eo quod objectum in esse objecti non potest nec unum, nec distinctum constitui per actionem intellectus, quæ proprium objectum debet supponere constitutum per formam à cognitione distinctam, ne cognitio formaliter sit objectum sui ipsius. Quapropter distinctio illa, de qua in præsenti sermo est, & se tenet ex parte objecti, non provenit tanquam à formâ ab ipsa actione intellectus, sed solum provenit ab ea tanquam à causa efficiente, quatenus ex duobus prædicatis realiter identificatis attingit unum, & alterum non attingit, ad quam cognitionem resultat in ipso objecto unitas rationis intrinseca efficienter ab intellectu producta, per quam objectum tractum constituitur unum, & idem, diversum actualiter ab alio prædicato, quod non attingitur per cognitionem prædictam: unde cognitio illa dicitur cognitio practica, & practicè distinctiva, eo quod formam, & distinctionem actualem rationis inter objecta realiter identificata producit.

Sed instabis: potest animal, v. gr. cognosci, quin consequatur in ipso unitas prædicta rationis: ergò unitas, & distinctio, quæ in ipso est, dum non concipitur rationale, nihil aliud est, quam ipsa operatio intellectus distinguentis, consequenterque distinctio solum se habebit ex parte intellectus, non autem ex parte objecti. Probatur ant. primo. Potest ens reale concipi sine unitate reali, ut quando concipitur natura multiplicata realiter, una tantum per rationem: ergò poterit etiam animal cognosci, quin consequatur in ipso uni-

tas prædicta rationis, quia majorem connexionem videtur habere ens reale cum unitate reali, quam prædicatum reale animalis cum unitate rationis.

Secundo probatur antec. Potest cognosci animal, quin attingatur rationale realiter identificatum cum ipso, quia conceptus unius non est conceptus alterius; sed etiam conceptus animalis non est conceptus ipse unitatis rationis: ergò poterit animal cognosci, quin in ipso consequatur unitas prædicta rationis.

Respondetur ad replicam: negando aot. & ad probationem negatur conseq. Quia ut ens reale sit objectum cognitionis, sufficit, quod apprehendatur ut unum unitate in esse objecti, ad quod satis est, quod attingatur ut unum sola unitate rationis, ut contingit, quando ex duobus realiter identificatis, aut realiter conjunctis, unum, & non aliud attingitur, & ideò potest ens reale attingi sine unitate reali, & ut unum per rationem, sicut natura humana Petri attingitur sine unitate reali, quam in Petro habet, quando attingitur præcisivè, & ut una in ordine ad omnia individua, in quibus inveniri potest; quandò vero prædicatum animalis attingitur præcisivè, objectum cognitionis prædictæ est solum animal, ut ab omni alio distinctum etiam à rationali secundum identificato, & ideò ad talem cognitionem non potest non consequi unitas animalis distincta ab unitate rationalis, quæ propterea est unitas rationis, cum non invenitur in re, eo quod in re eadem est unitas utriusque. Ex quo constat, in esse rei majorem connexionem habere ens reale cum unitate reali, quam cum unitate rationis, siquidem in re potest esse sine secunda, & nequit esse sine prima; in esse tamen objecti potest prædicatum reale animalis cognitum præcisivè carere prima, & nequit carere secunda, & ideò in esse objecti majorem connexionem habet tale prædicatum cum unitate rationis.

Ad 2 probationem dist. min. animalis in se, conc. min. in esse objecti, neg. min. Quia animal secundum se, & in se ipso importat prædicata viventis sensibilis, de quorum conceptu non est unitas rationis; ut objectum tamen cognitionis præscindentis importat se ipsum solum ut distinctum à rationali, & ut sic est unum tantum per rationem consequenterque de illius conceptu in esse objecti est unitas rationalis, qua in esse objecti constituitur, quæque ad

ope-

operationem præscindentem consequitur, & per illam exercite saltim cognoscitur.

2. arguitur, eo animal objectivè à rationali præscinderet, quia potest ipsum cognoscere, quin cognoscat rationale; sed hæc ratio nulla est: ergò non potest animal à rationali objectivè præscindere. Probatur min. primò. Potest intellectus attingere Angelum materialem, quin cognoscat, an sit verum ens, vel chymæra; & tamen non potest intellectus præscindere Angelum materialem à chymæra, vel ente: ergò quamvis intellectus noster possit animal cognoscere non cognito rationali, non inde infertur objectiva præcisio.

Secundò probatur min. Potest intellectus cognoscere essentiam, non cognoscendo illam secundum rationem naturæ, & potest cognoscere diffinitum, quin definitionem cognoscat, & substantiam potest cognoscere, quin attingat rationem entis; & tamen inter omnia prædicata non præscindit objectivè: ergò idem quod prius.

Tertiò prob. Voluntas attingit bonum, quin attingat verum, & visus colorem attingit, & non rationem entis cum illo identificatam: & tamen potentiæ prædictæ non præscindunt objectivè: ergò.

Quartò: Potest intellectus noster attingere Divinum intellectum, quin attingat voluntatem, & justitiam Divinam, quin misericordiam attingat, & tamen inter ista non præscindit objectivè, alias inter prædicata Divina daretur distinctio ex parte objecti, & consequenter ex parte objecti daretur compositio, si quidem compositio est distinctorum unio: ergò idem.

Confirmatur argumentum: dum intellectus cognoscit animal, non potest objectivè non cognoscere verè, & realiter rationale: ergò non potest inter utrumque objectivè præscindere. Probatur antec. Si intellectus attingeret animal, & non attingeret verè, & realiter rationale, identificaretur realiter animal cum duobus extremis realiter distinctis; sed talis identitas in creatis implicatoria est: ergò dum attingit animal, attingit verè, & realiter objectivè rationale. Prob. mai. animal esset realiter cognitum, & identificaretur realiter cum cognito, & cum ipso rationali; sed rationale realiter distingueretur à cognito, si quidem rationale non esset realiter cognitum: ergò animal

identificaretur realiter cum duobus realiter distinctis, videlicèt cum cognito, & cum ipso rationali.

Respondetur ad argumentum, negand. min. & ad probationem, distinguo min. præscindere pro implicito, concedo min. pro explicito, nego min. & conseq. Nam dum intellectus concipit Angelum materialem pro implicito nequit præscindere à chymera, vel ente, quia vel talis Angelus est possibilis, & ita non præscindit ab ente, possibili, vel ille Angelus est impossibilis, & sic pro implicitò non præscindit à chymæra. Verum tamen pro expresso, & imperfectè ab uno, & altero præscindit ex parte objecti: undè inter talia prædicata datur præcisio objectiva, quamvis imperfecta sit.

Ad secundam probationem min. Respondetur aliqui Thomistæ essentiam, & naturam esse synonoma significantia eandem rem absque ulla distinctione objectiva, & ideò mirum non esse, quod objectivè etiam imperfectè non præscindant, sed solum differant ratione ratiocinante eandem formalitatem objectivam diversi mode concipiente.

Sed solutionem istam non possumus approbare, verius namque judicamus essentiam, & naturam esse conceptus inadæquatè distinctos, quia essentia constituitur per ordinem ad esse; natura verò per ordinem ad operationem, quæ non possunt non inadæquatè distingui: unde anima duplici diffinitione diffinitur prima quidem, ut essentia in ordine ad materiam, & esse, qualis est illa actus corporis physici organici potentia vitam habentis, secunda autem ut natura, & in ordine ad actum, ut dum dicitur, qua vivimus, sentimus, loco movemur, & intelligimus. Et propterea dum D. Thom. probat Deum esse intellectivum, quia immaterialis est, demonstrativè concludit probando secundum conceptum per primum inadæquatum, per immaterialitatem videlicèt, in qua Dei essentia consistit; & talem distinctionem inadæquatam inter naturam, & essentiam expressè 1. part. quæst. 39. art. 2. ad 3. traddit Ang. Doct. Quapropter.

Ad secundam probationem min. respondetur: inter essentiam, & naturam, diffinitum, & ejus diffinitionem, & substantiam, & ens, intellectum objectivè præscindere, non quidem perfectè præcisione excludentis, & excluſi, sed præ

præcisionè objectiva imperfecta, penes implicitum videlicèt, & explicitum, quatenus unum prædicatum non exprimit alterum in esse objecti, licèt ipsum implicet includat, & ad hanc præcisionem imperfectam datur in re fundamentum, & ideò secunda probatio minoris nihil ad intentum concludit.

Objiciter tamen notandum est: inter animal, & rationale non solum dari veram præcisionem objectivam imperfectam penes implicitum, & explicitum, sed etiam præcisionem perfectam excludentis, & exclusi; si tamen rationem inquiras de differentia præcisionis, ea est, quod animal secundum proprium conceptum absolutè negatur de rationali, & rationale in esse objecti negatur de animali, nam sic accepta hæc prædicata appellant conceptum proprium, qui essentialiter distinctus est adæquatè in doctrina Div. Thom. Ens verò, & possibile, & intelligibile, & immateriale sunt prædicata transcendentia, quæ non possunt absolutè negari de rebus etiam secundum conceptum proprium, & acceptis præcisivè, nam de substantia secundum proprium conceptum negari non potest, quod si ens immaterialis, & vera, quamvis tales formalitates non explicet, & idem de diffinito, & definitione dicendum, & propterea inter alia prædicata solum datur præcisio objectiva imperfecta, non verò perfecta excludentis, & exclusi; quam nos etiam inter animal, & rationale statuimus, & si ad veritatem conclusionis salvandam, necessaria non sit, quia adversarij etiam præcisionem objectivam imperfectam, concedere nolunt.

Ad tertiam probationem min. principalis respondetur: alias potentias ab intellectu distinctas attingere unum, & non alterum negativè, quia earum virtus non potest ad aliud extendi, sed non faciunt positivam præcisionem, & distinctionem inter utrumque dividendo conceptum proprium utriusque, sed solum ex prædicatis realiter identificatis, & solum per intellectum actualiter distinctis, unum, & non alterum attingunt.

Ad quartam probationem respondetur inter Divina prædicata dari quidem præcisionem objectivam non perfectam excludentis, & exclusi, quæ maximam imperfectionem importat, sed præcisionem objectivam imperfectam penes implicitum, & explicitum. Ex

quo

quo tantum sequitur dari ex parte objecti imperfectam, & dialecticam compositionem ex prædicatis, quorum unum non explicat alterum, quamvis alterum includat.

Ad confirmationem verò argumenti negatur antec. & ad ejus probationem negatur maj. & ad probationem min. quia licèt rationale non esset realiter cognitum formaliter, esset tamen realiter cognitum identicè: & ideò non distingueretur à cognito realiter. Vel alijs terminis dicimus, quod rationale non esset realiter cognitum denominativè, esset tamen realiter cognitum entitativè, & ita non esset à cognito realiter entitativè distinctum; quando namque eadem entitas secundum unam formalitatem, & non secundum aliam cognoscitur, solum ea formalitas, quæ attingitur, denominatur cognita realiter, non verò alia formalitas, quæ non tangitur, & propterea ea realiter non est alia quantum ad denominationem; entitativè tamen semper est idem cum alia, quia ex quo eadem entitas subindùat denominationes reales distinctas, non infertur entitatem esse distinctam. Instantia est in contrariorum doctrina, nam ipsi asserunt, eundem realiter hominem esse similem realiter equo secundum quod animal, & non esse similem, quatenus rationalis est. Et similiter species Angeli modo intuitivè realiter repræsentat objectum existens, quod tamen antecedenter non repræsentabat intuitivè realiter; & tamen entitas speciei eadem perseverat: & materia propriori ad formam non dicitur realiter unita, & conjuncta, quin ex diversitate realis, & distinctæ denominationis distincta entitas inferatur. Et omnium ratio ea est, quod prædictæ denominationes non important entitatem absolutè sumptam, sed illam ut connotantem obliquum, & consequenter secundum diversa connotata variantur absque ulla mutatione entitatis, proindeque ex quo rationale non sit realiter animal ut cognitum, vel ut terminat cognitionem, non infertur non esse realitèr entitativè idem cum ipso animali, sed solum realiter terminativè, vel quantum ad denominationem, aut quantum ad entitatem formaliter ut connotantem, & terminantem cognitionem intellectus.

Dices: benè valet: quod terminat cognitionem est prædicatum animalis; sed rationale est idem cum prædicato animalis: ergò rationale termi-

minat cognitionem, consequenterque, aut rationale non est idem entitativè cum prædicato animalis, aut est idem cum cognito, & cum animali ut terminante cognitionem intellectus.

Respondetur conseq. in prædicto syllogismo non benè inferri ex præmissis, sed potius syllogismum peccare fallatia accidentis, eo quod procedit ab identica ad formalem, nam ex quo rationale sit idem entitativè cum animali, infert etiam esse idem formaliter, & in terminando cognitionem intellectus, quod ut vidimus ita non est.

Tandem arguitur: Si animal, & rationale præscinderent objectivè verificarentur de eadem entitate prædicata contradictoria; sed prædicata contradictoria verificari non possunt de eadem entitate, alias de eadem entitate verè affirmaretur, & negaretur verè idem formaliter prædicatum: ergò præcisio objectiva inter animal, & rationale admittenda non est. Probat. maj. Si inter animal, & rationale daretur objectiva præcisio, cognosceretur animal, & non cognosceretur rationale, quorum entitas eadem est; sed cognosci, & non cognosci sunt prædicata contradictoria: ergò prædicata contradictoria verificarentur de eadem entitate.

Respondetur distinguendo maj. de eadem re, & diversa ratione, conc. maj. de eadem re, & ratione, neg. maj. & dist. min. de eadem re, & ratione, conc. min. de eadem re, ratione tamen diversa, neg. min. & conseq. Quia quamvis animal, & rationale sint eadem realiter entitas sunt tamen per intellectum actualiter distincta, & fundamentaliter à parte rei, quod satis est, ut de illis absque ulla contradictione, contradictoria verificari possint. Quam solutionem sæpè repetit Div. Thom. in summa suæ Theologiæ, & maximè dum agit de Personis, & essentia Divina.

Et argumentum hoc solvendum est à contrariis, quia sicut cognosci, & non cognosci sunt prædicata contradictoria, ita etiam contradictoria sunt, cognosci clarè, & non cognosci clarè, apparere, & non apparere, judicari, & non judicari, præscindi formaliter, & non præscindi: esse similem, & non esse similem, prædicari, & non prædicari. De quibus in secunda ratione, qua conclusionem probavimus; & tamen ea omnia prædi-

dicata verificantur de eadem realiter entitate in contrariorum doctrina: ergò ab illis ſolvendum eſt argumentum.

Sed inſtabis: Diſtinctio rationis non ſufficit, ut de eadem entitate animalis, & rationalis verificentur contradictoria prædicata: ergò ſolutio nulla eſt. Probat antecedens primò. Diſtinctio prædicta non ſufficit, ut animal non ſit realiter id, quod eſt realiter rationale: ergò non ſufficit, ut de eadem entitate animalis, & rationalis contradictoria verificentur. Probatur antec. Diſtinctio prædicta non ſufficit, ut animal non ſit realiter rationale: ergò non ſufficit, ut animal non ſit realiter id, quod eſt realiter rationale.

Secundò probatur antec. Diſtinctio prædicta ſatis non eſt ut verificetur eandem entitatem exiſtere, & non exiſtere, produc, & non produci: ergò non ſufficit, ut alia contradictoria verificentur de eadem entitate.

Tertiò: Diſtinctio realis inter extrema eſſentialiter connexa non ſufficit, ut unum, & non alterum cognoſcatur, ut patet in relativis: ergò idem, quod prius.

Quartò. Si prædicata contradictoria verificari poſſent de eadem entitate ſola diſtinctione rationis, poſſe aliquod prædicatum affirmari de ſubjecto, & non dici de omni identificato cum illo, & negari de ſubjecto, & non negari de omni cum illo identificato; ſed hoc eſt artem ſyllogiſticam evertere fundatam in illis principijs, dici de omni, & dici de nullo, quæ ſunt eadem unitertio ſunt eadem inter ſe: ergò diſtinctio rationis non ſufficit ut poſsint de eadem entitate animalis, & rationalis verificari contradictoria prædicata.

Reſpondetur ad replicam negando antec. & ad primam prob. diſtinguo antec. quantum ad omnia, concedo anteced. Quantum ad aliqua, nego antec. & ad probationem conceſſo antecedenti, negatur conſeq. Sub dictione prædicta: Diſtinctio namque rationis non ſufficit, ut animal non ſit realiter illud omne, quod eſt realiter rationale, ſiquidem diſtinctio prædicta non ſufficit, ut animal non ſit realiter exiſtens, & realiter entitas, quæ omnia eſt realiter rationale; ſufficit tamen diſtinctio prædicta rationis, ut animal non ſit realiter aliquid, quod eſt realiter rationale v. g. ut non ſit realiter cognitum, quando rationale cognoſcitur realiter. Ratio autem ea eſt,

quia

quia inter ea, quæ poſſunt affirmari, vel negari, alia pertinent ad rem prout in ſe, alia verò pertinent ad rationem, in qua tàm inter ſe, quàm in ſubjecto diſtinguuntur, & in ordine ad prædicata primi generis non poteſt animal non eſſe realiter id, quod eſt realiter rationale, ut conſtat in exemplo ſupra adducto; in illis verò, quæ pertinent, ad rationem in qua extrema in ſubjecto, & inter ſe diſtinguuntur, poteſt aliquid non convenire, & alterum realiter convenire, & animal non eſſe realiter id, quod eſt realiter rationale, quia illud, quod eſt realiter rationale convenit illi ſecundum rationem ſibi propriam, per quam ab animali diſtinguitur, & ideò animal non eſt realiter illud; cumque eſſe realiter cognitum competat rationali ſecundum rationem ſibi propriam per quam ab animali diſtinguitur, inde fit, poſſe animal: non eſſe realiter cognitum per actionem, qua cognoſcitur rationale, & ita poteſt non eſſe realiter illud, quod eſt realiter rationale. Per quod conſtat ad ultimam probationem; nam animal non eſſe realiter rationale pertinet ad animal in ſe ipſo, & ideò numquam poteſt eſſe verum abſolutè, animal non eſſe realiter rationale.

Secundò ad eandem probationem reſpondetur, diſtinguendo antec. realiter entitativè, concedo antec. realiter connotativè, vel terminativè, nego antec. & conſeq. Quia diſtinctio rationis ſufficit ut extremum realiter identificatum cum altero non ſit alterum terminativè, vel connotativè, aut denominativè, ſicut idem entitativè actus neceſſarius Dei ſola diſtinctione rationis, quatenus neceſſarius eſt non terminatur realiter ad creaturas, & quatenus liber realiter terminatur ad illas; & eadem divina cognitio non eſt realiter intuitiva poſsibilium, eſt tamen realiter intuitiva Deitatis; eodem igitur modo eadem entitas animalis rationalis, ut animal eſt non terminat realiter cognitionem, quam tamen terminat, quatenus eſt rationalis, & ideò animal terminativè non eſt realiter aliquid, quod eſt realiter rationale.

Ad ſecundam verò probationem antec. negatur conſeq. Quia produci, & non produci, exiſtere, & non exiſtere non conveniunt rebus ſecundum formalitates, in quibus invenitur diſtinctio; ſed appel-

lant

lant entitatem ipsam materialiter acceptam, eo quod producere rem est illi communicare existentiam, per quam constituitur extra omnes suas causas; & si semel unum prædicatum realiter identificatur cum alio constituitur extra causas, etiam alterum extra causas constituitur, cum existentia totam entitatem afficiat, & in illa recipiatur, & ideò non possunt de eadem entitate verificari contradictoria supradicta, produci videlicèt, & non produci existere, & non existere; alia verò contradictoria quæ supra memoravimus, non appellant entitatem materialiter acceptam, sed illam secundum formalitates diversas, aut terminationes distinctas, in quibus habetur distinctio, & ita dispar est ratio.

Insuper etiam paritas supra facta solvenda est à contrarijs: Nam ipsi concedunt, Deum amare entitatem peccati, & non amare malitiam, potentiam visivam attingere colorem. & non bonitatem illius, animal esse simile equo, & non rationale, & tamen nolunt concedere eandem entitatem posse existere, & non existere: ergò disparitatem inter contradictoria prædicta assignare tenentur.

Rursus: de produci, & non produci tenentur etiam assignare discrimen, siquidem ipsi affirmant, visionem beatam non produci ab intellectu creato virtute naturali, quatenus visio super naturalis est, produci tamen ab illo, quatenus est vitalis. Et tandem in ordine ad causam primam præcisivam in operando non est universaliter verum, siquidem ipsa producit entitatem peccati, & non producit malitiam, quæ ab entitate prout in re, & materialiter distincta non est.

Ad tertiam probationem antec. negatur conseq. Quia in correllativis unum est de conceptu, & intellectu alterius saltim in obliquo, eo quod totum esse unius est in ordine ad alterum, & propterea non potest unum sine altero cognosci; sed rationale non est de codceptu, intellectu animalis, nec ècontra sed potius unum est extra conceptum alterius, cum totum esse animalis adæquatè intelligatur per ordinem ad exercitium sentiendi, & non per ordinem ad discursum, qui terminus est adæquatus hominis secundum quod rationalis.

Ad quartam probationem distinguo maj. de subjecto, ut distincto per rationem, concedo

cedo maj. de illo ut à parte rei, & adæquatè accepto, nego maj. & min. & illius conſeq. Nam quidquid dicitur de ſubjecto, prout à parte rei, & quatenus eſt unum, & idem, debet affirmari de omni identificato cum illo, & hoc tantum aſſerit principium dici de omni, & proportionabiliter intelligendum eſt principium dici de nullo; poteſt tamen aliquid affirmari de ſubjecto, ut per rationem diſtincto, & negari de alio identificato cum ipſo, & hoc eſt, quod in præſenti contingit, nam cognoſci affirmatur de animali ut à rationali diverſo fundamentaliter à parte rei, & actualiter per intellectum exercitè diſtinguentem, & ideò poteſt de rationali negari.

Sed inſtabis: ergò poteſt fieri ſyllogiſmus rectè conſtructus in *Barbara*, cujus conſeq. bona non ſit. Probatur conſeq. in ſequenti ſyllogiſmo: *Omne animal immediatè, & formaliter cognoſcitur illo actu; ſed omne rationale eſt animal: ergò rationale cognoſcitur illo actu.* En ſyllogiſmum in *Barbara*, cujus utraque præmiſſa eſt vera, & conſeq. negatur à Thomiſtis: ergò antec. verum eſt.

Sed ecce alium ſimilem ſyllogiſmum in *Barbara*: *Omne animal immediatè, & formalitea eſt ſimile equo; ſed omne rationale eſt animal: ergò omne rationale immediatè, & formaliter eſt ſimile equo.* Cujus utraque præmiſſa eſt vera, & conſeq. negatur à Recentioribus: ipſi ergò reſpondere debent ad utrumque ſyllogiſmum.

Pro omnibus: ergò reſpondemus, utrumque ſyllogiſmum peccare fallacia accidentis, quia procedit ab identica ad formalem, eo quod ex identitate reali materiali inter animal, & rationale infert identitatem rationis, vel utrumque prædicatum eſſe idem in eſſe objecti, & in terminando cognitionem intellectus.

Sed inſtabis; Quia ſi doctrina data vera eſt, nulla extremitas debet ratione diſtingui à medio, ut conſeq. ſit bona: ergò ut ſyllogiſmus bona conſeq. ſit debet præciſè conſtare terminis purè ſynonomis, quod eſt artem ſyllogiſticam evertere, cum ſyllogiſmi terminos prædictos habentes non ſint verè demonſtrationes.

Reſpondetur negando conſeq. Non enim ex Doctrina data ſequitur, nullam extremitatem debere eſſe per rationem à medio diſtinctam, ſed

sed solum extremitatem non debere convenire medio, ut ratione distincto ab altera extremitate, qui ex quo extremitas conveniat medio ut ratione distincto ab altera extremitate, non infertur, quod alteri extremitati conveniat, sed potius infertur oppositum, nam ex unione extremitatis cum medio ab altera extremitate distincto, non potest inferri connexio cum altera extremitate, ut contingit in prædictis syllogismis.

Sed instabis: ergò non benè concluditur in syllogismo sequenti: *Omnis homo currit; omne risibile est homo: ergò omne risibile currit.* Quia risibile competit homini ut à cursu distincto. Et similiter non erit bona conseq. Syllogismus, qui sequitur: omne rationale est discursivum: hoc animal est ratione; ergo hoc animal est discursivum, siquidem una extremitas, videlicèt discursivum convenit rationali ut ab animali distinguitur, alias etiam animali quatenus tali competeret discursivum, & consequenter omni animali competeret.

Respondetur, negando conseq. Quia risibile competit homini ut cursu distincto specificativè, sed non reduplicativè, ideſt, convenit homini secundum propriam rationem, qua distinguitur ab omni alio; sed non quia distinguitur, eo quod ratio, & causa propter quam convenit non est ipsa distinctio, alias omni distincto conveniret etiam ipsi Deo, & omne animal esset risibile, nam omne animal realiter à cursu distinguitur. Et similiter discursivum competit rationali, ut ab omni alio specificativè distincto; sed non reduplicativè, nam ratio quare discursivum competit rationali, non est ipsa distinctio rationalis ab animali, alias omni ab animali distincto conveniret discursivum, quapropter nulla ex his extremitatibus convenit medio reduplicativè, ut distincto per rationem ab altera extremitate, quod erat necessarium, ut conseq. bona non esset.

Secundò poterat responderi, quod licèt in syllogismis supradictis risibile conveniat homini ut à cursu distincto, & discursivum competat rationali ut distincto ab animali, non tamen hoc solum modo conveniunt, sed etiam conveniunt medio realiter sumpto, & secundum hanc rationem de illo affirmantur; cumque illi realiter sumpto alia etiam extremitas conveniat, inde fit, in his, & similibus syllogismis bonam esse consequentiam.

Ex

Ex dictis constat: in doctrina contrariorum non posse artem syllogisticam subsistere, siquidem juxta illam nunquam arguitur ab identica ad formalem, & consequenter plurimi syllogismi, qui sine dubio sunt defectuosi apud omnes essent bonæ consequentiæ cum aliunde regulæ artis syllogisticæ non servantur in illis, ut facillimè discurrenti constabit.

ARTICULUS V.

Utrùm à parte rei detur natura universalis formaliter?

§. I.

Quibusdam præsuppositis statuitur negativa conclusio.

AD intelligentiam articuli primo supponendum est: naturam aliquam posse dici unam in multis, aut pluribus communem, positivè, vel negativè, positivè quidem, quando natura una in se manens in pluribus reperitur, & illis communis est: negativè vero, quando natura non est appropriata alicui singulari in re, & quatenus illi non repugnat pluribus communicari, quod habet natura humana, & quæcumque alia natura, cum per intellectum abstrahitur ab individuis, & consideratur ut una potens existere in pluribus, & de omnibus prædicari.

Secundo notandum est: Naturam considerari posse in triplici statu, videlicèt secundum se, in singularibus, & etiam in intellectu. Naturæ secundum se conveniunt prædicata quidditativa positiva, quæ sunt de illius essentia, & etiam prædicata negativa, quæ in essentia fundantur, sicut homini secundum se competit esse animal rationale, & non esse irrationale, & hujusmodi prædicata in quocumque statu debent convenire naturæ. Eidem etiam in singularibus competunt prædicata accidentalia realia, ut homini esse doctum, esse virtuosum, & alia; in intellectu vero conveniunt naturæ prædicata ficta, quæ illi attribuuntur per actionem intellectus, qualiter homini competit esse speciem, & animali esse genus, & vocibus convenit esse subjectum, vel prædicatum.

His ergò prælibatis inquirimus in præsenti, utrùm detur à parte rei natura aliqua pluribus positivè communis; ita ut una manens reperiatur in pluribus, aut sit apta positivè ad essendum in illis, in qua parte prima sententia affirmat à parte rei inveniri prædictam naturam unam in pluribus positivè; illam

lam defendit Scotus, quem discipuli sequuntur. Secunda sententia asserit, naturas à parte rei non esse universales formaliter, sed solum per intellectum abstrahentem naturam à singularibus, in quibus multiplicata invenitur. Ita omnes Thomistæ cum quibus.

§. II.

NOSTRA CONCLUSIO.

CONclusionem istam opus. 55. docuit Angelic. Doct. & de ente, & de essentia, *cap.* 4. cujus ratione probatur. Si daretur à parte rei natura aliqua pluribus positivè communis, una in pluribus, aut positivè apta ad essendum in illis, hoc haberet secundum se, vel quatenus in singularibus reperitur, quia natura à parte rei, & ante operationem intellectus tantum considerari potest secundum se, vel quatenus in singularibus est; sed nullo modo datur à parte rei natura pluribus positivè communis, vel apta positivè ad essendum in illis: ergò nullo modo datur à parte rei natura universalis formaliter.

Min. duas habet partes, prædictam videlicet communitatem non convenire naturæ secundum se, vel illi prout in singularibus est, & quoad primam probatur. Quia quod competit naturæ secundum se competit in omni statu, quod enim ita convenit naturæ est de illius essentia, & consequenter semper convenit illi, & propterea semper, & in omni statu competit homini esse animal rationale, quia talia prædicata conveniunt homini secundum se, vel secundum suam essentiam; sed esse communem pluribus positivè, vel aptam positivè ad essendum in illis servata unitate, non competit naturæ in omni statu, siquidem non convenit illi prout in singularibus est, ut ex sequenti probatione constabit: ergò non convenit etiam naturæ secundum se.

Quantum ad secundam vero partem, illi videlicèt ut in singularibus non convenire etiam convincitur: quia natura prout in singularibus non est una, sed potius multiplicata realiter, & insuper, ut in ipsis est determinata, & contracta, non autem indifferens, ut per plura determinetur: ergò prædicta universalitas, & communitas non convenit naturæ prout in singularibus est.

Confirmatur, & explicatur ratio prædicta: natura divisa, & mul-

multiplicata realiter, non eſt realiter communis, & una; ſed natura à parte rei ſemper, & pro omni inſtanti diviſa eſt, & multiplicata realiter, quia natura à parte rei ſemper, & in omni inſtanti in ſingularibus eſt: ergò natura à parte rei non eſt una, & pluribus poſsitivè communis.

Confirmatur ſecundo, & urgetur ratio noſtra: quia Petrus, & Paulus à parte rei non ſunt unus, ſed plures homines: ergò non datur in Petro, & Paulo à parte rei natura humana, & utrique communis. Probatur conſeq. Quia ſi daretur à parte rei natura humana una, & utrique communis non dicerentur plures homines, ſed unus homo, eo quod ſubſtantiva non poſſunt pluraliter dici; non multiplicata forma; homo verò nomen ſubſtantivum eſt, & forma ſignificata eſt ipſa natura humana: ergò ſi natura humana eſſet una in Petro, & Paulo, & communis utrique, non dicerentur plures homines, ſed unicus tantum homo, ſicut tres Divinæ Perſonæ non dicuntur plures Dij, ſed ſolum unicus Deus.

Confirmatur ulteriùs: Natura humana Petri diſtinguitur realiter à differentia propria Pauli, & ab eius hæccitate: ergò etiam à natura Pauli, & conſequenter in Petro, & Paulo non datur una natura, quæ ſit utrique communis, ſed potius diſtincta realiter. Probatur conſeq. Quia natura Pauli identificatur cum differentia propria Pauli, & illius hæccitate: ergò ſi natura Petri realiter diſtincta eſt à differentia propria Pauli; erit etiam realiter à natura Pauli diſtincta; ſicut quia motus identificatur cum paſsione, ſi actio eſſet realiter à paſsione diſtincta, eſſet etiam à motu diſtincta realiter: at contra ſi Petrus, & Paulus ſunt idem realiter in natura, erunt etiam idem realiter inter ſe, nam quæ ſunt eadem uniertio, ſunt eadem inter ſe.

Reſpondebis cum Scoto, & diſcipulis illius: Naturam humanam in Petro, & Paulo non eſſe unam realiter, ſed realiter diviſam; eſſe tamen unam formaliter, eo quod Petrus, & Paulus non differunt formaliter in natura, & hoc ſufficere, ut detur à parte rei natura una, & univerſalis formaliter.

Contra tamen eſt: Quia benè valet: natura humana in Petro, & Paulo non eſt una realiter: ergò non eſt una realiter formaliter, nam in prædicta conſequentia arguitur à ſuperiori ad inferius negativè, à negatione videlicèt unitatis realis

ad negationem unitatis realis formalis, quæ aliquid inferius est; siquidem unitas realis dividitur in numericam, & formalem: ergò si natura humana in Petro, & Paulo non est una realiter, non erit etiam realiter formaliter una.

Contra secundo: Quia ex quocumque capite natura humana sit realiter divisa in Petro, & Paulo non erit realiter positivè una, nam unum positivè, non solum excludit distinctionem formalem, sed quamcumque veram distinctionem excludit, quomodo enim erit verè positivè aliquid unum, si verè positivè est divisum? Sicut non potest aliquid esse verè vivum, si ex aliquo capite est verè mortuum: ergò si natura humana in Petro, & Paulo est divisa realiter, & si numericè, non poterit esse positivè una formaliter.

Explicatur impugnatio: duplex entitas distincta realiter quamvis non sit formaliter distincta, non tamen potest esse positivè una formaliter: ergò si natura humana in Petro, & Paulo realiter multiplicatur entitativè, non erit una formaliter positivè. Prob. ant. Ubi datur vera duplicatas positiva, non potest dari vera unitas positiva; sed duplex entitas distincta realiter est vera duplicitas, & vera dualitas positiva: ergò duplex entitas distincta realiter, quamvis non sit formaliter distincta, non poterit esse positivè una formaliter.

Explicatur ulterius: quoties prædicata formalia multiplicantur, etiam multiplicatur unitas formalis, nam unitas formalis sequitur ad prædicata formalia; sed in Petro, & Paulo multiplicantur prædicata formalia humanæ naturæ, siquidem animal rationale repertum in Petro realiter distinctum est ab animali rationali, quod in Paulo reperitur: ergò non datur in Petro, & Paulo natura humana positivè una formaliter.

§. III.

Solvuntur argumentum contra prædictam rationem.

ARguitur contra rationem prædictam. Quia potest aliquod prædicatum convenire naturæ secundum se, & in aliquo statu non convenire: ergo ratio facta nititur principio falso. Probat. ant. primò. Quantitati secundum se convenit divisibilitas, & tamen illi non convenit in omni statu, aut in omni subjecto: ergò verum est antec. Prob. min. Quia quantitas in Cœlo, & in minimo

mo naturali divisibilis non est, alias Cœlum esset corruptibile, & daretur alia quantitas min. minimo naturali, illa videlicet, in quam minimum naturale dividi posset: ergò divisibilitas non competit quantitati in omni statu, aut in omni subjecto.

Secundo probatur antec. Habitus secundum se est difficile mobilis à subjecto; & tamen hoc non habet in omni subjecto, sed potius in aliquibus est facile mobilis: ergò idem quod prius.

Tertio probatur ant. Natura secundum se non est determinata, nec singularis; & tamen in singularibus singularis, & determinata est: ergò idem.

Quarto probatur. Natura humana secundum se est multiplicabilis; sed hoc non convenit illi in Petro, in quo non est multiplicabilis, sed ad Petrum determinata: ergò idem. Probatur maj. Natura materialis est multiplicabilis, quia est receptibilis in materia, sicut ab oppositò natura Angelica non est multiplicabilis, quia in materia receptibilis non est; sed natura humana secundum se est positivè materialis: ergò etiam secundum se positivè multiplicabilis est.

Quintò. Naturæ secundum se competit esse unam negative, eo quod secundum se non est alicui appropriata; & tamen prædictam unitatem non servat in individuis: ergò idem quod antea.

Respondetur ad argumentum negando anteced. & ad primam probationem distinguo maj. divisibilitas Mathematica, concedo maj. Physica, nego maj. & sub eadem distinctione minoris negatur conseq. Quia quantitati secundum se non convenit positivè divisibilitas Physica per realem separationem unius partis ab alia, sed solum divisibilitas Mathematica, aut Logica per considerationem intellectus qui in quacumque quantitate potest designare unam, & alteram partem minorem, & unam ab alia dividere, & divisibilitas ista ipso Cœlo, & minimo naturali, & cuicumque convenit quantitati.

Ad 2. probationem anteced. dist. maj. difficile mobilis ab intrinseco, concedo maj. tàm ab intrinseco, quàm ab extrinseco, nego maj. Quia habitus secundum se est difficile mobilis ab intrinseco tantum, & ex proprijs, & meritis suæ causæ, quæ totaliter intellectum convincit, & hoc semper convenit illi, quamvis ab extrinseco possit esse facile mobilis, eo quod repe-

ritur in subjecto non benè dispositio ac habitum conservandum.

Dices: Quamvis habitus secundum se sit difficile mobilis ab intrinseco, potest tamen esse facile mobilis ab extrinseco, & ratione subjecti, ut in solutione conceditur: ergò licèt natura secundum se esset communis pluribus positivè, posset tamen ratione individui talem communitatem amittere.

Respondetur, negando conseq. Quia subjectum est quid extrinsecum, vel extraneum respectu habitus, consequenterque potest habitus esse facile mobilis ratione subjecti, quamvis ab intrinseco sit difficile mobilis: differentia verò individualis est aliquid intrinsecum perficiens naturam, & cum ipsa identificatam, propterea que si natura secundum se esset communis, non posset ratione individualis differentiæ esse singularis, alias ab intrinseco esset singularis, & simul communis.

Secundò respondetur: quod habitus potest ab intrinseco exigere permanentiam, & illam non habere ratione subjecti natura verò si secundum se est communis, secundum se petit una, & eadem in pluribus reperiri, quod si hoc illi repugnat, licèt ratione individui, exigeret ab intrinseco, quod est essentialiter impossibile, & chymæra, & ideò non potest secundum se esse communis, & talem communitatem amittere ratione individui.

Ad tertiam probationem anteced. concessa maj. & min. distinguo consequens, quod debebat inferri: convenire negativè, concedo conseq. convenire positivè, nego conseq. Aliqua namque prædicata conveniunt naturæ secundum se negativè, aut per non repugnantiam, qualiter illi convenit non esse determinatam, & non esse singularem, eo quod naturæ secundum se, nec convenit determinatio, nec illi repugnat, & prædicata quæ tali modo conveniunt non petunt in omni statu convenire naturæ; prædicata verò, quæ naturæ secundum se positivè conveniunt, & in omni statu convenire debent, ut in ratione nostra probavimus.

Dices: ergò non esse determinatam, quod naturæ repugnat in individuis, non repugnat naturæ secundum se: ergò potest aliquid non convenire in individuis, & tamen convenire positivè naturæ secundum se.

Sed negatur conseq. Quia na-

natura secundum se solum dicit positivè prædicata sibi essentialia à quibus nunquam præscindere potest, sed tàm in intellectu, quàm in individuis debent illi convenire, alias essentialia non essent; natura verò non repugnanter, & negativè dicit ea prædicata, quæ cum essentia Metaphysica naturæ nullam habent oppositionem, à quibus tamen, quia essentialia non sunt, potest natura præscindere, & ideò possunt convenire naturæ in individuis, quamvis naturæ secundum se non conveniant positivè, sed potius præscindat ab illis per intellectum abstracta.

Ad quartam probationem: distinguo maj. multiplicabilis permissivè, concedo maj. positivè, nego maj. & concessa min. distinguo consequens, quod inferendum erat. Convenire permissivè, & per non repugnantiam, concedo conseq. positivè, nego conseq. Ex quo namque natura humana sit positivè materialis, & positivè includat materiam, quæ est principium multiplicationis, non infertur esse multiplicabilem positivè, sed solum esse multiplicabilem permissivè, vel illi multiplicationem non repugnare; illud autem, quod solum permissivè convenit naturæ, necessarium non est, quod illi conveniat individuo. Et instantia est in specie impressa creata, cui non repugnat esse substantiam, ut patet in Angelo, cujus substantia per modum speciei impressæ concurrit ad intellectionem propriam; tamen species impressa in nobis substantia esse non potest.

Sed instabis: Permissio multiplicationis positivè convenit naturæ secundum se, siquidem natura secundum se positivè habet permittere multiplicationem sibi non repugnantem; & tamen prædicta permissio non convenit naturæ prout in Petro; nam illi prout sic multiplicatio repugnat: ergò potest aliquod prædicatum positivè convenire naturæ secundum se, quod quidem naturæ in individuo repugnet.

Respondetur distinguendo maj. permissio sumpta subjectivè, conc. maj. terminativè sumpta, nego maj. & concessa min. distinguo consequens. Positivè subjectivè, concedo conseq. Positivè terminativè, nego conseq. Quia permissio terminativè sumpta est ipsa multiplicabilitas, quæ non exigitur positivè à natura secundum se, sed convenit per non repug-

nantiam, & ideò per illa ſumpta terminativè pro termino permiſſionis non convenit poſsitivè, quamvis ſubjectivè accepta, & in ſe poſsitivè conveniat, & propterea poteſt benè naturæ repugnare in individuo, nam ſolum ea prædicata, quæ tàm ſubjectivè, quàm terminativè conveniunt poſsitivè naturæ, debent illi convenire in quocumque ſtatu ſit, & de illis tantum ſupradicta ratio intelligitur. Inſtantia reperitur in permiſsione rationalitatis, quæ ſumpta ſubjectivè convenit poſsitivè animali ſecundum ſe, & tamen animali prout in equo convenire non poteſt.

Ad 5. diſtinguo maj. Naturæ ſecundum ſe ratione ipſius naturæ, neg. maj. ratione ſtatus, & præciſionis, concedo maj. & min. & diſtinguo conſeq. Naturæ ſecundum ſe ratione præciſionis, & ſtatus, concedo conſeq. ſecundum ſe, & ratione ſui, nego conſeq. Quia unitas negativa ſolum convenit naturæ ratione ſtatus ſolitudinis, & quatenus præciſſa conſideratur, non tamen convenit illi ratione ſui, & ſecundum ſuam eſſentiam, & ita non debet convenire naturæ prout in ſingularibus eſt.

Dices: quod naturæ conſiovenit ratione ſtatus, & præciſionis, non convenit naturæ ſecundum ſe, ſed quatenus eſt in intellectu: ergò ſi unitas negativa convenit naturæ ratione ſtatus, non poteſt naturæ ſecundum ſe convenire.

Sed diſtinguo conſequens. Naturæ ſecundum ſe pro formali, concedo conſeq. pro ſubſtracto, nego conſeq. Quia unitas negativa convenit naturæ conſideratæ tantum ſecundum prædicata ſibi eſſentialia, quamvis ut ſic illi conveniat, requiratur præciſio intellectus: verum hæc præciſio non eſt ſubſtractum, vel ſubjectum, de quo affirmatur unitas negativa: nec ſe habet ex parte objecti ſignatè, ſed ſolum eſt modus, & conditio, ut naturæ conveniat unitas prædicta, & ſe habet exercite, ex parte objecti: in quo diſtinguitur ſtatus naturæ ſecundum ſe ab ſtatu, quem natura habet in intellectu, quia videlicet natura ſecundum ſe ſolum ex parte modi, & exercite importat præciſionem intellectus; natura verò ſecundum ſtatum, quem habet in intellectu etiam ex parte rei, & ſignatè aliquid rationis, & præciſionem paſsivè, & effectivè ſumptam importat: ſicut ſpecies ex parte rei, &

ſig-

ſignatè dicit intentionem productam per actionem intellectus.

Dices: Natura ſecundum ſe præſcindit ab omni prædicato accidentali; ſed ſtatus ſolitudinis ſtatus accidentalis eſt, & ſimilimodo eſt accidentalis ipſa præciſsio intellectus: ergò ab his præſcindere debet.

Reſpondetur: diſtinguendo maj. ut cognito ſignatè, concedo maj. exercitè cognito, nego maj. Quia natura ſecundum ſe licèt præſcindat ab omni prædicato accidentali tanquam ab objecto cognito ſignatè; non tamen præſcindere poteſt ab omni prædicato accidentali in exercitio, nam dum natura attingitur ſecundum prædicata ſibi eſſentialia, non poteſt, non exercitè involvere præciſsionem intellectus ut conſiderantis naturam à ſingularibus ſeggregatam, vel ſingularitate non cognita.

Et ſi dicas: quod natura ſic conſiderata non eſt una negativè, ſed eſt una poſsitivè, quia naturæ prout ſic repugnat multiplicari: ergò ſolutio tradita nulla eſt.

Facilè reſponderur: quod naturæ prout ſic non repugnat multiplicari, quia talis præciſsio, vel unitas ſolum exercitè attingitur, & ideò non concipitur in natura ſignatè aliquid multiplicationi repugnans, ſed ſolum conſiderantur eſſentialia prædicata, ſecundum quæ nec eſt una poſsitivè, nec plures, ſed indifferens ad utrumque.

§. IV.

Cæteris argumentis contra concluſionem occurritur.

CONTRA concluſionem noſtram arguitur primò: prædicata realia competunt naturæ à parte rei; ſed unitas, & aptitudo à qua natura denominatur univerſalis formaliter eſt prædicatum reale: ergò natura à parte rei debet eſſe univerſalis formaliter. Probatur min. exercitium, vel actus aptitudinis prædictæ eſt prædicatum reale; ergò etiam prædicta aptitudo debet eſſe realis, quia quando actus eſt realis potentia ad ipſum debet eſſe realis, alias actus eſſet ante potentiam, ſi actus exiſteret à parte rei, & potentia non à parte rei, ſed ſolum per intellectum exiſteret. Probatur antec. exercitium, vel actus prædictæ aptitudinis eſt exiſtentia naturæ in pluribus individuis; ſed natura à parte

rei

rei existit in pluribus individuis: ergò exercitium, vel actus aptitudinis prædictæ est prædicatum reale.

Respondetur tamen facile: negando min. & ad probationem, negatur antec. & ad ejus probationem, distinguo maj. per identitatem cum illis, concedo maj. per divisionem realem, nego maj. & distinguo min. Divisa, & multiplicata, concedo min. Una, & eadem, nego min. & conseq. Quia natura à parte rei existit in pluribus individuis, divisa tamen, & multiplicata realiter, sed non una, & eadem in omnibus illis, & actus vel exercitium aptitudinis à qua natura denominatur universalis formaliter, non est existentia in pluribus per divisionem in illis, sed existentia in pluribus per identitatem naturæ cum omnibus illis, quæ identitas non datur à parte rei, sed solum per intellectum, & ideò actus naturæ universalis, ut talis non datur à parte rei.

Sed instabis primò: identitas prædicta naturæ etiam per intellectum non datur, quia natura per intellectum non identificatur cum inferioribus suis: ergò existentia naturæ in individuis per identitatem cum illis non potest esse exercitum, & actus aptitudinis prædictæ.

Secundò instabis: Si semel natura à parte rei existit in individuis divisa, & multiplicata realiter, debet dari à parte rei in ipsa natura potentia ad existendum in inferioribus suis, quamvis in illis divisa; sed prædicta potentia debet constituere naturam universalem, siquidem propriori talis potentiæ natura supponitur una, & capax ad essendum in pluribus: ergò debet dari à parte rei natura universalis formaliter.

Respondetur ad primam replicam, negando antec. quia per actionem intellectus comparatur natura ad individua tanquam una in omnibus illis sub ea ratione, sub qua individua formaliter habent convenientiam in natura, & ideò per talem actionem est natura una, & eadem objectivè, quatenus ut una cum fundamento in re concipitur identificata cum pluribus, quamvis à parte rei divisa, & multiplicata sit.

Ad secundam replicam distinguo maj. potentia Logica, conced. maj. Physica, nego maj. min. & conseq. Quia ex eo quod à parte rei natura existat in individuis, solum infertur dari potentiam Logicam, vel non repugnantiam ad existendum in illis, quæ potentia Logica sumpta pro non re-

repugnantia ad exiſtendum in pluribus diviſa, & multiplicata conſtituere non poteſt naturam univerſalem; non tamen ex quo natura ſit in pluribus à parte rei infertur dari potentiam Phyſicam ad prædictam exiſtentiam, & realiter perfectibilem, aut determinabilem realiter per exiſtentiam prædictam, nec per ipſam ſingularitatem, cum qua natura à parte rei identificata invenitur.

Dices: potentia Logica, vel non repugnantia ad eſſendum in pluribus debet præcedere exiſtentiam in illis; ſed pro illo priori præcedentiæ eſt natura univerſalis, & una ſiquidem non dum intelligitur in illis multiplicata: ergò debet dari à parte rei natura una, & univerſalis formaliter.

Reſpondetur diſtinguendo maj. præcedere noſtro modo concipiendi, conced. maj in re, nego maj. quia in ipſa natura multiplicata realiter datur non repugnantia ad ipſam multiplicationem, ſed hæc non repugnantia non præcedit in re multiplicationem ipſam, ſed ſolum per intellectum, & ex modo concipiendi: ex quo tantum ſequitur naturam per intellectum, & ex modo concipiendi, vel quatenus prius concipitur eſſe unam, & ſaltim negativè univerſalem, quod nos in præſenti non negamus: non tamen infertur, eſſe unam in re, antequam multiplicetur, ſiquidem in re non eſt ante multiplicationem. Undè natura multiplicata ſolum erat prius una antequam multiplicetur per intellectum, vel ex modo concipiendi.

Secundò arguitur: Natura ſecundum ſe debet eſſe una realiter poſitivè: ergò à parte rei debet eſſe univerſalis formaliter. Probatur antecedens primò. Natura ſecundum ſe eſt ens poſitivum, & reale; ſed ad ens poſitivum, & reale ſequitur unitas realis, & poſitiva: ergò natura ſecundum ſe habet eſſe una realiter poſitivè.

Secundò probatur antec. Natura ſecundum ſe importat ſuam eſſentiam poſitivam, & realem; ſed unitas realis, & poſitiva conſequitur neceſſariò ad eſſentiam poſitivam, & realem, quia unitas poſitiva, & realis eſt paſſio cujuſcumque rei realis, & poſitivè: ergò natura ſecundum ſe debet eſſe una realiter poſitivè.

Confirmatur argumentum: Natura ſecundum ſe eſt una communis pluribus: ergò ſecundum ſe, & à parte rei debet eſſe univerſalis. Prob. ant: Natura non determinata eſt una,

&

& communis pluribus; ſed natura ſecundum ſe eſt non determinata: ergò eſt una, & pluribus communis eſt. Probatur min. Natura ſecundum ſe non eſt diviſa, & determinata: ergò natura ſecundum ſe eſt non determinata. Probat. conſeq. primò. Quia inter prædicata contradictoria non eſt aſsignabile medium, & ideò utrumque contradictorium non poteſt rebus deficere; ſed determinatum, & non determinatum ſunt prædicata contradictoria: ergò ſi natura ſecundum ſe non eſt determinata, vel illi ſecundum ſe deficit determinatio, debet illi competere non determinatio, vel eſſe in ſe non determinatam.

Secundò probatur conſeq. Non determinatio eſt determinationis carentia; ſed natura quæ ſecundum ſe non eſt determinata, ſecundum ſe caret determinatione: ergò ſecundum ſe erit non determinata.

Tertiò probatur conſeq. Quia à negativa ad affirmativam variato prædicato penes finitum, & infinitum bona conſequentia eſt; ſed dum dicitur natura ſecundum ſe non eſt determinata: ergò eſt non determinata, arguitur à negativa ad affirmativam variato prædicato penes finitum, & infinitum: ergò valet conſeq.

Reſpondetur ad argumentum negando antec. & ad primam probationem aſſerunt aliqui, unitatem poſsitivam ſolum conſequi ad ens poſsitivum in ſtatu contractionis, & exiſtentiæ; non verò ad ipſum ſumptum præciſivè ſecundum prædicata eſſentialia: verum quia probabile eſt ad omne ens poſsitivum conſequi veritatem, bonitatem, & unitatem aliquam poſsitivam, taleſque paſsiones de ente ut ſic, & nominaliter ſumpto per metaphiſicam demonſtrari, propterea,

Reſpondetur aliter: diſtinguendo min. Unitas realis, & poſsitiva tranſcendentalis, conced. min. formalis, nego min. & diſtinguo conſeq. Tranſcendentaliter, concedo conſeq. una formaliter, nego conſeq. Ad omnem quippè eſſentiam, & ad quamcumque rem poſsitivam ſequitur tanquam propria illius paſsio unitas tranſcendentalis, quæ conſiſtit in eo, quod eſſentia in ſe ipſa ſit una eſſentia, & non alia, ſed potius ab omni alia eſſentialiter diſtincta, & talem unitatem concedimus habere naturam ſecundum ſe; negamus tamen habere, unitatem formalem, per quam in ſe ipſa ſit una numero poſsitivè, numero in multiplicata, quam unitatem formalem non habet natura ſecundum ſe,

quæ

quæ prout ſic poteſt numero multiplicari, & hæc unitas neceſſaria erat, ut natura ſecundum ſe eſſet una realiter poſſitivè, modo ad univerſalitatem eſſentialiter requiſito; per quod patet ad ſecundam probationem.

Ad confirmationem argumenti negatur antec. Ad probationem, negatur min. & ad probationem negatur conſeq. Quia natura ſecundum ſe nec eſt determinata, necnon determinata, ſed ad utrumque habet indifferentiam, & ad primam probationem conſequentiæ reſpondemus ſecluſa reduplicatione non poſſe utrumque contradictorium deficere: facta tamen aliqua reduplicatione poſſe deficere utrumque, & ita in præſenti contingere, eo quod reduplicatur natura ſecundum ſe, & ſtatus præciſionis, & natura ſecundum ſe conſiderata, & præciſſa ab utroque contradictorio præſcindit, & permittit utrumque habere pro diverſo ſtatu, in quo poteſt natura reperiri, propterquam rationem homo ſecundum ſe nec eſt albus, nec non albus, nec valet: ſecundum ſe non eſt albus: ergò ſecundum ſe eſt non albus: & Petrus; v.g. pro priori ad decretum non eſt futurus poſſitivè: ergò eſt non futurus poſſitivè eſt mala conſeq. Quia pro priori ad decretum præſcindit à futuritione poſſitiva, & à carentia poſſitiva illius, eo quod eſt indifferens ad utramque, & pro poſteriori ad decretum erit futurus poſſitivè, aut poſſitivè non futurus pro libito voluntatis Divinæ unum, vel alterum poſſitivè determinantis.

Ad ſecundam probationem conſeq. diſtinguo min. caret præciſivè, concedo min. repugnanter, & contrarie, nego min. & conſeq. Quia carere determinatione repugnanter, & contrariè, eſt determinationem excludere, & licèt natura ſecundum ſe non ſit determinata, non tamen ſecundum ſe determinationem excludit, quod erat neceſſarium, ut abſolutè eſſet verum, naturam ſecundum ſe eſſe non determinatam.

Ad tertiam probationem conſeq. reſpondetur à negativa abſoluta ad affirmativam variato prædicato penes finitum, & infinitum valere conſequentiam, non tamen à negativa cum aliqua reduplicatione, quia in negativa abſolutè removetur ſimpliciter prædicatum; in negativa verò reduplicante, vel appllante ſtatum aliquem ſpecialem, non removetur prædicatum abſolutè, ſed ſolum negatur de re ſub ea reduplicatione, & ſtatu: ex quo non infertur contradictorium abſolu-

tè

tè convenire, sicut prius dictum est, non est albus: ergò secundum se est non albus.

Dices: benè valèt: Natura secundum se est indeterminata: ergò natura secundum se non est determinata: ergò è contra benè valet: secundum se non est determinata: ergò secundum se est indeterminata, vel non determinata.

Secundò instabis: Quod secundum se non est determinatum, necessario non est determinatum; sed quod necessario non est determinatum, necessario est non determinatum, sicut qui necessario non videt, necessario est non videns: ergò si natura secundum se non est determinata, secundum se erit non determinata.

Respondetur ad primam instantiam, negando conseq. Quia in primo casu facta reduplicatione continetur consequens in antecedenti, quæ secundum se est non determinata; secundum se excludit ipsam determinationem, & consequenter secundum se non erit determinata: ex quo verò secundum se non sit determinata, non infertur secundum se excludere ipsam determinationem, sed solum secundum se, nec esse determinatam; necnon determinatam, sed potius ad utrumque indifferentem: ex quo non potest inferri secundum se esse non determinatam.

Alijs terminis respondent alij, negendo conseq. Quia si unum contradictorium affirmatur essentialiter de subjecto, absolutè convenit illi, & ideò alterum contradictorium convenire non potest, & propterea si secundum se est non determinata, secundum se etiam non erit determinata, vel ad determinationem indifferens; si tamen contradictorium negatur essentialiter convenire, non negatur absolutè, sed solum cum addito, vel sub determinata consideratione, & cum illud, quod sub aliqua reduplicatione negatur, possit absolutè convenire, inde fit, quod ex quo unum contradictorium sub tali reduplicatione negetur, non infertur, quod alterum contradictorium possit subjecto convenire: quapropter ex quo natura secundum se non sit determinata non potest inferri, non determinationem naturæ secundum se convenire, & quod natura secundum se sit non determinata.

Ad secundam: distinguo maj. Secundum se positivè, concedo major. Secundum se negativè, aut præcisivè, nego major. & concessa min. negatur conseq. Quia quod secundum se

se non est determinatum positivè, secundum se habet, quod non sit determinatum, & ita necessario non est determinatum, quod verò secundum se non est determinatum præcisivè, & negativè, solum non est determinatum, quia præscindit à determinatione, & ab illius carentia, & ideò non habet necessario, quod non sit determinatum, sed tantum hoc habet accidentaliter, & in statu præcisionis, propterea que in alio statu potest determinationem habere, sicut non futurum positivè non potest esse futurum, sed non futurum negativè potest pro alio posteriori futuritionem habere.

Tertiò arguitur: Una, & eadem natura humana reperitur à parte rei in Petro, & Paulo, & utrique communis est: ergò datur à parte rei natura universalis formaliter. Probatur antecedens. Petrus, & Paulus à parte rei sunt unum formaliter in natura humana quando quidem in humana natura non distinguuntur formaliter: ergò una, & eadem natura humana reperitur à parte rei in Petro, & Paulo, & est utrique communis.

Confirmatur: à parte rei Petrus, & Paulus sunt unius, & ejusdem speciei: ergò datur à parte rei universale formaliter, quia species est formaliter universalis. Probatur antecedens: à parte rei Petrus, & Paulus non sunt distinctæ speciei, alias distinguerentur formaliter: ergò sunt unius, & ejusdem speciei.

Ad hoc argumentum plura diximus articul. 2. præcedenti, dum loqueremur de unitate formali, & modo breviter respondemus distinguendo antecedens: Una, & eadem unitate conformitatis, concedo antecedens. Unitate identitatis, nego antecedens, & eodem modo Petrus, & Paulus sunt unum formaliter unitate convenientiæ in prædicatis formalibus, non tamen unum formaliter unitate identitatis, sed potius natura humana, & prædicata specifica in Petro, & Paulo realiter distincta sunt. Et quamvis Petrus, & Paulus non distinguantur formaliter in natura solum infertur inde, esse unum unitate convenientiæ; non verò unum formaliter unitate identitatis, aut simplicitatis; quia unitas formalis simplicitatis, & identitatis est carentia distinctionis penes principia formalia, non quidam physicè considerata, sed metaphysicè sumpta, ut præcissa à singularibus per actionem intellectus, per quam natura specifica, in qua Petrus, & Paulus convenient,

niunt, ſeparatur à ſingularitate, & remanet formaliter una unitate identitatis.

Ad confirmationem reſpondetur diſtinguendo antec. Unius, & ejuſdem ſpeciei fundamentaliter, conced. ant. actualiter, & formaliter, nego antec. & conſeq. Quia à parte rei natura Petri eſt conformis naturæ Pauli, propter quam conformitatem poteſt intellectus naturam ab utroque ſeparare, & tribuere illi intentionem ſpeciei in ordine ad utrumque, quæ quidem intentio à parte rei non invenitur, ſed ſolum datur fundamentum illius; nec probatio antecedentis convincit oppoſitum, nam ex quo Petrus, & Paulus à parte rei non diſtinguantur ſpecie ſolum ſequitur à parte eſſe unius, & ejuſdem ſpeciei fundamentaliter ſumptæ.

Dices: Petrus, & Paulus à parte rei non ſolum fundamentaliter, ſed etiam actualiter non diſtinguuntur ſpecie: ergò nedum fundamentaliter, ſed etiam actualiter formaliter ſunt unius, & ejuſdem ſpeciei.

Sed negatur conſeq. Quia negatio diſtinctionis in aliqua ratione infert identitatem in ea, quando extrema illam participant; non verò quando extrema non participant illam, & quia Petrus, & Paulus à parte rei non participant rationem ſpeciei, quæ eſt ſecunda intentio rationis, ſolum facta per actionem intellectus: propterea quāvis actualiter non diſtinguantur ſpecie, non infertur eſſe unius, & ejuſdem ſpeciei, nam ut actualiter non diſtinguātur ſpecie, ſatis eſt, intentionem ſpeciei à parte rei actualiter non dari: ex quo habetur, quod equus, & homo à parte rei non diſtinguuntur ſpecie actualiter formaliter, ſed ſolum fundamentaliter, quatenus natura in homine, & equo non eſt conformis formaliter, & ideò fundat intentionem actualem, & diverſam ſpeciei.

Dices: ergò ſaltim Petrus, & Paulus ſunt unius, & ejuſdem ſpeciei fundamentaliter ſumptæ; ſed ſpecies fundamentaliter ſumpta eſt ipſa natura ſpecifica: ergò in Petro, & Paulo una, & eadem invenitur natura.

Reſpondetur diſtinguendo min. ipſa natura ut conformis in utroque, conced. min. ut identicè una, neg. min. & diſting. conſequens. Unitate conformitatis; conced. conſeq. Unitate identitatis, neg. conſeq. Quia ſpecies fundamentaliter ſumpta eſt ipſa natura, quatenus una unitate formalis convenientiæ; non verò quatenus una unitate identitatis, & ita ex quo Petrus, & Paulus ſint ejuſdem ſpeciei fundamentaliter ſumptę, ſolum infertur in utroque reperiri eandem na-

naturam per formalem convenientiam, non verò eandem materialiter, & identicè unam, sed potius in utroque reperitur natura distincta realiter, quæ tamen distinctio de materiali se habet ad fundandam intentionem speciei.

Quarto arguitur: Natura humana secundum se est positivè communis: ergò à parte rei est communis positivè. Probatur antec. primò. Quia materia secundum se nulli formæ est appropriata, est communis secundum se pluribus formis; sed natura humana secundum se non est alicui appropriata individuo: ergò secundum se est communis positivè.

Secundò probatur antec. Natura humana secundum se exigit plura individua: ergò secundum se est positivè communis. Prob. antec. Natura humana secundum se appetit plura individua: ergò exigit illa. Probatur antecedens Natura humana naturaliter appetit suam conservationem; sed in uno individuo conservari non potest, quia unum individuum non semper durat, sed tempore transacto corrumpitur: ergò natura humana secundum se appetit plura individua.

Respondetur negando anteced. & ad primam probationem, distinguo maj. nulli formæ est appropriata per distinctionem realem ab illa, concedo maj. per præcisionem ab ea, nego maj. & distinguo min. per præcisionem ab illo, conc. min. per realem distinctionem ab eo, nego min. & conseq. Quia natura secundum se sola ratione distinguitur à singularibus; in re tamen cum illis identificata est; & ideò solum per præcisionem non est alicui appropriata, ex quo solum infertur esse communem per actionem intellectus; materia verò realiter à quacumque forma distinguitur, & realiter pro aliquo saltim priori naturæ præcedit omnem formam, & ideò propter talem distinctionem est indifferens realiter, ut per unam, vel alteram actuetur, & realiter omnibus communis est, si quidem realiter potest recipere omnes, & realiter ab omnibus differt.

Ad secundam probationem respondetur: quod natura humana secundum se non exigit plura individua, nec apperit illa, nec suam conservationem, sed solum importat connexionem prædicatorum essentialium; si tamen consideretur humana natura in ordine ad existentiam, secundum quam rationem est corruptibilis, appetit plura individua, ut in illis conservetur, & in perpetuum existat; hæc tamen con-

sideratio non est propria naturæ secundum se, sed illius physicè sumptæ.

Dices: ergò si natura humana consideretur secundum ordinem, quem dicit ad existentiam; appetit plura individua, & exigit illa, & consequenter sic accepta, erit pluribus communis.

Sed distinguo consequens. Plura per identitatem ipsius, nego conseq. Per ipsius divisionem, concedo conseq. non enim apperit humana natura esse in pluribus per identitatem, quod erat necessarium, ut esset universalis formaliter, & una formaliter in multis, sed solum appetit humana natura esse in pluribus per conformitatem, & formalem convenientiam cum divisione reali, ita ut in pluribus individuis plures naturæ inveniantur, quod ad universalitatem non sufficit.

Tandem arguitur: Natura humana Petri est una numero positivè; sed prædicta natura habet aptitudinem ad essendum in pluribus: ergò dabilis est à parte rei natura una apta ad essendum in pluribus, & consequenter universalis formaliter. Probatur minor. Natura humana secundum se habet aptitudinem prædictam: ergò illam habet in Petro, quia quod convenit naturæ secundum se, convenit in omni individuo. Antecedens probatur primò. Quia natura humana determinatur per differentiam individualem: ergò secundum se erat indifferens, nam solum indifferens est capax determinari. Secundò probatur antecedens. Indifferentia tollitur per singularitatem; sed natura humana secundum se non est singularis: ergò non est determinata, sed indifferens.

Confirmatur: Materia sublunaris determinata per unam formam habet aptitudinem ad essendum sub altera divisivè: ergò natura determinata singularitate Petri habet etiam aptitudinem ad essendum in cæteris individuis.

Secundò confirmatur, & urgetur: Actus humanus moraliter malus v.g. odium Dei habet aptitudinem in bonitatem moralem, & propterea carentia rectitudinis in tali actu reperta est vera privatio: ergò etiam natura determinata una singularitate aptitudinem habet ad alias.

Respondetur: negando min. ad probationem, distinguo anteced. aptitudinem negativam, concedo anteced. positivam, nego antec. & ad primam probationem, concesso anteced. distinguo conseq. indifferens negativè, concedo conseq. positivè, nego conseq. Quia na-

natura humana ſecundum ſe ſolum habet aptitudinem negativam, vel non repugnantiam ad plura, quæ quidem non repugnantia, vel negativa indifferentia determinatur per differentiam individualem, & per ſingularitatem aufertur per quod patet ad ſecundam probationem.

Ad primam confirmationem negatur conſeq. Quia natura Petri identificatur realiter cum ipſius ſingularitate, & ita etiam ſucceſsivè non poteſt in diverſis ſingularibus reperiri, alias eſſet identificata realiter cum ſingularibus realiter entitativè diſtinctis, proindeque realiter eſſet diſtincta, non verò eadem, & una: materia verò non identificatur cum forma, ſed ab illa realiter diſtinguitur, & propterea eadem materia abſque diſtinctione reali poteſt tranſire de una ad alteram formam; cum aliunde per nullam formam ſaciatur appetitus materiæ, ſed potius quæcumque forma relinquit in materia capacitatem ad alteram recipiendam, ut ita ſalvetur univerſi pulcritudo, quæ in varietate generationis, & corruptionis conſiſtit.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur diſtinguendo antecedens. Actus humanus præciſsivè ſumptus, concedo anteced. ſumptus realiter, nego antecedens, & diſtinguo conſequens. Sumpta præciſsivè, aut ſpecificativè, concedo conſeq. Sumpta realiter, neg. conſeq. Quia ſicut actus humanus præciſsivè acceptus ſecundum rationem communem, in qua boni, & mali conveniunt, habet aptitudinem ad bonitatem moralem; ita natura humana Petri ſumpta præciſsivè ſecundum ſpecificum conceptum, in quo conveniunt individua, aptitudinem habet ad alias ſingularitates à ſingularitate Petri diverſas.

Dices: Capacitas ad bonitatem moralem reperta in odio Dei eſt capacitas realis, ſed capacitas, quæ convenit odio Dei ſecundum rationem communem præciſsivè ſumptam, realis non eſt, ſed rationis: ergò prædicta capacitas ad bonitatem moralem reperitur in odio Dei etiam realiter ſumpto. Probatur maj. Privatio rectitudinis in actu prædicto eſt privatio realis: ergò etiam capacitas ad rectitudinem realis eſt, quia privatio realis eſt carentia formæ in ſubjecto realiter capaci ad formam habendam.

Reſpondetur ad replicam diſtinguendo maj. realis fundamentaliter ſumpta, conc. maj. ſumpta formaliter, nego maj. & ſub eadem diſtinctione minoris, negatur conſeq. Ad probationem verò maj. diſtinguo

antec. realis moralis, concedo antec. realis physica, nego antecedens, & conseq. Secundum primam distinctionem: Cum enim actus bonus, & actus moraliter malus conveniant formaliter in ratione actus humani, datur à parte rei fundamentum, ut intellectus concipiat rationem illam communem cum capacitate ad utramque differentiam, & ideò capacitas illa fundamentaliter est realis, sed formaliter est capacitas rationis habita per actionem intellectus, ex quo benè infertur, privationem non esse realem physicam formaliter, quod libenter concedimus tanquam verum, nam privatio realis physica, & à parte rei requirit in subiecto capacitatem physicam, & realem formaliter, qualis non reperitur in actu malo ad bonitatem habendam. Undè privatio rectitudinis in actu malo reperta solum est realis moralis, ad quam sufficit capacitas realis formæ fundamentaliter talis, quia privatio moralis fundatur in debito proveniente à lege, quæ cum sit actus intellectus, potest ferri, & fertur defacto in rationem communem præcisivè sumptam, præcipiendo videlicèt, & si eliciatur actus aliquis circa Deum, sit amoris, & non odij.

Ex dictis colligitur: quod licèt universale sit objectum intellectus, non inde infertur, dari à parte rei universale formaliter, quia objectum intellectus est solum universale fundamentaliter sumptum secundum connexionem naturæ communis cum proprietatibus suis; quamvis etiam posset dici objectum intellectus pro subtracto esse à parte rei, & formaliter quantum ad rationem movendi, nam res, quæ movet, & specificat intellectum à parte rei reperitur, & si quantum ad conditionem, & modum universalis ab intellectu dependeat.

Secundò colligitur: quod cum universale, & particulare correlativa sint, sicut à parte rei non datur universale formaliter, & Logicè; ita non datur à parte rei singulare, vel particulare Logicè sumptum, secundum quam rationem constituitur per ordinem, & respectum ad ipsum universale, sed tantum datur à parte rei singulare, vel particulare materialiter, & physicè sumptum pro individuo physico, quod est unum in se distinctum ab omni alio individuo.

QUÆST.

QUÆST. II.

De Causa Universalis, & in ea.

ARTICULUS UNICUS.

Per quam actionem intellectus fiat universale formaliter?

§. I.

Quibusdam suppositis statuitur prima conclusio.

AD intelligentiam articul. primo supponendum est: Quod ut natura fiat universalis, necessario debet à conditionibus individuantibus separari; conditiones autem individuales materiales, & numericæ pro eodem in rebus materialibus usurpantur, & sunt quædam accidentia, quæ non sunt de essentia rei, sine illis tamen non potest natura à parte rei reperiri, quarum præcipua est numerica differentia, quæ regulariter appellatur hæccitas, per quam natura redditur singularis, & hæc, & ad istam sequitur existentia, deinde ordo ad tempus, & ad locum, & rursus alia accidentia, sicut forma, figura, nomen, parentes, & patria, aut sapitas, scientia, vel ignorantia, bonitas, vel malitia, à quibus naturam separamus, dum eam in communi concipimus.

Secundò notandum est: Duplex dari universale, unum quidem Metaphisicum, & alterum Logicum: Universale quidem Logicum non est aliquid absolutum, sed aliquid relativum constitutum formaliter per ordinem rationis ad plura; de materiali verò importat ipsam naturam communem: Universale autem metaphisicum est ipsa natura à conditionibus individualibus seggregata, quæ universalis metaphisicè sic accepta nominatur, quia Metaphisica considerat omnium rerum essentias à conditionibus individualibus separatas.

Tertiò supponendum est: Duplicem dari intellectum, agentem videlicèt, & possibilem: intellectus agens ille est qui ab speciebus sensibilibus repræsentantibus naturam cum conditionibus materialibus abstrahit naturam universalem; producendo speciem intelligibilem, quæ naturam sine singularitate, & alijs conditionibus materialibus repræsentat; & talem speciem imprimit, vel ponit in intellectu possibili: Intellectus verò possibilis ille est: qui fecundatus, & actuatus specie prædicta elicit intellectionem, & naturam ita præcisam cognoscit,

Quarto præmittendum est: intellectum possibilem posse cognoscere naturam cognitione præcisiva, non concipiendo singularitatem quæ cognitio nominatur abstractio, quatenus naturam à singularibus abstractam attingit, sed hæc abstractio dividitur in negativam, & positivam, quarum prima est actio per quam intellectus cognoscit naturam, non cognitis singularibus, sed merè negativè se habendo circa ipsa singularia: abstractio vero positiva est actio per quam intellectus cognoscit naturam ut abstractam positivè, attingendo etiam singularia tanquam terminum *à quo* fuit abstracta ipsa natura. Potest insuper intellectus possibilis naturam cognoscere simplici comparatione, illam videlicet ordinando, & comparando ad inferiora, ut ad terminum *ad quem*. Et tandem potest naturam cognoscere comparatione composita, illam videlicet actualiter prædicando, & coniungendo, vel componendo ipsam cum inferioribus suis.

Ex diversitate igitur prædictarum actionem orta est diversitas sententiarum: aliqui namque absque aliqua distinctione concedunt, universale fieri per abstractionem intellectus agentis, quæ sententia immerito tribuitur Soto: qui se loqui de universali metaphisico, indicat sufficienter. Alij affirmant, universale Logicum fieri per abstractionem positivam intellectus possibilis, per quam natura cognoscitur in ordine ad inferiora ut ad terminum *à quo*. Alij dicunt per actionem simplicem comparativam, qua natura cognoscitur in ordine ad individua ut ad terminum *ad quem*, vel ut in quibus potest esse, & de illis prædicari. Quæ sententia inter nostros communis est. Alij tandem asserunt universale prædictum fieri per actionem comparativam compositam; quid tamen verum sit triplici conclusione dicemus.

§. II.

Prima Conclusio.

Universale Metaphisicam fit per abstractionem intellectus agentis.

CONclusionem istam docuit Angelic. Doct. opusc. 55. per ea verba: *Una, & eadem natura, quæ singularis erat, & individuabatur per materiam in singularibus hominibus, fit postea universalis per actionem intellectus depurantis ipsam à conditionibus materialibus.* Constat autem intellectum depurantem esse intellectum agentem, quam doctrinam pluribus in locis specialiter 1. *p. q. 46. art. 1.* repetit Ang. Doct. Ad quam; quamvis ad-

versarij respondeant, Doctorem Sanctum solum sentire per actionem intellectus agentis fieri universale præsuppositivè, & mediatè, quatenus per illam redditur natura apta ut cognoscatur sine singularitate, & fiat universalis: veram solutionem non adhibent; sed omninò voluntariam; nam D. Th. 1. p. q. 79. art. 1. in argumento secundo expressè asserit: quod intellectus agens facit universale, quod est unum in multis; quam propositionem non negat in solutione argumenti, sed potius sæpè repetit illam, nec ad illam explicandam de efficientia mediata præbet alicubi fundamentum.

Ratione autem probatur conclusio nostra: quia universale metaphisicum est natura una cum non repugnantia ad essendum in pluribus; sed per actionem intellectus agentis fit natura una cum non repugnantia ad essendum in pluribus, siquidem per actionem intellectus agentis abstrahitur natura à singularibus à quibus provenit pluralitas, & distinctio, & repugnantia ad essendum in pluribus: ergò per actionem intellectus agentis fit natura metaphisicè universalis.

Confirmatur per actionem intellectus agentis abstrahitur natura ab individuis, & non remanet alicui appropriata; sed natura nulli appropriata est una, & potest in pluribus esse: ergò per talem actionem fit natura universalis metaphisicè formaliter.

Respondent adversarij intellectum agentem abstrahentem naturam ab inferioribus suis non posse facere naturam metaphisicè universalem, quia universale metaphisicum constituitur per unitatem objectivam rationis, & fictam, quam intellectus agens non potest efficere, eo quod cognoscitivus non est.

Sed contra. Quia inter esse singulare, vel universale saltim metaphisicè non est assignabile medium; sed natura per intellectum abstracta non est singularis: ergò debet esse metaphisicè universalis.

2. illa actio efficit unum, & universale metaphisicum, quæ tollit pluralitatem, & relinquit naturam indifferentem sed actio intellectus agentis tollit pluralitatem, & relinquit naturam indifferentem, quando quidem eam separat à differentijs individualibus, per quas solum determinatur, & multiplicatur ipsa natura; ergò actio intellectus agentis facit naturam metaphisicè universalem formaliter.

3. reijcitur data solutio: nam eâtenus per actionem intellectus agentis non posset fieri universale metaphisicum formali-

rer: quia per talem actionem non fit unitas rationis per quam conſtitui debet prædictum univerſale; ſed univerſale metaphiſicum neceſſario debere conſtitui per unitatem rationis, voluntariè affirmator, & ſine ullo fundamento, alias per actionem, qua intellectus poſsibilis cognoſcit naturam abſtractam præciſsivè ſecundum prędicata eſſentialia non fieret univerſale metaphiſicum formaliter, ſiquidem talis actio nihil rationis ponit in natura, ſed ſolum eam attingit ſecundum ſuam eſſentiam, eamque prout ſic denominat extrinſecè cognitam: ergò ſolutio traddita nulla eſt.

Explicatur: dùm intellectus poſsibilis per primam operationem cognoſcit naturam ſic eſſe abſtractam per intellectũ agentem, nihil fingit, ſed cognoſcit illud, quod revera factum eſt per intellectum agentem, ſed per operationem prædictam fit univerſale metaphiſicum formaliter, ut fatentur adverſarij: ergò ad univerſale metaphiſicum nulla unitas ficta requiritur, ſed ſufficit unitas negativa, quam habet natura ſemel à ſingularibus ſeparata.

§. III.

Solvuntur argumenta contra iſtam concluſionem.

COntra concluſionem arguitur primò: per ſpeciem productam per intellectũ agentem repræſentatur natura ſecundum ſe, aut ſecundum prædicata eſſentialia; ſed natura ſecundum ſe non eſt univerſale metaphiſicum: ergò prædictum univerſale non fit per actionem intellectus agentis. Probatur minor. Quod convenit naturæ ſecundum ſe etiam in ſingularibus convenit, ſed natura in ſingularibus non eſt metaphiſicè univerſalis, ut per ſe manifeſtum eſt: ergò natura ſecundum ſe non eſt univerſale metaphiſicum.

Reſpondetur diſtinguendo maj. ſignatè, vel pro ſubſtracto, aut ex parte rei, concedo maj. exercitè, & ex parte modi, nego maj. & diſtinguo min. Natura ſecundum ſe præciſsivè ab abſtractione intellectus, concedo min. ut præciſsionem involvit exercitè, nego min. & conſeq. Quia per ſpeciem productã per intellectum agentem repræſentatur natura ſecundũ ſe ex parte rei repræſentatæ, & pro ſubſtracto rei præciſsè, quatenus illa ſpecies ſolum repræſentat eſſentialia prædicata: verum quia illa repræſentat ut exercitè abſtracta, & præciſſa à ſingularibus, propterea intellectus agens ſic abſtrahens facit univerſale metaphiſicum formaliter, quod tamen non datur à parte rei, eo quod quamvis natura abſtracta pro materiali ſit à parte rei, non tamen à parte rei exiſtit, ut exercitè

tè præciſſa, ſed præciſsio accidentaliter advenit ipſi naturæ, & ex opere intellectus agentis.

Dices: per illam ſpeciem non repræſentatur natura ut abſtracta ab individuis, ſiquidem ille modus abſtractionis non eſt prædicatum quidditativum, & ſpecies illa ſola prædicata quidditativa repræſentat: ergò natura ut abſtracta per intellectum agentem non eſt univerſale metaphiſicum formaliter.

Dices ſecundò: Natura ſecundum ſe præſcindit à ſingularibus, alias ſecundum ſe eſſet ſingularis, & tamen ſecundum ſe non eſt univerſalis metaphiſicè: ergò quamvis per ſpeciem intellectus agentis repræſentetur ut ſingularibus præciſſa, non infertur inde repræſentari ut metaphiſicè univerſalem.

Reſpondetur ad primam inſtantiam: per illam ſpeciem ſignatè repræſentari naturam ſecundum ſe, vel ſecundum eſſentialia prædicata; exercitè tamen repræſentari ut abſtractam, & ipſum modum abſtractionis repræſentari etiam exercitè, eo quod prædicata eſſentialia repræſentantur ſolitariè, & conſequenter repræſentantur ut exercitè à cæteris ſeparata, proindeque natura ipſa repræſentatur ut univerſalis metaphiſicè formaliter.

Ad ſecundam replicam dicitur: Naturam ſecundum ſe præſcindere à ſingularibus negative, quatenus illa eſſentialiter non importat, non tamen præſcindere poſitivè, ea poſitivè excludendo, quod ſolum habet per actionem intellectus agentis, per quam poſitivè abſtrahitur, & ſeparatur ab illis, & hoc ſecundum requiritur, ut fiat metaphiſicè univerſalis formaliter.

Secundò arguitur: Per ſpeciem ſupradictam non repræſentatur natura ut una unitate reali, vel unitate rationis: ergò non eſt univerſalis formaliter, quod quidem neceſſario debet habere aliquam unitatem, & per eam conſtitui formaliter. Ant. quantum ad primam partem conſtat ex eo, quod unitas realis debet eſſe à parte rei, & natura à parte rei non habet unitatem prædictam, cum à parte rei ſeparata non ſit. Quantum ad ſecundam verò partem etiam conſtare videtur: quia intellectus agens non eſt cognoſcitivus, & conſequentet non poteſt unitatem rationis efficere.

Reſpondetur ad argumentum negando antec. Quantum ad primam partem: quia per ſpeciem prædictam repræſentatur natura ut una unitate reali, non quidem intrinſeca, ſed extrinſeca proveniente ab actione intellectus agentis, & ſpeciè repræſentante, eo quod ſicut ab abſtractione intellectus agentis

ſic-

denominatur natura extrinsecè abstracta, ita denominatur extrinsecè una unitate præcisionis, quatenus repræsentatur, & attingitur ut à singularibus segregata, quæ unitas verè realis est in ipsa natura ut extrinsecè abstracta, & reperitur in ea independenter ab aliqua fictione intellectus, nec requiritur talem unitatem reperiri in singularibus, sed satis est convenire naturæ sic præcisæ, & dependenter ab operatione intellectus, sicut denominatio extrinsecè cogniti convenit dependenter ab operatione intellectus, & tamen verè realis est.

Sed instabis primò: Quod universalitas metaphisica est unitas repræsentata; sed denominatio extrinseca desumpta ab operatione intellectus agentis, vel specie repræsentante, non est repræsentata per speciē: ergò natura ut sic denominata nequit esse metaphisicè universalis.

Secundò instabis: Unitas extrinseca proveniens ab actione intellectus, vel specie repræsentante, non potest universale metaphisicum constituere: ergò solutio traddita nulla est. Prob. antec. Nullus actus, vel operatiō potest constituere proprium objectū; sed species illa, & operatio intellectus agentis habent universale metaphisicum pro objecto: ergò unitas extrinseca, quæ provenit à specie, vel ab actione intellectus, nō poterit universale metaphisicū cōstituere.

Respondetur ad primam instantiam: distinguendo maj. repræsentata exercitè, concedo maj. signatè, nego maj. & sub eadem distinctionis minoris, negatur conseq. Quia ut per actionem intellectus agentis fiat natura metaphisicè universalis, sufficit unitatem extrinsecam exercitè repræsentari per speciem ab intellectu agente productam, quomodo defacto repræsentatur, siquidem repræsentat naturam ut exercitè à singularibus separata.

Ad secundam instantiam negatur ant. & ad probationem distinguo min. Universale metaphisicum pro materiali, conc. min. pro formali talis, neg. min. & conseq. Quia species repræsentat universale metaphisicum pro materiali ex parte rationis *quæ*, & illud habet pro objecto; ideſt, ipsam naturam, quæ abstrahitur, & universalis dicitur: non tamen habet pro objecto universale metaphisicum pro formali pro forma videlicèt extrinseca illud constituente, & ideò benè potest prædicta species ipsum universale pro formali constituere, sicut quia decretum Dei habet pro objecto rem futuram, & non ipsam futuritionem formaliter, potest pro formali constituere rem futuram.

Dices : Species prædicta habet pro objecto universale metaphisicum pro formali : ergò non potest ipsum constituere pro formali. Prob. ant. Natura constituitur universale metaphisicum per unitatem; sed species habet pro objecto naturam ut unam : ergò habet pro objecto universale metaphisicum pro formali.

Sed negatur antec. & ad probationem distinguo maj. per unitatem positivam, concedo maj. negativam, nego maj. & distinguo min. ut unam negativè, concedo min. ut unum positivè, nego min. & conseq. Quia species solum habet pro objecto naturam ut unam negativè, vel secundum prædicata essentialia; non tamen habet pro objecto naturam ut unam positivè, & positivè præcisam, & à singularibus seggregatam, secundum quam rationem est universalis metaphisicè formaliter; & ideò mirum non est, quod secundum considerationem istam constituatur formaliter per speciem, & actionem intellectus agentis, aut per extrinsecam denominationem ab utraque provenientem.

*** *** ***
*** ***
***

§. IV.

Secunda Conclusio statuitur.

Per abstractionem positivam intellectus possibilis fit proximum fundamentum universalis Logici formaliter.

EX illis, quæ §. 1. prænotata relinquimus, constat, abstractionem intellectus possibilis alteram esse positivam attingentem naturam, & ipsa individua tanquam terminum *à quo*: alteram verò negativam esse attingentem naturam secundum propria prædicata, quæ tamen nullo modo singularia cognoscat, & per hanc secundam actionem fieri formaliter universale metaphisicum, & perfectiori modo fieri, quam per actionem intellectus agentis, ex terminis manifestum est.

In præsenti verò conclusione duo prætendimus, fundamentum videlicèt proximum universalis Logici non fieri per actionem prædictam, & fieri per abstractionem positivam intellectus possibilis, quarum utraque pars aliquos Thomistas impugnat, &c.

Primam partem probamus: Quia per illam actionem fit proximum fundamentum universalis Logici, per quam natura redditur proximè capax relationis, qua universale Logicum formaliter constituitur; nam proximum fundamentum alicujus formæ illud est, ad quod pro-

proximè, & immediatè conſequitur ipſa forma; ſed per abſtractionem negativam non redditur natura proximè capax relationis; qua conſtituitur Logicum univerſale: ergò per illam non ponitur proximum fundamentum. Prob. min. Per actionem prædictam non cognoſcuntur ullo modo inferiora naturæ; ſed non cognitis inferioribus, natura non eſt proximè capax relationis univerſalis: ergò per illam actionem natura non fit proximè capax relationis prædictæ. Prob. min. Non cognitis inferioribus ſaltim tanquam terminus à quo, natura perſeverat indifferens, ut ad hæc inferiora, vel ad alia comparetur, & conſequenter indifferens eſt, ut intellectus tribuat illi hanc determinatè, vel alteram intentionem univerſalis: V. g. ratio communis coloris ſemel abſtracta, & cognita negativè indifferens eſt, ut compararetur ad ſpecies determinatas coloris, ut ad albedinem, & nigredinem, vel ad hoyſinem, & æquum, de quibus accidentaliter prædicatur, & per ordinem ad quæ ſubinduit non quidem intentionem ſpeciei, ſed intentionem accidentis quinti prædicabilis: ergò non cognitis inferioribus ſaltim tanquam terminus *à quo*, natura perſeverat indifferens, ut ad hæc inferiora, vel ad alia comparetur, & ut hanc, vel alteram intentionem univerſalis ſubinduat.

Reſpondebis: Non eſſe contra rationem fundamenti proximi, quod perſeveret indifferens ad unam, vel alteram relationem, nam albedo indifferens eſt, ut referatur per relationem ſimilitudinis ad alterum album, vel per relationem diſſimilitudinis ad aliquod nigrum; & tamen albedo eſt proximum fundamentum relationis ſimilitudinis ad alterum album. Sicut ergò albedo poſito termino determinato relationem determinatam fundat, ita natura, quim nova abſtractio neceſſaria ſit: ergò ex quo ex vi abſtractionis negativæ natura perſeveret indifferens ad unam, vel alteram intentionem, non licèt inde colligere ex vi talis abſtractionis non habere eſſe proximum fundamentum.

Sed contra eſt: quia relatio realis conſequitur ad entitatem fundamenti, & ab illo naturaliter dimanat poſito termino determinato; relatio verò rationis non conſequitur ad entitatem ſubjecti, vel fundamenti, ſed præſtatur ab intellectu juxta exigentiam ſubjecti; ſed dum natura non eſt proximè capax intentionis determinatæ, ſed indifferens perſeverat ad unam, vel alteram intentionem, non exigit natura intentionem determinatam: ergò nec

nequit esse proximũ fundamentum determinatæ intentionis.

Sed instabis: per illam actionem poni fundamentum proximum relationis universalis, per quam natura redditur una positivè, & indifferens ad plura, quia nullum aliud fundamentum præter unitatem positivam, & indifferentiam ad plura desiderat intellectus, ut naturæ tribuat relationem universalis; sed per abstractionem negativam redditur natura una positivè cum indifferentia ad plura, siquidem ex vi talis actionis excludit differentias, per quas natura dividitur, & unitas tollitur, & à quibus etiam provenit, quod non possit in plutibus esse: ergò per actionem prædictam ponitur proximum fundamentum intentionis universalis.

Respondetur primò: distinguendo maj. ad plura determinata, concedo maj. indeterminata, nego maj. & per abstractionem negativam manet natura indifferens ad plura indeterminata, siquidem adhuc potest ad hæc, vel ad alia inferiora indeterminatè comparari; propterea que ratione talis actionis non exigit determinatam intentionem; nec habet esse proximum fundamentum illius.

Secundò respondetur: ad fundamentum proximum requiri, quod natura fiat indifferens positivè ad plura, quod tamen natura non habet per actionem prædictam, per quam solum habet esse unam negativè, quando quidem per illam actionem nullo modo cognoscuntur individua, & ad indifferentiam positivam requiritur, terminum indifferentiæ aliquo modo cognosci, sin autem indifferentia erit purè negativa; quatenus natura ad nulla inferiora determinata, & alligata est.

Secundam autem partem, videlicèt per abstractionem positivam poni proximum fundamentum intentionis universalis, ex eadem doctrina opposito modo constituta convincimus: quia per abstractionem positivam fit natura proximè capax intentionis universalis: ergò per illam ponitur proximum fundamentum intentionis prædictæ. Probatur antecedens. Per talem actionem fit natura proximè capax, ut referatur, vel comparetur ad individua determinata ut ad terminum *ad quem*: ergò per illam fit proximè capax determinatæ intentionis, vel determinatæ relationis universalis. Conseq. bona est. Et antecedens probatur. Per talem actionem cognoscuntur individua, à quibus fuit abstracta natura tanquam terminus *à quo* abstractionis prædictæ: ergò per illam fit natura proximè capax, ut ad individua determi-

nata comparetur, quia si semel intellectus cognoscit, illam naturam fuisse abstractam ab his determinatè individuis, cognoscit etiam per eandem actionem saltim exercitè esse naturam propriam horum individuorum, proindeque nihil deficit, ut intellectus possit naturam ad hæc determinatè individua, ut ad inferiora propria formaliter comparare.

Sed instabis contra prædictam conclusionis partem: quia proximum fundamentum universalis Logici fit per actionem intellectus agentis: ergò non per abstractionem intellectus possibilis. Probatur anteced. per actionem intellectus agentis aufertur impedimentum ad intentionem universalis Logici, quia tale impedimentum est singularitas, & hæc tollitur per actionem intellectus agentis: ergò per actionem intellectus agentis ponitur fundamentum proximum universalis Logici.

Poterat responderi primò. Modum arguendi non esse bonum: quia sicut universale metaphisicum fit per actionem intellectus agentis, & perfectiori modo per abstractionem negativam intellectus possibilis, & specificativè est idem formaliter, quamvis formaliter diversum sit in ratione termini, & comparativè ad utramque actionem; quæ comparatio, vel formalitas termini accidentaliter se habet ad essentiam universalis, sicut Petrus albus, & Paulus niger solum accidentaliter distinguuntur inter se, & tamen essentialiter differunt in esse objecti, & in ordine ad conceptum intellectus; ita posset fundamentum proximum universalis Logici fieri per intellectum agentem, & perfectiori modo per intellectum possibilem. Verum quidquid sit de doctrina ista.

Respondetur aliter: Per actionem intellectus agentis tolli impedimentum inadæquatum intentionis universalis; non tamen auferri adæquatum impedimentum, videlicèt indifferentiam naturæ, ut ad hæc, vel alia inferiora indeterminatè comparetur, & ideò quamvis singularitas auferatur per actionem intellectus, non infertur proximum fundamentum per talem actionem poni.

Dices: Relationem universalis Logici non petere pro fundamento naturam ut cognitam in ordine ad individua ut ad terminum *à quo*: ergò totum quod requiritur ad fundamentum prædictum ponitur per actionem intellectus agentis. Probatur ant. Una relatio rationis non potest supra alteram fundari, sicut una relatio realis supra aliam fundari non potest; sed natura cognita in ordine ad

in-

individua, ut ad terminum *à quo* importat relationem rationis ad illa: ergò natura cognita in ordine ad individua non potest pro fundamento ad intentionem universalis Logici requiri.

Respondetur tamen facile: Quod relatio realis naturaliter à fundamento dimanat, & fundamentum habet efficientiam in illam, quæ quidem efficientia repugnat relationi rationis propter suam minimam entitatem; & propterea una relatio realis supra alteram fundari non potest fundamentum verò relationis rationis non importat efficientiam respectu formæ fundatæ, sed solum exigentiam illius, quæ quidem exigentia non repugnat relationi rationis, & ideò una relatio rationis supra alteram fundari potest. Præoculis tamen habendum est talem relationem esse ad individua ut ad terminum *à quo* abstractionis ex parte rationis *quæ*; formaliter tamen, & ex parte rationis sub qua esse ad illa ut ad terminum *ad quem*, quatenus terminus *à quo* præcisionis se habet ut terminus *ad quem* comparativè ad relationem ut ad ipsum terminatam: sicut locus, qui per motum deseritur, est terminus *à quo* mobile recedit, & etiam terminus *ad quem* motus habitudo terminatur.

Secundò arguitur: Per abstractionem supradictam intellectus possibilis non fit natura proximè capax intentionis determinatæ: ergò per illam non ponitur proximum fundamentum intentionis universalis. Probat. antec. Natura albedinis v.g. ut abstracta positivè ab individuis indifferens est ad hanc, & alteram intentionem: ergò non est proximè capax intentionis determinatæ. Probatur anteced. Natura albedinis ut abstracta positivè à Petro, & Paulo indifferens perseverat, ut comparetur ad Petrum, & Paulum, & ita subinduat intentionem quinti prædicabilis, vel ut comparetur ad hoc, & illud album, vel ad hanc, & illam albedinem, & ita subinduat intentionem speciei: ergò natura albedinis ut abstracta positivè ab individuis, & ut talis cognita, indifferens perseverat ad unam, vel alteram intentionem.

Respondetur tamen: motum abstractionis, & comparationis esse motum intellectualem circularem, & in motu circulari illud idem esse terminū *ad quem*, quod in principio fuit terminus *à quo*, ideòque individua, quæ sunt termini *à quo* abstractionis, debere esse terminum *ad quem* comparatur ipsa natura. Undè natura semel abstracta à Petro, & Paulo, & ut talis cognita non est indifferens,

ut

ut comperatur ad alia inferiora, sed determinatè debet ad Petrum, & Paulum comparari.

Sed instabis: Natura albedinis abstracta à Petro, & Paulo non solum potest comparari ad Petrum, & Paulum, sed etiam ad hoc, & illud album, vel ad omnes albedines: ergò solutio nulla est. Probatur ant. primò. Natura albedinis abstracta ab uno individuo potest comparari ad omnia individua ejusdem rationis: ergò abstracta etiam à Petro, & Paulo poterit comparari, non solum ad Petrum, & Paulum, sed ad alia diversæ rationis, ad hoc videlicèt, & ad illud album.

Secundò probatur ant. Natura animalis abstracta ab hominibus potest comparari non solum ad homines, sed etiam ad equos, & ad alia animalia: ergò natura albedinis abstracta à Petro, & Paulo poterit comparari non solum ad illos, sed etiam ad hoc, & ad illud album.

Respondetur ad replicam, negando antec. & ad primam probationem, concesso antec. negatur conseq. Quia omnia individua ejusdem rationis cõveniunt in participando eandem naturam, & ideò natura abstrahitur ab uno individuo secundum convenientiam, quã habet cum alijs ejusdem naturæ. Propterea que ad omnia ejusdem rationis comparari potest; non tamen abstrahitur ab individuo, secundum quod convenit cum alijs diversæ rationis; undè ad alia diversæ rationis comparari non valet, & propter rationem oppositam natura animalis abstracta ab hominibus ut convenientibus cum omni animali, ad omnia animalia comparari potest. Per quod patet ad secundam probationem.

Dices: etiam natura albedinis abstrahitur à Petro, & Paulo quatenus conveniunt in ratione albi cum quocumque altero albo: ergò non solum ad Petrum, & Paulum, sed etiam ad hoc, & ad illud album poterit comparari.

Respondetur negando anteced. Quia albedo non abstrahitur à Petro, quatenus est albus signatè, sed quatenus est albus accidentaliter exercitè, aut individuum naturæ humanæ, cui accidentaliter convenit albedo, in quo convenit Petrus cum alijs individuis humanæ naturæ, non tamen cum hoc, & altero albo, quæ sunt individua albedinis in concreto, & illam signatè, & essentialiter important: Undè album ad hoc, & ad illud album comparatur ut species, & ideò natura albedinis abstracta à Petro, & Paulo solum potest, ad Petrum, & Paulum comparari.

§. V.

§. V.

Tertia concluſio ſtatuitur.

Univerſale Logicum ſit formaliter per actionem ſimplicem comparativam.

CONcluſionem iſtam tradit Angelic. Doct. 1. *p. q.* 28. *art.* 1. *& opuſc.* 56. & pluribus alijs in locis, in quibus repetit eadem doctrinam, quàm habet, *q.* 7. *de Potentia, artic.* 11. per ea verba: *Intellectus ad invenit relationes generis, & ſpeciei, conſiderando ordinem ejus, quod eſt in intellectu ad res ad extra.* Sentit ergò intentionem univerſalis Logici fieri per actionem illam, qua intellectus conſiderat ordinem naturæ genericæ ad ſpecies, vèl ſpeciei ad individua, aut utramque naturam comparat ad inferiora ſua.

Ratione verò probatur concluſio noſtra: forma conſtitutiva univerſalis Logici eſt relatio qua natura reſpicit inferiora; nam univerſale Logicum eſt formaliter unum in multis, quod quidem neceſſario importat formaliter ordinem unius ad multa; ſed relatio prædicta fit per actionem ſimplicem comparativam: ergò per eandem fit formaliter Logicum univerſale. Probatur min. Relatio prædicta fit quando natura cognoſcitur cum ordine ad individua, ad quæ tamen realiter ordinata non eſt; ſed natura cognoſcitur cum ordine ad individua, quando formaliter per actionem intellectus comparatur ad illa: ergò relatio, qua natura reſpicit inferiora, fit formaliter per actionem ſimplicem comparativam.

Reſpondebis: Relationem prædictam non fieri per actionem comparativam; ſed per actum abſolutum per abſtractionem, videlicèt poſitivam intellectus poſsibilis, per quam natura cognoſcitur cum ordine ad individua, ut ad terminum *à quo* qua mediate ponitur formaliter proximum fundamentum relationis, ex quo reſultat abſque aliqua nova actione ipſa naturæ ad inferiora relatio.

Sed contra eſt: quia univerſale Logicum eſt natura reſpiciens plura tanquàm terminum *ad quem*, non quidem à parte rei, ſed in eſſe tantum cognito, aut in eſſe objectivo; ſed natura ſolum formaliter reſpicit plura in eſſe objectivo, quando formaliter comparatur ad ea, vèl cognoſcitur in ordine ad illa, quod ſolum habetur per actum comparativum: ergò univerſale Logicum formaliter, tantum fit per actum comparativum, non per actum abſolutum.

Secundò: ſolutio data in terminis implicare videtur; quia actus, quo natura cognoſcitur in ordine ad individua, ut ad terminum *à quo* eſt actus comparativus, quamvis diſtinctus ab eo,

de quo in præsenti disputamus: ergò implicationem involvit, universale Log cum fieri per actum prædictum, & fieri per actum absolutum, ut asserit data solutio.

Tertio impugnatur: quia universale Logicum fit per actionem illam, qua natura cognoscitur, ut una formaliter in multis: sed per abstractionem prædictam non attingitur natura, ut una formaliter in multis: sed potiùs, ut una à multis, vèl ab eis separata: ergò universale Logicum per actionem illam fieri non potest.

Quarto: si ex vitalis actionis, qua ponitur fundamentum proximum universalis resultaret ipsa universalis relatio, dimanaret quidem à fundamento, & ad ipsum naturaliter sequeretur: sed relatio rationis non potest naturaliter à fundamento dimanare, sed libere ponitur per fictionem intellectus, qui pro libito suo potest fictionem suspendere: ergò ex vi prædictæ actionis, qua ponitur fundamentum non resultat universalis relatio. Probatur min. illud à quo naturaliter aliud dimanat, habet naturaliter efficientiam in ipsum sed fundamentum relationis rationis non habet efficientiam in illam, cum omnis efficientia entis rationis importet aliquam fictionem, & fundamentum non fingat: ergò min. vera est.

Contra conclusionem nostram poterat in primis argui ex Aug. Præcept. pluribus in locis; quibus asserit: universale fieri per actionem intellectus agentis, & maximè 1. *p. q.* 85. *art.* 2. *ad* 2. asserentem: *Quod ad esse abstractum sequitur in natura intentio universalitatis.* Fit ergò universale Logicum per actionem intellectus agentis.

Sed facile respondetur: D Thom. ibidem loqui de universali Metaphisico, quod fieri, concedimus, per actionem intellectus agentis, & dum procedit de intentione rationis, & asserit eam consequi ab abstrationem intellectus de sequela mediata intelligendus est: quia videlicèt ad abstractionem prædictam sequitur talis intentio, non quidem immediatè, sed mediatè considerationem intellectus, & actione comparante naturam abstractam ad inferiora sua.

Dices: naturam sic abstractam per intellectum agentem esse unam negativè; sed natura tali gaudens unitate est universalis Logicè: ergò per actionem intellectus agentis fit Logicum universale formaliter. Probat. min. Natura realiter à singularibus separata tantum esset una negativè, & tamen esset Logicè universalis: ergò natura gaudens unitate negativa Logicè universalis est.

Dices secundò: Naturam abstractam per intellectum agentem non esse singularem: ergò

ap-

debet esse Logicè universalis formaliter, nam inter ista non videtur dari medium. Verum hæc instantia solum probat naturam esse universale metaphisicum, ut abstractam per intellectum agentẽ. Undè de illa nõ curamus, sed.

Ad primam replicam respondemus: quod si daretur natura realiter à singularibus separata esset una negativè, non tamen esset Logicè, sed tantum Metaphysicè universalis.

Secundò respondetur: quod si daretur talis natura realiter separata ab individuis, diceret realem respectum superioritatis ad illa, & ideò esset una positivè, & etiam esset relata, & Logicè universalis.

Dices: etiam naturam abstractam per intellectum agentem dicere relationem ad multa: ergò erit Logicè universalis. Probat. ant. Natura multorum dicit relationem ad multa, sed natura abstracta per intellectum agentem est natura multorum: ergò dicit relationem ad multa.

Respondetur: Naturam multorum dicere relationem ad multa, si ad illa comparetur, quod non habet natura per actionem intellectus agentis, per quam potius recedit ab individuis.

Secundò arguitur: Relatio ad plura non potest constituere universale Logicum: ergò quamvis relatio prædicta fiat per actionem simplicem comparativam, non infertur inde universale Logicum per actionem prædictã fieri. Prob ant. primò. Universale Logicum prædicatur de inferioribus suis; sed relatio rationis de inferioribus non prędicatur, quia Petrus est relatio prędicta, & Paulus est prædicta relatio, sunt falsæ propositiones: ergò prędicta relatio constituere non potest Logicum universale.

2. Probat. ant. Relatio prædicta est in se unica, & singularis: ergò constituere non potest Logicum universale, sicut è contra singulare constitui non valet per formam universalem.

3. Probat. Quia universalitas est species unitatis; sed relatio prædicta species unitatis non est, quia non est ipsa entia divisionis, nec naturam divisam reddit: ergò nequit relatio ista constituere Logicum universale.

4. Probat. Relatio prædicta non constituit universale Logicum, quatenus terminatur ad plura alias relatio Patris ad plures Filios, & Magistri ad plures Discipulos constitueret universale, & rursus: non potest relatio ista constituere universale, quatenus relatio est, nam si ita esset omnis relatio constitueret universale: ergò nullo modo relatio prædicta universale constituere potest.

Confirmatur argumentum; quia ante actionem simplicem comparativam datur universale

formaliter ; sed ante actionem simplicem comparativam non datur illa relatio: ergò nequit illa constituere Logicum universale. Prob. maj. ante actionem simplicem comparativam ponitur fundamentum proximum universalis Logici : ergò ante prædictam actionem datur universale formaliter, nam posito proximo fundamento statim ponitur , vel consequitur forma fundata.

Respondetur ad argumentum negando ant. & ad primam probationem, distinguo maj. universale pro subtracto , concedo maj. pro formali, nego maj. Quia quod prædicatur de suis inferioribus non est ipsa forma rationis; sed natura, quæ universalis constituitur per illam , aut forma rationis prædicatur ut quo , quia est ratio prædicandi; sed sola natura affirmatur ut quod.

Ad secundam probationem, distinguo ant. Singularis ut quod, conced. ant. ut quo, nego antec. Quia licèt relatio illa in se ipsa sit res quædam, & singularis, ut quo tamen constituit naturam in ratione respicientis plura inferiora , & ita ut quo universalis est. Per quod patet ad probationem inducta. quia singulare cõstituitur per formã determinantem ad unum, & cum forma universalis non determinet ad unũ, inde fit, non posse singulare per formam universalem constitui.

Ad 3. probationem dist. In quo maj. pro subtracto, concedo maj pro formali, neg. maj. & concessa min. negatur consequ. Quia universale est unum in ordine ad plura, in quo relatio, vel ordo ad plura importatur de formali, sed unitas naturæ importatur pro subtracto, siquidẽ natura ut una refertur per relationem ad plura.

Ad 4. probationem respondetur: Relationem prædictam constituere universale Logicum , quatenus est relatio unius naturæ ad plura, ut in quibus potest esse , quod quidem alteri relationi non convenit.

Ad confirmationem verò argumenti, negatur maj. & ad probationem , concesso ant. negatur consequ. Quia quamvis relatio realis , quæ à fundamento dimanat , posito fundamento consequatur ad ipsum absque aliqua nova actione ; relatio tamen rationis , cum solum habeat esse objectivum in intellectu, solum ponitur , dum cognoscitur , & cum illius cognitio diversa sit à cognitione fundamenti, inde fit, talem relationem non poni ex vi actionis , qua ponitur fundamentũ, sed ex vi alterius actionis, quæ ut vidimus debet esse comparativa formaliter.

Sed instabis: ad relationem rationis nequit dari per se motus, sicut dari non potest ad relationem realem : ergò relatio rationis non terminat actionem dis-

distinctam ab ea, qua ponitur fundamentum, sed ex eadem actione resultare debet.

Secundò instabis: antequam natura comparetur ad plura, est una, & apta ad essendum in pluribus, nam ideò ad plura comparetur, quia in illis potest esse; sed dum natura intelligitur apta ad essendum in pluribus, intelligitur universalis formaliter: ergò ante actionem comparativam reperitur formaliter Logicum universale.

Respondetur ad primam instantiam: negando antec. Quia relatio rationis non dimanat à fundamento sequela naturali, sicut relatio realis, sed ponitur per illam actionem, qua practicè cognoscitur, & cum detur actio per se primo cognoscitiva ad prædictam relationem terminata, inde fit, dari per se motum ad relationem rationis.

Ad secundam instantiam dicimus quod antequam natura comparetur ad plura, solum habet aptitudinem negativam, vel non repugnantiam ad illa, non tamen habet aptitudinem positivam, nisi quando comparatur ad illa, & ideò antequam comparetur, non est Logicè universali, eo quod universalitas Logica in aptitudine positiva consistit, quæ nihil aliud est, quam habitudo naturæ ad plura, ut in quibus potest esse, & hoc sine relationem non datur; undè cum dicitur, quod ideò comparatur ad plura, quia in illis potest esse, ly *quia* nò denotat causam physicam, aut fundamentum comparationis, sed solum importat sequelam Logicam, & relationis, quatenus ab uno ad alterum est bona conseq. Sola distinctione penes implicitum, & explicitum, ut cum dicimus de aliquo esse simile formaliter, quia refertur ad simile, aut aliquem esse patrem, quia refertur ad filium.

Tertiò arguitur: posito fundamento, & termino, absque aliqua actione nova debet resultare relatio; sed per abstractionem positivam intellectus possibilis ponitur fundamentum, & terminus relationis, siquidem per talem actionem nedum cognoscitur natura ut una, sed etiam inferiora cognoscuntur: ergò per talem actionem, & ante aliam simplicem comparativam, fit Logicum universali formaliter.

Respondetur ad argumentum, negando min. Quia ut resultet relatio debent cognosci inferiora tanquam terminus *ad quem*, sic enim terminant relationem naturæ, & per actionem prædictam solum cognoscuntur tamquam terminus *à quo*, & ideò per talem actionem non ponitur terminus relationis formaliter.

Sed instabis: per actionem prædictam cognoscuntur inferiora, ut in quibus potest esse natura: ergò cognoscuntur tan-

qu.ut terminus *ad quem*. Probatur antecedens primò. Quia unumquodque est capax essendi in illis, à quibus abstrahitur; sed per actionem illam cognoscuntur inferiora tanquam terminus *à quo* abstrahitur ipsa natura: ergò cognoscuntur etiam, ut in quibus potest esse.

Secundò probatur antecedens. Non possunt inferiora cognosci, nisi cognoscatur natura ut existens in illis; sed per actionem illam cognoscuntur inferiora: ergò cogn.scuntur etiam ut in quibus est natura, vel in quibus potest esse. Probatur major. Non possunt inferiora cognosci, nisi cognoscantur ut includentia naturam, eo quod inferiora constituuntur per inclusionem naturæ, quæ verè est essentiale prædicatum illorum ergò non possunt inferiora cognosci nisi cognoscatur natura, quat nus existit in illis.

Secundò inflabs: per eandem actionem secundum formalitatem diversam possunt inferiora cognosci tanquam terminus *à quo*, & simul tanqu m terminus *ad quem*: ergò per actionem supradictam possunt attingi inferiora tanquam terminus *ad quem*. Probatur ant. primò. Quia non minus opponuntur aversio, & conversio in actu voluntatis, quam comparatio, & abstractio respectu intellectus; sed idem actus voluntatis est aversio, & conversio respectu ejusdem termini; sicut patet in odio Dei, qui avertit à Deo, & simul convertit ad ipsum, siquidem specificatur à Deo: ergò etiam per eandem actionem intellectus poterunt inferiora cognosci tanquam terminus abstractionis, & à quo, & simul tanquam terminus comparationis *ad quem*.

Secundò probatur ant. idem motus physicus potest respicere idem punctum, aut eundem locum tanquam terminum *à quo*, & simul tanquam terminum *ad quem*, sicut patet in motu circulari, qui revertitur ad eundem locum, à quo in principio recessit: ergò etiam per eandem actionem, aut motum intellectus poterunt attingi inferiora tanquam terminum *à quo*, & simul tanquam terminus *ad quem*.

Tertiò probatur antec. Per eandem actionem comparativam attingitur natura in ordine ad inferiora, & attinguntur inferiora comparativè ad naturam; siquidem per actionem comparantem naturam ad inferiora, attinguntur ea ut inferiora formaliter, cumque inferius formaliter ut tale importet respectum ad naturam superiorem, per illã eandem actionem debent attingi inferiora comparativè ad naturam: ergò per eandem actionem etiam poterunt attingi inferiora tanquam terminus *à quo*;

&

& simul tanquam terminus *ad quem*, nam utriusque eadem repugnantia videtur.

Respondetur ad primam instantiam, negando ant. & ad primam probationem dicimus, quod licèt natura capax sit essendi in inferioribus, à quibus abstracta est non tamen per actionem prædictam, qua cognoscitur natura ut abstracta ab illis, cognoscuntur inferiora, ut in quibus potest esse natura, sed solum ut à quibus est abstracta quamvis per alteram actionem possint cognosci, ut in quibus potest esse.

Ad secundam probationem ant. negatur maj. & ad probationem aliqui respondent, inferiora physicè sumpta includere naturam, & per illam constituit formaliter, non tamen Logicè, quia Logicè constituuntur solum per respectum subijcibilis ad naturam superiorem.

Verum quamvis inferiora Logicè sumpta constituantur pro formali per respectum subijcibilis; pro subsracto tamen, vel subjecto ipsam naturam important ut determinatam per diversas singularitates, & quatenus in illa conveniunt omnia individua: ergò non possunt inferiora cognosci, quim cognoscatur natura ut existens in illis pro materiali, & subsracto, & consequenter quim cognoscatur in ordine ad illa, ut in quibus est ipsa natura, quod solum posse fieri videtur per actionem comparantem naturam ad inferiora, & ideò.

Respondetur aliter: Inferiora naturæ esse in duplici differentia, alia namq̃ sunt inferiora prædicationis, in quibus natura est, & de quibus prædicatur, ut Petrus, & Paulus, vel equus, & homo comparativè ad animal, & inferiora hæc non possunt cognosci, quim cognoscatur natura, quæ de illorum essentia est; alia verò sunt inferiora contractionis, & abstractionis, per quæ natura superior cõtrahitur, & à quibus separatur remanentibus illis, & tales sunt differentiæ individuales in ordine ad speciem, & specificæ differentiæ in ordine ad genus de quarum essentia non est natura superior, quæ præscinditur ab illis: quapropter inferiora hæc benè possunt cognosci, quin cognoscatur natura superior, quatenus existit in illis; eumque per abstractionem positivam intellectus possibilis solum cognoscantur inferiora contractionis, & abstractionis, inde fit, per actionem illã non debere cognosci naturam ut existentem in illis.

Ad 2. instantiam, negat. ant. & ad 1. probat. negat. min. Quia odium Dei non est aversio, & cõversio respectu ejusdem, sed avertit à Deo per modum fugæ, & recessus, & convertit ad creaturam ad ipsum videlicèt peccatorem,

rem, ob cujus commodum recedit à Deo; nec obstat odium à Deo specificari, quia actus, qui per se primo fuga est, ab eo objecto, vel termino, à quo recedit, accipit speciem suam.

Ad secundam probationem, concesso antec. negatur conseq. Nam motus circularis est transitus materialis de termino *à quo* ad terminum *ad quem*, & quia non implicat idem mobile absque ulla discontinuatione motus redire ad eundem locum à quo prius recessit, propterea non implicat eundem realiter motum habere pro termino *ad quē* illud idem, quod fuit terminus *à quo*; verum respectu intellectus, dum illud, quod attingitur per modum termini *à quo*, attingitur postea per modum termini *ad quem*, variatur objectum in esse objecti formaliter, & ita actio intellectus debet esse diversa eo quod ad multiplicationem formalem objecti intellectus operatio multiplicatur realiter.

Ad tertiam probationem concesso antec. negatur conseq. Quia terminus abstractionis est terminus recessus, & à quo, & terminus comparationis est terminus accessus, & ad quem; qui quidem termini opponuntur formaliter privativè, & contradictoriè virtualitèr: undè eadem actio non potest attingere naturam in ordine ad inferiora ut à quo, & simul in ordine ad inferiora ut ad terminum ad quem; potest tamen eadem actio comparare naturam ad inferiora, & simul inferiora ad naturam; nam relatio naturæ ad inferiora, & relatio inferiorum ad naturam solum opponuntur relativè; non tamen contradictoriè, vel privativè; sed potius essentialiter connectuntur, quia non potest intelligi relatio superioris ad inferiora, quin intelligatur relatio inferiorum ad naturam superiorem: undè relationis istæ per eandem actionem fiunt, per se primo quidem relatio naturæ ad inferiora, & ex consequenti relatio inferiorum ad naturam, eo quod sicut una relatio sine alia esse non potest, ita non potest intellectus comparare naturam ad inferiora, quin simul comparet inferiora ad naturam.

§. Ultimus.

Corollaria ex dictis.

EX dictis colligitur primò: Universale Logicum non fieri per actionem comparativam completam, quia comparatio composita est actualis prædicatio naturæ de inferioribus suis; sed actualis prædicatio supponit universale: ergò universale non fit per actionem comparativam compositam. Probatur min. Actualis prædicatio supponit naturam unam, & positivè ap-

aptam ad essendum, & prædicandum de pluribus, nam potentia prior est actu: ergò supponit universale formaliter. Insuper prædicatio actualis supponit prædicabile; sed prædicabile supponit universale: ergò actualis prædicatio universale supponit.

Dices: Universale Logicum fieri per actum, quo cognoscitur natura ut una in pluribus; sed hic actus est comparatio composita: ergò universale fit per comparationem prædictam. Probat. min. Quando concipitur natura ut una in pluribus, concipitur ut identificata cum illis; sed solum per comparationem compositam concipitur natura identificata cum inferioribus suis, siquidem sola prædicatio importat identitatem prædicati cum subjecto: ergò actus, quo cognoscitur natura ut una in pluribus est comparatio composita.

Respondetur distinguendo maj. in pluribus aptitudine, concedo maj. in pluribus actu, nego maj. Nam actus, quo fit universalis Logicum non est ille, quo natura cognoscitur, quatenus existit actualiter in pluribus, sed quo cognoscitur ut apta ad essendum in illis, & hic actus est simplex comparatio intellectus.

Dices secundò: Universale Logicum fit per actum, quo cognoscitur natura præcisa ab inferioribus suis: sed dum intellectus affirmat hominem esse animal cognoscit utrumque extremum ut ab inferioribus præcisum; cum prædicatum non affirmet de individuis, sed solum de natura communi: ergò universale Logicum fit per actualem prædicationem, vel actionem comparativam compositam.

Sed facilè respondetur: Universale Logicum fieri per actum, quo cognoscitur natura ut præcisa ab inferioribus, & per ordinem ad illa; non tamen per ordinem ad alium terminum, qualiter in prædicta propositione attingitur homo in ordine ad animal, & animal in ordine ad hominem, & ita per enuntiationem prædictam non fit universale formaliter.

Secundò colligitur: Non fieri universale Logicum per actionem comparativam discursus, quia discursus prædicationē supponit, cum ex propositionibus fiat, & consequenter si prædicatio supponit factum universale Logicum, etiam discursus ipsum jam factum supponit.

Dices: Quod dum discursu probamus, naturam est unam in multis, cognoscimus naturam ut unam in multis: ergò facimus Logicum universale, cujus essentia consistit in eo quod natura cognoscatur ut una in inferioribus suis.

Sed facile dicitur: Quod dum discursu probamus: Naturam esse unam in multis, specu-

ativè cognoscimus naturam universalem, practicè tamen universalitatem facta supponimus.

Tertiò colligitur: Essentiam universalis in eo cõsistere, quod natura cognoscatur ut una apta ad essendum in inferioribus suis illam verò concipi ut de illis prædicabilem non esse essentiam universalis, sed passionem quandam illius, quia esse prædicabilem de inferioribus, supponit naturam aptam ad essendum in illis. Et consequenter naturam universalem supponit.

Dices: quod universale denominatur Logicum, quatenus est prædicabile: ergò prædicabilitas est universalis essentia.

Confirmatur: prædicabilitas de pluribus est perfectior aptitudine ad essendum in illis; sed essentia perfectior est proprietatibus: ergò prædicabilitas, & non aptitudo prædicta est essentia universalis. Probat. major. Actualis prædicatio est perfectior, quam existentia naturæ in pluribus, siquidem actualis prædicatio fit per judicium intellectus, qui actus perfectior est, quam apprehensio, per quam natura concipitur, quatenus in inferioribus est: ergò etiam prædicabilitas de pluribus perfectior erit, quam aptitudo ad essendum in illis, quia sicut actus excedit actum, ita potentia debet potentiam excedere.

Respondetur ad replicam: Universale nedum pertinet ad Logicam, quatenus est prædicabile, sed etiam, & per se primo ad illam pertinere secundum rationem formalem universalis, quã Logica per se primo considerat, & ad quam rectè statuendam per se primo dirigit intellectum.

Ad confirmationem respondent aliqui in physicis perfectiorem esse essentiam, quia proprietates dimanant ab illa; in entibus verò rationis non ita contingere propter rationem oppositam.

Sed universaliter verum est, quamcumque essentiam radicare proprietates, & habere primum esse; proprietates verò solum accidentaliter perficere, & ita quæcumque essentia, vel realis, vel rationis debet excedere proprietates, cum in ente rationis proprietates sint propter essentiam, & non essentia propter suas proprietates: quapropter.

Ad confirmationem: negatur maj. & ad probationem negatur ant. Quia ex quo actualis prædicatio terminet judicium intellectus, solum infertur in ratione termini esse perfectiorem quatenus perfectiorem terminat actum; non tamen esse perfectiorem absolutè, & comparativè ad actum, quo natura existit in inferioribus suis.

Et si dicas: Quod ad actus subordinatos non datur nisi una potentia; sed actus, quo natura,

est

eſt in multis, & actus, quo de illis prædicatur ſunt actus ſubordinati: ergò una, & eadem eſſentia univerſalis eſt potentia per ſe primo ad unum, & ex conſequenti ad alium: conſequenterque una, & eadem abſque ulla diſtinctione erit eſſentia univerſalis, & prædicabilis ſimul.

Reſpondetur ad actus rationis ſubordinatos non ſufficere unam potentiam, quia per actum, quo fingitur potentia ad unum, non fingitur potentia ad alium, cum ex parte actus primi poſsit cognoſci potentia per ordinem ad unum, quin cognoſcatur in ordine ad alterum, & eo ipſo quod non cognoſcatur in ordine ad alterum, non datur potentia rationis, quæ ſolum eſt, dum cognoſcitur.

LIBER QUARTUS.

DE PRÆDICABILIBUS, ET IN EO Quæſtio prima.

DE COMPARATIONE UNIVERSALIS ad quinque prædicabilia.

ARTICULUS I.

Vtrùm univerſale dividatur adæquatè in quinque prædicabilia?

§. I.

Senſus explicatur difficultatis, & ſtatuitur affirmativa concluſio.

CUM omnia prædicabilia prædicentur, vel in quale, vel in quid, antequam ad ea in particulari deſcendamus, prædictos terminos explicare debemus: eſt igitur prædicari in quid, prædicati eſſentialiter, & ſubſtantivè, ut cum dicitur, Petrus eſt homo, aut homo eſt animal, in quibus propoſitionibus homo, & animal eſſentialiter ſubſtantivè prædicantur, prædicari verò in quale eſt prædicari adjectivè, & per modum formæ alterum determinantis, ut cum dicitur homo eſt rationalis, homo eſt riſibilis, homo eſt albus: quia tamen forma determinans poteſt eſſentialiter convenire; ſicut rationalitas homini; aut ac-

accidentaliter necessario, sicut risibile, aut accidentaliter contingenter, sicut esse album. Propterea prædicati in quale his tribus prædicabilibus commune est, quorum primum videlicèt differentia prædicatur in quale quid, alia verò absolutè prædicantur in quale eo quod prædicari in quale sine ullo addito, & absolutè prolatum formæ accidentalis proprium est.

Modo autem præmittendum est: Universale, & prædicabile debere esse omnino unum, & consequenter univocum, ex quo habetur analoga, & æquivoca non esse verè prædicabilis; prima quidem, quia sint partim eadem, & partim diversa, & non omnino una, secunda verò, quia totaliter diversa sunt, & solum habent unitatem in eo, quod est per eandem vocem significari; & ex inde etiam colligitur prædicata transcendentia non esse prædicabilia, vel quia transcendentia causat analogiam, vel quia præcisionem perfectam tollit, & omne verè prædicabile debet perfectè præscindere; & similiter habetur inde, prædicata negativa, & prædicata complexa prædicabilia non esse; negativa enim, quia aliquam transcendentiam important, & non dicunt de suis inferioribus, quid sint, vel qualia sint, sed potius quid non sint; secunda verò, quia non habent unitatem talem simpliciter, quia complexis duplex conceptus, & non unicus correspondet, & tandem habemus prædicata incompleta sicut anima, & materia, vel punctum indivisibile quantitatis non esse prædicabilia, eo quòd prædicabilia sunt prædicata completa.

Dices: Rationem entis incompleti non obstare ad rationem prædicabilis, siquidem differentia, & genus sunt aliquid incompletum, eo quod sunt partes compositi metaphisici: & tamen sunt verè prædicabilis.

Sed facile respondetur: Genus, & differentiam esse aliquid incompletum secundum illud, quod important in actû, & quatenus partes compositi sunt; esse tamen aliquid completum secundum illud, quod in confuso, vel impotentia dicunt; nam prout sic involvunt cœteras partes.

Dices: etiam anima, & punctum secundum illud, quod in potentia dicunt, esse entia completa, quia prædicatum superius est totum potentiale, & in potentia continet inferiora; anima verò, & punctum prædicata superiora sunt, eo quod anima ut quid superius prædicatur de omni anima, & punctum de omni puncto.

Respondetur animam, & punctum metaphisicè sumpta, &

& comparativè ad diversas animas, aut puncta diversa, quarum differentias continent in potentia, esse aliquid Metaphisicè complerum, & prout sic verè habere rationem prædicabilis, & reduci ad genus, vel ad speciem juxta modum prædicandi; nam anima de hac, & illa anima, & punctum de hoc, & puncto prædicantur ut species, dicendo totam essentiam, & animam in communi tanquam ratio generica prædicatur de anima vegetativa, sensitiva, & rationali; si tamen physicè considerentur, & comparativè ad totum, cujus sunt partes incompletæ, anima videlicèt in ordine ad hominem, & punctum in ordine ad quantitatem, verè prædicabilia non sunt, nec possunt aliquam intentionem subinduere prædicabilis, imò nec directè prædicantur de subjecto, sed tantum indirectè, ut cum dicimus homo est habens animam, ut quantitas habent punctum.

His ergò prælibatis Authores aliqui plurima congerunt prædicabilia; alij minorant, sed cum Porphyrio, cujus authoritas specialiter in materia præsenti apprecianda est, & Sanctissimo Præceptore, quinque tantum prædicabilia assignamus, quod idem est ac dicere esse quinque, & non esse plura, quam quinque, & consequenter divisionem esse adæquatam, & hæc est,

§. II.

Nostra Conclusio.

RAtione brevi, sed efficaci probatur: Tot sunt prædicabilia, quod sunt modi prædicandi superioris de inferiori per modum prædicati univoci completi, possitivi, & incomplexi; sed isti modi sunt quinque, & non sunt plures, quam quinque: ergò prædicabilia sunt quinque, & non sunt plura quam quinque, & consequenter est adæquata divisio. Probatur minor: Quia prædicatum superius univocum, vel prædicatur, dicendo totam essentiam, sicut homo prædicatur de Petro, & Paulo, & ita est species: aut dicit partem essentiæ determinabilem, sicut animal dicit partem, aut rationem communem hominis determinabilem per ipsius specificam differentiam, & sic est genus; vel dicit partem determinantem essentiæ, sicut rationale dicit differentiâ essentialiter determinantem rationem genericam animalis, & sic est prædicabile differentiæ: vel prædicatur ut accidens propriũ dimanans ab essentia, & necessario cum illa conjunctum, & sic est proprium quartum prædicabile: vel tandem est accidens, quod ab essentia non dimanat, sed advenit contingenter,

ter, ſicut eſſe album, & ſic eſt prædicabile quintum: ſed præter modos iſtos prædicandi non eſt aſsignabilis alius, ſed potius omnes reducuntur ad iſtos : ergò modi prædicandi ſuperioris de inferiori per modum prædicati univoci, completi, poſſitivi, & incomplexi ſunt quinque, & non ſunt plures quam quinque.

§. III.

Argumentis occurritur.

CONTRA Concluſionem arguitur primò : Quia univerſale adæquatè dividitur in duo prædicabilia, videlicèt in prædicabile eſſentialiter, & prædicabile accidentaliter, nam omne quod prædicatur eſſentialiter, aut accidentaliter prædicatur : ergò diviſio univerſalis in quinque prædicabilia bona, & adæquata non eſt.

Reſpondetur : Univerſale dividi in hæc duo prædicabilia aſsignata tanquam in ſpecies ſubalternas diviſibiles in alias ſpecies infimas; quæ quidem ſpecies infimæ adæquatè dividentes ſunt quinque aſsignatæ, & non plures, vel pauciores, & ita præfata diviſio adæquata eſt.

Secundò arguitur : Tot modis dicitur unum oppoſitorum, quod dicitur alterum juxta Ariſt. 1. *top. cap.* 13. Sed univerſale, & particulare, vel inferius ſunt oppoſita, & inferius tantum dicitur duobus modis, nempè ſpecies, & individuum: ergò univerſale, & ſuperius eiſdem duobus modis dicetur, genus videlicèt, aut ſpecies, & conſequenter hæc duo tantum aſsignari debent prædicabilia.

Confirmatur : Non dantur quinque prædicata : ergò non dantur quinque prædicabilia, quia omne prædicabile poteſt actualiter eſſe prædicatum. Antec. patet ex Ariſt. 1. *top. cap.* 4. numerante tantum quatuor prædicata, videlicèt, genus, diffinitionem, proprium, & accidens.

Reſpondetur ad argumentum : Tot modis dici unum oppoſitorum, quot dicitur alterum conſiderata formaliter, ut oppoſita, ſed particularia, vel inferiora ſumpta formaliter ſunt quinque, nam prout ſic conſtituuntur per reſpectum, & ordinem inferioris, qui reſpectus quintuplex eſt, ſicut etiam quintuplex eſt relatio ſuperioris.

Ad confirmationem reſpondetur : prædicata Logica, & quæ verè tanquam ſuperiora prædicantur eſſe quinque aſsignata, prædicata verò topica eſſe tantum quatuor: nam

nam topica prædicata ea ſunt, ex quibus argumenta topica formari poſſunt; & quia ad hoc eodem modo conducunt ſpecies, diffinitio, & differentia, propterea Ariſtot. hæc tria diffinitione comprehendit, & quatuor tantum prædicata aſſignavit.

Tertiò arguitur: Individuum vagum, perſona, & ſuppoſitum prædicantur per modum ſuperioris de inferioribus ſuis, ut cum dicimus, Petrus eſt aliquis homo. Perſona, & ſuppoſitum; & inſuper perſona eſſentialiter prædicatur de hac, & illa perſona, & ſuppoſitum de hoc, & illo ſuppoſito: ergò alia dantur prædicabilia præterea, quæ aſſignata relinquimus.

Confirmatur: Nam hæc prædicatio, homo in quantum ſubſtantia eſt ſubſtantia non pertinet ad aliquod ex aſſignatis. Et hæc prædicatio, Deus eſt homo, non pertinet ad quatuor priora prædicabilia, quia neceſſario non eſt, nec pertinet ad quintum, quia prædicatum eſt de eſſentia ſubjecti: ergò ad aliud pertinet.

Reſpondetur ad argumentum: quod individuum vagum perſona, & ſuppoſitum non ſunt directè prædicabilia, quia non important in recto naturam, vel partem naturæ, vel accidens illius, ſed ſolum modum aliquem incomplexum naturæ, vel alicujus prædicati naturæ in communi, & ideò reducuntur ad illud prædicabile, cujus modum particularem important, ſicut aliquis homo reducitur ad ſpeciem, & aliquod animal reducitur ad genus: ſi tamen perſona conſideretur in ordine ad hanc, & illam perſonam, & ſuppoſitum ad hoc, & illud pertinent, ad ſpeciem, quia perſona in ordine ad hanc, & illam perſonam, ut per pronomina determinatam totam eſſentiam importet.

Dices: Hæc propoſitio, equus eſt aliquod animal non eſt prædicatio generis, quia ly *aliquod* animal indicat determinatum, vel modum illius determinatum eſſendi: ergò individuum vagum non reducitur ad genus, nec ſpecificum ad ſpeciem.

Reſpondetur: Talem prædicationem non eſſe propriè generis; nam genus propriè ſumptum ſignificat partem determinabilem eſſentiæ, & ly *aliquod* animal denotat aliqualem, vel modum particularem rationis genericæ, ſed propter hanc eandem rationem ad genus reducitur.

Addimus: propoſitiones ſupradictas: Petrus, videlicèt, eſt perſona, aut eſt ſuppoſitum pertinere

ad

ad quintum prædicabile, nam idem eſt dicere: Petrus eſt ſuppoſitum, & Petrus ſubſiſtit, & Petrus eſt perſona, idem eſt quod dicere, Petrus ſubſiſtit in rationali natura, quæ propoſitiones accidentales ſunt, ſicut, & hæc Petrus exiſtit.

Ad confirmationem reſpondetur: negando antec. Nam hæc propoſitio, homo in quantum ſubſtantia eſt ſubſtantia, eſt prædicatio ſpeciei, quia homo in quantum ſubſtantia ſolum exprimit ſubſtantiam, & ideò prædicatum dicit totam eſſentiam ſubjecti, ſicut in hac, hæc ſubſtantia eſt ſubſtantia. Similiter hæc prædicatio Deus eſt homo eſt prædicatio ſpeciei, ſicut altera Chriſtus eſt homo, eo quòd Deus homo ſpecificè convenit cum omnibus alijs in ratione hominis. Nec obſtat Deum, & hominem contingenter conjungi, quia quamvis duo accidentaliter prædicabiliter conjungantur, ſi tamen unum trahitur ad eſſe alterius, prædicatum proprium unius eſſentialiter de alio dicitur, eo quod non de illo ſecundum propriam naturam, ſed ſecundum naturam, ut ad ſe tractam, vel à ſe terminatam prædicatur.

Quartò arguitur: Dantur novem prædicamenta accidentis: ergò dantur novem accidentis prædicabilia, nam prædicamentum eſt prædicabiliũ ordinatio.

Sed negatur conſeq. Nam ratio prædicabilis, & ratio prædicamenti ſummitur à diverſo principio, quia ratio prædicamenti ſummitur ex diverſo modo eſſendi in re, & abſolutè, & ex diverſis effectibus, quos diverſa accidentia communicant, & cum dentur novem modi eſſendi accidentis, adæquatè diſtincti, inde fit, dari novem prædicamenta accidentium; ratio tamen prædicabilis ſummitur ex diverſo modo eſſendi ſuperioris in inferioribus ſuis, quod tantum contingere poteſt in accidenti dnobus modis aſsignatis, videlicèt per modum accidentis proprij, vel accidentis communis: ex quo autem prædicamentum ſit prædicabilium ordinatio, tantum ſequitur omne prædicamentum conſtare ex quinque prædicabilibus aſsignatis, in quocumque prædicamento materialiter diſtinctis.

Dices primò: tot ſunt partes univerſalis, quot ſunt partes entis ſecundum Ariſt. 4. Metaph. *cap.* 2. Sed partes entis ſunt prædicamenta, & partes univerſalis ſunt prædicabilia: ergò tot debent eſſe prædicabilia accidentis, quot ſunt illius prædicamenta.

Dices ſecundò: Diverſitas prædicandi ſummitur ex diverſo modo, quo forma eſt in ſubjecto; ſed novem modis accidens eſt in ſubjecto, juxta ſolu-

tio-

tionem datam : ergò dantur novem prędicabilia accidentis. Minor cum conſequentia tenet, & major conſtare videtur ex eo, quod forma eo modo, quod eſt in ſubjecto de illo prædicatur: ergò diverſitas prędicandi ſummitur ex modo diverſo, quo forma in ſubjecto eſt.

Reſpondetur ad primam inſtantiam : diſtinguendo maj. Univerſalis pro materiali : conced. maj. pro formali, nego major. Quia partes univerſalis pro materiali ſunt naturæ univerſales, quas fatemur eſſe tot, quot ſunt prædicamenta, nam ex omnibus illis naturis prædicamenta coaleſcunt ; ſed partes univerſalis pro formali ſunt intentiones, quibus naturæ prædictæ prædicabilis conſtituuntur, & intentiones iſtæ ſolum poſſunt eſſe quinque ſpecificè diverſæ.

Ad ſecundam diſtinguo maj. In ſubjecto attributionis, & prædicationis inferioris ad formam, conc. maj. in ſubjecto inhæſionis, nego maj. & diſtinguo min. in ſubjecto inhæſionis concedo min. attributionis, nego minor. & conſeq. Nam omnia novem genera accidentis diverſo modo inhærent ſubſtantiæ, & ita diverſo modo in illa ſunt tanquam in ſubjecto inhæſionis diverſæ, non tamen ſunt in illa ut in ſubjecto inferiori tot modis diſtincto formaliter, nam omnia hæc accidentia per modum ſuperioris ſolum poſſunt prædicari per modum proprij, vel accidentis communis, & omnis alia differentia de materiali ſe habet, & pertinet ad modum eſſendi in alio, & non ad modum prædicandi ſuperioris de inferiori.

Quintò arguitur : Datur duplex prædicabile differentiæ, quia differentia ſubalterna prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, & athoma prædicatur de pluribus differentibus numero, & ita debent diſtingui formaliter ſicut genus, & ſpecies conſtituunt prædicabilia diverſa, quia genus prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, & ſpecies prædicatur de pluribus differentibus numero: ergò præter quinque dicta prædicabilia alia debent aſſignari.

Reſpondetur : negando antec. Quia licet differentia ſubalterna prædicetur de pluribus differentibus ſpecie, & athoma de pluribus differentibus numero, utraque tamen habet eundem modum prædicandi, eo quod utraque prædicatur, ut dicens partem eſſentiæ actualem, & determinantē formaliter, nec ideò genus, & ſpecies diſtinguuntur formaliter, quia genus prędicatur de pluribus differentibus ſpecie, & ſpecies de pluribus differentibus numero, ſed quia ſpecies dicit totam eſſentiam: genus verò partem determinabilem, & po-

potentialem essentiæ, & ita modus prædicandi formaliter diversus est.

Sed instabis, quia differentia subalterna prædicatur ut dicens partem determinabilem; nam sensibile, v.g. quod est differentia subalterna verè contrahibile; & determinabile est per differentiam hominis, & æqui; differentia verò athoma dicit partem determinantem: ergò modus prædicandi utriusque differentiæ est formaliter diversus.

Secundò instabis: differentia subalterna, & athoma dicunt relationes diversas formaliter: ergò constituunt prædicabilia formaliter distincta. Probatur antec. Differentia subalterna, & athoma respiciunt terminos distinctos formaliter, videlicèt plura differentia specie, & plura numero differentia: ergò dicunt relationes diversas formaliter.

Respondetur ad primam replicam: Quod differentia subalterna considerata formaliter, ut differentia est, respicit rationem superiorem ut contrahibilem per ipsam; undè prout sic solum dicit partem determinantem essentiæ, & in hac consideratione loquimur in præsenti de illa; si autem consideretur, quatenus est idem cum specie subalterna, quam constituit, sic dicit partem contrahibilem, verum sic modo considerata non est differentia, sed genus.

Ad secundam replicam dicitur: Utramque differentiam respicere solum terminum materialiter diversum, & quatenus terminat eundem modum formaliter prædicandi; quod formaliter se habet in terminando relationem differentiæ; inferiora verò esse numero, vel specie distincta de materiali se habet, sicut esse Philosophum pertinet ad quintum prædicabile, ad quod etiam pertinet esse album, & utrumque respicit eundem terminum pro formali, quamvis album prædicetur de pluribus differentibus specie, & esse Philosophum solum homini conveniat, proindeque solum possit prædicari de pluribus differentibus numero.

Tandem poterat argui: Quod modus prædicandi inseparabiliter, & necessario, & modus prædicandi separabiliter, & contingenter non potest variare duo ultima prædicabilia, sicut nec modus prædicandi intrinsecè, vel extrinsecè variat formaliter prædicabile, nam hominem esse extrinsecè cognitum, & esse album ad idem quintum prædicabile pertinent.

Sed respondetur: Quod intrinsecum, & extrinsecum variant modum denominandi, sed non modum prædicandi, eo quod non diversificant connexionem superioribus cum inferiori; nam denominatio extrin-

trinseca cogni i ita contingenter advenit, sicut denominatio intrinseca albi, & æquali contingentia connectitur; verum accidens commune contingenter cum subiecto connectitur, & connexio proprij necessaria est, unde dispar est ratio.

ARTICULUS II.

Vtrùm universale sit genus ad quinque prædicabilia?

§. I.

Apperitur difficultas, & statuitur affirmativa conclusio.

NON procedit quæsitum præsentis articuli de prædicabilibus formaliter, ut talia sunt, quia cum prædicabilitas sit passio universalis, & nulla essentia possit esse genus respectu suæ passionis, universale non potest esse genus ad prædicabilia formaliter. Sed quod in dubium vertitur est, an universale sit genus ad quinque universalia, quę memoravimus supra ad genus videlicet, & speciem, differentiam, proprium, & accidens, quæ prædicabilia dicuntur, & quia ipsa prædicabilitas est, passio universalis, eaque notissima est, propterea sub titulo prædicabilium difficultas nostra proponitur, in qua est.

§. II.

Affirmativa conclusio.

COnclusionem nostram ratione communi efficaciter probamus; nam genus est quod prædicatur in eo quod quid de pluribus differentibus specie; sed universale prædicatur inquid de quinque prædicabilibus assignatis, & illa distinguuntur specie: ergò universale est unus ad quinque prædicabilia. Min. quantum ad utramque partem constat: quoad primam quidem, quia iste propositiones: genus est universale, species est universalis sunt essentiales, & idem de alijs prædicabilibus: ergò universale prædicatur inquid. Quoad secundam probat. Nam omnia prædicabilia habent oppositum modum prædicandi formaliter, & diverso modo inferiora respiciunt, ut constabit ex infra dicendis: ergò illa distinguuntur specie.

§. III.

Argumentis contrariorum

CONTRA conclusionem arguitur primo: Uni-

versale est analogum ad quinque prædicabilia: ergò non est genus ad illa. Probatur ant. primo. Universale transcendit ultimas differentias prædicabilium, nam ultima differentia cujuscumque prædicabilis est prædicabilis, & consequenter est universalis: ergò universale est analogum, quia ex transcendentia oritur analogia.

Secundo probatur anteced. Nihil potest univocum dari ad prædicari essentialiter, & accidentaliter, sicut nihil datur univocum substantiæ, & accidenti, alias ad decem prædicamenta daretur aliquod prædicatum univocum: sed tria prima prædicabilia essentialiter prædicantur, & alia duo dicuntur accidentaliter: ergò universale non est univocum, sed analogum ad quinque prædicabilia.

Tertiò probatur ant. Aliqua ex quinque prædicabilibus v. gr. proprium, & accidens non sunt universalia simpliciter: ergò universale non est univocum, sed analogum ad illa. Probatur antec. Quod est universale simpliciter, est unum simpliciter; sed illa duo non sunt unum simpliciter, eo quod sunt concreta accidentalia, & talia concreta non sunt simpliciter unum, quia sunt entia per accidens: ergò illa prædicabilia non sunt universalia simpliciter.

Respondetur ad argumentum: negando duo illius antecedentia, quia licèt ultima differentia cujuscumque prædicabilis sit universalis accidentaliter denominativè, & ut quod quatenus intellectus reflexibus est, & potest ultimam differentiam generis v. gr. ad sua inferiora comparare in ordine videlicet ad omnes intentiones generis, & sic illam denominare universalem: non tamen ultima differentia cujuscumque prædicabilis est universalis essentialiter, & ut quo, quia non est forma per quam aliquid constituitur universale, sed talis forma solùm est ipsa intentio universalis communis ad omnia prædicabilia, & hoc ultimum necessarium erat, ut universale differentias ultimas prædicabilium transcenderet.

Ad secundam probationem ant. distinguo maj. ad prædicari essentialiter, & accidentaliter in esse entis, concedo maj. in ratione prædicabilis, nego maj. Quia accidens, & substantia quamvis in esse entis, & materialiter non possint univocè convenire; in ratione tamen prædicabilis possunt habere univocam convenientiam, & illam de facto habent in ratione universalis communi, quam simpliciter, & univocè participant.

Ad

Ad tertiam probationem reſpondetur : Quod quamvis concreta accidentalia materialiter accepta pro aggregato ex ſubſtantia, & accidenti, non ſint ſimpliciter unum; formaliter tamen ſumpta, & ut ad invicem forma, & ſubiectum ordinantur, quatenus forma ſubjectum denominat, & ſubjectum ſubditur illi, & ab ea denominatur, ſunt unum ſimpliciter : unde duo ultima prædicabilia formaliter accepta unum ſimpliciter ſunt ; & maximè cum tàm ſubjectum, quàm forma inconcreto eidem, intentioni univerſalis ſubordinentur. Et quidem ſi convincere argumentum nullum univerſale eſſet ſimpliciter tale, & unum ſimpliciter, ſiquidem omnia univerſalia conſtat ex aliqua natura, & ſecunda intentione rationis, ex quibus tantum poteſt concretum accidentale conſurgere.

Secundo arguitur: Univerſale eſt accidens quintum prædicabile, ſiquidem eſt accidens rationis, quod accidentaliter contingenter convenit ſubjecto denominato : ergò non eſt genus.

Confirmatur : Accidens quintum prædicabile non eſt univerſale ſimpliciter: ergò univerſale non eſt genus ad omnia prædicabilia. Probatur anteced. Univerſale eſt unum aptum identificari cum multis; ſed accidens non poteſt ſimpliciter identificari cum multis, ſiquidem accidens cum ſubſtantia identificari non poteſt : ergò accidens quintum prædicabile non eſt univerſale ſimpliciter.

Confirmatur, & urgetur: Si univerſale eſſet genus ad quinque prædicabilia ; contineretur ſub genere primò prædicabile, ſub quo omnia genera continentur, ſed univerſale contineri non poteſt ſub genere primo prædicabili : ergò genus eſſe non poteſt. Probatur min. Nullum diviſum poteſt contineri ſub aliquo ex membris dividentibus, alias eſſet ſuperius, & inferius ad ipſum : ergò univerſale contineri non poteſt ſub genere primo prædicabili.

Reſpondetur ad argumentum : negando antecedens. Quia licet univerſale ſit accidens comparativè ad hanc, & illam naturam, quam univerſalem denominat ; non tamen eſt accidens comparativè ad omnia univerſalia, ſed de illis eſſentialiter prædicatur, ſicut color eſt accidens comparativè ad quantitatem diverſam, quam denominat coloratam ; non tamen comparativè ad albedinem, & nigredinem, de quibus color eſſentialitate prædicatur.

Ad primam confirmationem reſpondetur : negando antecedens, & ad probationem diſtinguitur min. Accidens in abſtracto, conced. antecedens; pro ſubſtracto, nego anteced. & conſeq.

seq. Quia licèt accidens in abstracto non possit identificari cum subjecto inferiori, aut cum substantia concretum tamen accidentis cum substantia identificatur, eam concretum supponit pro subjecto habente formam, quod subjectum est idem realiter cum substantia, & non accidens in abstracto, sed accidens in concreto, vèl concretum accidentis quintum prædicabile constituit.

Ad secundam confirmationem respondetur: distinguendo maj. continetur ut quod accidentaliter, & denominativè concedo maj. essentialiter & ut quo, nego maj. & sub eadem distinctione minoris, negatur conseq. Nam ex quo universale sit genus ad quinque prædicabilia tantum sequitur contineri sub genere primo prædicabili accidentaliter, & denominativè, quatenus subjectum est secundæ intentionis generis & ab illa denominatur; non verò sequitur, contineri sub genere essentialitèr, & ut quo, quia universale essentialiter à genere differt, & intentio constitutiva universalis essentialiter distincta est ab intentione constitutiva generis. Universale autem accidentaliter, & denominativè contineri sub genere, nullam implicationem involuit, sicut terminus, qui dividitur in univocum, & æquivocum essentialiter abstrahit ab utroque, & tamen denominativè est divocus, siquidem univocè in utrumque dividitur.

Dices: Ex prædicta solutione sequitur, universale etiam contineri sub se ipso accidentaliter denominativè, siquidem accidentaliter continetur sub genere: & genus necessario sub universali continetur: ex quo concluditur, universale contentum sub genere eodem modo contineri sub se ipso, quod non videtur dicendum: ergò nulla est data solutio.

Respondetur: quod universale sicut denominativè ut quod, & accidentalitèr continetur sub genere, etiam eodem modo continetur se ipso: & de se accidentaliter prædicatur, quamvis sub alia consideratione sit essentialiter universale, sicut terminus essentialitèr divisus in univocum, & æquivocum, & essentialiter abstrahens, denominativè, & ut quod continetur accidentaliter sub termino univoco, & etiam mediate accidentalitèr sub se ipso continetur, & se ipso inferior est. Nec implicat prædicatum essentialiter sui esse ad se ipsum inferius accidentalitèr, sicut in exemplo supra adducto de termino constat.

Et si dicas: quod quia animal est genus ad hominem, nec accidentaliter potest sub homine contineri: ergò si universali con-

continetur sub genere primo prædicabili, non erit genus ad ipsum, & alia prædicabilia.

Sed negatur causalitas antecedens, non enim ideò præcisse, quia animal est genus ad hominem non potest sub homine contineri, sed quia nec natura animalis, nec secunda intentio generis sub homine continentur. Cœterum secunda intentio generis, à qua universale denominatur accidentaliter, sub intentone generis continetur; nam intentio generis communis est ad omnes generis intentionis.

Etsi dicas: Quod genus primum prædicabile continet sub se omnia genera: ergo supra se non potest habere genus, & consequenter universale non erit genus ad ipsum.

Respondetur: distinguendo conseq. Genus pro formali, concedo conseq. pro materiali, nego conseq. Nam genus primum prædicabile est genus superius ad omnia genera formaliter ut talia sunt. Et consequenter non continetur sub aliquo genere formaliter, ut genus est; potest tamen contineri sub aliquo genere materieliter, idest, sub aliquo substracto, quod denominatur genus, & hoc modo sub natura universalis continetur. Præoculis tamen habendum est; ex prædicta doctrina non sequi, decem prædicamenta non esse genera supræma, quamvis contineantur univocè sub genere primo prædicabili, quia licèt secundo intentionaliter sumpta sint speciebus contente sub genere primo prædicabili; primo tamèn intentionaliter sumpta genera supræma sunt, nec est dabile supra illa aliquod prædicatum reale, quod possit ab intentione generis denominari.

Tertiò agitur: Si universale esset genus ad quinque prædicabilia, omnia illa essent species; hoc implicat: ergò. Probatur min. Si prædicabilia omnia essent species, non daretur, nisi unicum prædicabile, videlicèt prædicabile speciei, quod implicat: ergo min. vera est.

Respondetur distinguendo mai. species ut quod accidentaliter, & denominativè, conced. maior. essentialiter, & ut quo, nego maior. & sub eadem distinctione minoris, negatur conseq. Quia licèt repugnet omnia prædicabilia esse essentialiter species non tamen repugnet, quod omnia illa accidentaliter species denominantur; nam bene potest una species accidentaliter denominativè sub altera continueri, sicut terminus æquivocus comparativè ad omnes terminos æquivocos denominatur univocus, & accidentaliter sub unico continetur.

Sed instabis: Una species,

eſſentialiter ab altera diſtincta, nec dominativè poteſt ſub altera contineri, ſicut homo eſſentialiter ad æquò diſtinctus non poteſt etiam accidentaliter contineri ſub æquo, ſed alia prædicabilia eſſentialiter diſtinguuntur à prædicabili ſpeciei: ergò nec accidentaliter poſſunt ſub ſpecie contineri.

Secundo inſtabis: ſi univerſale eſſet genus ad quinque prædicabilia, omnia illa eſſentialiter ſpecies, quia omnia illa continerentur ſub univerſali eſſentialiter; ſed hoc implicat: ergò.

Tertiò inſtabis: ex data doctrina ſequitur differentiam, v.g. eſſe univerſalem accidentaliter, quod implicat: ergò doctrina implicatoria eſt. Probatur ſequela: cui accidentaliter convenit ratio inferior accidentaliter etiam convenit ratio ſuperior; ſed differentia accidentaliter eſt ſpecies, & ſpecies inferior eſt ad ipſum univerſale: ergò differentia erit accidentaliter univerſalis.

Quartò inſtabis: Si doctrina data vera eſt: hæc prædicatio ſpecies eſt ſpecies univerſalis, erit prædicatio non identica, ſed formalis, imò concretum prædicabitur de ſuo abſtracto; nam hæc erit vera, ſpecieitas eſt ſpecies univerſalis; ſed hoc non eſt admittendum: ergò nulla eſt data doctrina.

Reſpondetur ad primam replicam: Speciem ſubſtantialem eſſentialiter ab alia diſtinctam non poſſe accidentaliter ſub altera contineri: ſpeciem verò accidentalem benè poſſe accidentaliter contineri ſub alia eſſentialiter diſtincta, ſicut album, & dulce eſſentialiter diſtinguuntur; & tamen album continetur ſub dulci, & dulce prædicatur de albo. Ratio autem doctrinæ ea eſt, quia ſpecies ſubſtantialis conſtituitur per formam ſubſtantialem, & cum duæ formæ ſubſtantiales non poſſint eſſe ſimul, nec una ſpecies ſubſtantialis poteſt accidentaliter contineri ſub alia, & eſſe ſubjectum illius; ſpecies verò accidentalis conſtituitur per formam accidentalem; cumque duo accidentia ſpecificè diſtincta poſſint eſſe in eodem ſubjecto, & maximè ſi ſint accidentia rationis, conſequens ſit, quod una ſpecies accidentalis benè poteſt ſub altera accidentaliter contineri.

Dices: Non poteſt aliquid eſſe tale per ſe, & ſimul per accidens; perfectè, & imperfectè tale: ergò non poterit eſſe tale eſſentialiter, & accidentaliter.

Sed dicimus: Antec. eſſe verum in concretis ſubſtantialibus, quæ nullo modo poſſunt denominari aliqua denominatione eſſentialiter, & accidentaliter; nam effectus formalis, quem ſubjectum habet à ſubſtan-

tantia nequit habere ab aliquo accidenti; ſed concretum accidentale præter formam eſſentialem poteſt habere aliam, à qua etiam denominetur accidentaliter tale, quod in pluribus exemplis cernere licèt.

Ad ſecundam replicam: negatur maj. Nam ex quo omnia prædicabilia eſſentialiter ſub univerſali contineantur, ſolum infertur poſſe accidentaliter ſpecies denominari, quod non implicat, ſicut homo, & equus continentur eſſentialiter ſub animali, & tamen non eſſentialiter, ſed tantum accidentaliter denominantur ſpecies.

Ad tertiam inſtantiam reſpondetur, ex prædicta doctrina ſequi prædicabilia reflexe conſiderata, & ut quod, & quatenus accidentaliter denominantur ſpecies, eſſe etiam accidentaliter univerſalia; nam cui convenit accidentaliter ratio inferior, convenit ſub ea ratione accidentaliter ratio ſuperior, cum quo tamen benè componitur omnia prædicabilia eſſe eſſentialiter univerſalia per ſe primò. Cæterum prout ſic non ſunt accidentaliter ſpecies.

Ad quartam replicam; reſpondetur: Prædicationem prædictam non eſſe identicam; ſed formalem denominativam, ſicut etiam talis eſt hæc prædicatio differentia eſt quædam ſpecies univerſalis, nam prædicabile ſpeciei eſſentialiter eſt ſpecies per intentionem ſibi propriam eſſentialiter prædicabilem de quacumque ſpecie particulari; eſt tamen ſpecies univerſalis per ſecundam intentionem ſibi accidentalem, ſibique communem cum alijs prædicabilibus; quæ quidem ratio ſpeciei non participatur ab alijs ſpeciei inferioribus; nam hæc eſt falſa ſpecies humana eſt ſpecies univerſalis, quia ſpecies humana eſt quædam individua, & ſingularis ſpecies, & ita non eſt ſpecies; ſed individuum reſpectu univerſalis. Et tandem in concretis intentionalibus non obſtat, ut concreta de abſtractis prædicentur, & ideò illa prædicatio ſpecieitas eſt ſpecies univerſalis vera propoſitio eſt.

QUÆST. II.

De Genere primo prædicabili, & in ea.

ARTICULUS I.

Vtrùm diffinitio generis bona sit?

§. I.

Diffinitionis bonitas explicatur.

PRIMUM ex quinque prædicabilibus, quod est genus, diffinitur à Porphyrio esse illud: *Quod prædicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid.* Quam quidem esse bonam probat contensus Logicorum uno, vel altero dentro, & non maximè notæ in materia Logicali.

Rursus etiam bonitatem diffinitionis ostendunt particulæ, quibus constat; nam illa particula *prædicatur de pluribus*, ponitur loco generis; in hoc enim omnia prædicabilia conveniunt; alia verò de pluribus differentibus specie in eo quod quid ponitur loco differentiæ, nam per hoc distinguitur genus ab alijs prædicabilibus. Quid autem sit in eo quod quid prædicari quæst. præced. art. 1. §. 1, Satis explicatum relinquimus, & ex alia particula adjuncta constat genus prædicari in quid, non solum ex parte rei, & dicendo prædicatum quod est de essentia subjecti, sed etiam ex parte modi substantive videlicèt, & per modum per se stantis, ita ut per ipsum respondere possimus interroganti, quid res sit? Sicut interroganti, quid sit homo? Respondemus, & rectè, esse animal. Et tandem ex eadem particula manifestum fit genus dicere partem determinabilem, eo quod quidquid prædicatur de pluribus differentibus specie, non potest dicere totam essentiam illorum, nec partem, aut differentiam determinantem, sed rationem genericam, & communem contrahibilem, vèl determinabilem per differentias essentialitèr dividentes, & constituentes species, de quibus genus ipsum prædicatur.

§. II.

Argumentis occurritur.

CONTRA diffinitionis bonitatem arguitur: quia diffinitio generis constare non potest ex genere, & differentia: ergò bona non est. Probatur antecedens primo. Genus in communi non constat ex genere: ergò diffinitio ge-

generis constare non potest ex genere, & differentia. Probatur ant. Genus in communi est quid superius ad decem prædicamenta; sed ista non constat genere, alias genera supræma non essent: ergò nec genus in communi ex genere constat.

Secundo probatur ant. Genus non potest diffiniri per genus, alias diffiniretur per se ipsum, quod implicat: ergò diffinitio generis constare non potest ex genere, & differentia.

Respondetur ad argumentum negando duo ant. prima; & ad probationem dicimus, genera supræma primo intentionaliter, & Physicè, vèl secundum constitutionem realem esse genera prima, & supræma non habentia univocam convenientiam in aliquo prædicato reali superiori ad illa, & ideò sic sumpta esse primo diversa, & non constare aliquo genere; si verò considerentur Logicè, aut secundo intentionaliter, & ut vestita intentione generis supræmi univocè convenire in ratione generis ad omnia genera communi, & consequenter prout sic genere, & differentia constare, & diffiniri posse.

Ad secundam probationem antecedens respondetur: Quod sicut diffinitio in communi diffinitur per diffinitionem particularem ut quod, & terminus in communi diffinitur per diffinitionem constantem ex terminis particularibus; sic genus in communi diffinitur per genus particulare, quatenus prædicatum, in quo genus convenit cum alijs subinduit intentionem generis particularem contentam, ut quod sub intentione communi, & ideò numquam genus diffinitur per se ipsum.

Dices: In diffinitione generis non posse assignari aliquod prædicatum commune in quo genus univocè conveniat cum alijs, alias tale prædicatum esset superius ad genus, & alia, & consequenter supra genus in communi esset aliud genus: ergò diffinitio generis constare non potest ex aliquo prædicato, in quo cum alijs conveniat.

Respondetur: Supra genus in communi dari rationem communem universalis, quæ est superior ad genus, & alia prædicabilia: ex quo tamen non infertur supra primum genus dari alterum genus, quia ratio illa communis accidentaliter, & denominativè est genus, & sub primo genere accidentaliter continetur, quamvis essentialiter superior sit.

Secundo arguitur: Illa particula inquid convenit alijs à genere: ergò non est generis differentia. Probatur antec. primo. Convenit enti, quia ens essentialiter, inquid prædicatur de omnibus rebus: ergo convenit alijs à genere.

Secundò probatur : Species, & diffinitio prædicantur eſſentialiter, & inquid, ut ex earum diffinitionibus conſtat: ergò particula convenit alijs.

Tertiò prædicta particula convenit differentiæ, quæ etiam inquid, & eſſentialiter prædicatur de inferioribus ſuis: ergò idem.

Reſpondetur ad argumentum: quod ens prædicatur eſſentialiter, & inquid, ſed analogicè; genus autem prædicatur inquid univocè, & ita particula non convenit enti, eo modo quo in diffinitione generis intelligitur.

Ad ſecundam probationem reſpondetur: Speciem, & diffinitionem prædicari in quid dicendo totam eſſentiam genus videlicèt, & differentiam individui, & de pluribus differentibus numero; ſed genus prædicatur in quid dicendo partem determinabilem per eſſentialem differentiam, quod non convenit alijs à genere.

Ad tertiam dicimus; differentiam prædicati eſſentialiter, & inquid ex parte rei, quia re vera eſt prædicatum eſſentiale, ſed ex parte modi prædicari in quale, quatenus prædicatur adjectivè per modum alteri adjacentis, aut per modum formæ determinantis, & qualificantis genus, ipſum verò genus tàm ex parte rei, quàm ex parte modi prædicari in quid ſubſtantivè, & per modum per ſe ſtantis, & dicendo partem contrahibilem per eſſentialem differentiam.

Sed inſtabis: Etiam genus ſecundum modum prædicatur in quale: ergò nulla eſt data ſolutio. Probatur antecedens primò. Quia ſuperius gerit vices formæ, & ita prædicatur in quale, ſed genus eſt ſuperius ad inferiora: ergò ſecundum modum prædicatur in quale.

Secundò probat. Hæc prædicatio, album eſt coloratum, eſt prædicatio generis, & tamen prædicatum dicitur in quale, nam ſubjectum iſtius propoſitionis ſupponit pro corpore, & reſpectu corporis coloratum dicit qualitatem: ergò genus prædicatur in quale.

Sed facilè dicitur: Prædicatum ſuperius comparatum ad inferiora eſſe formam Dialecticam, qualiter omne prædicatum in propoſitione ex forma; non tamen omne prædicatum ſuperius eſt forma Metaphyſica; ſed potius genus eſt Metaphyſica potentia determinabilis per differentiam ut actum, & ideò genus non prædicatur in quale. Ex quo conſtat, quod quando Phyloſ. aſſerit, ſecundas ſubſtantias prædicari in quale quid de primis ſubſtantijs tantum intendit prædicari in quale dialecticè; non tamen Logicè.

Ad

Ad ſecundam reſpondetur: Quod quamvis coloratum accidat corpori pro materiali corporis; non tamen accidit illi, quatenus album eſt, qualiter ſummitur in propoſitione prædicta, & ita reſpectu illius prout ſic non prædicatur coloratum in quale non enim qualitatem importat, ſed potius prædicatum eſſentiale reſpectu albi.

Tertiò arguitur: Genera ſuprema prædicantur de pluribus differentibus genere, nam ſubſtantia creata prædicamentalis prædicatur de ſubſtantia ſpirituali, & corporea, quæ differunt genere: ergò genus non ſolum prædicatur de pluribus differentibus ſpecie.

Confirmatur: Differentia prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, ut conſtat in differentia ſubalterna: ergò illa particula de pluribus differentibus ſpecie convenit alijs à genere.

Confirmatur ſecundò: Quia genus prædicatur de pluribus differentibus numero, de Petro, videlicèt, & Paulo, equo nigro, & equo albo: ergò non prædicatur de pluribus differentibus ſpecie.

Reſpondetur ad argumentum: Genera ſuprema prædicari de pluribus differentibus genere ſpecificativè, & materialiter; non tamen formaliter, eo quod non prædicantur de illis, quatenus differunt genere, ſed quatenus ſpecie differunt: non enim talia genera prædicantur de alijs, ſecundum quod ut genera ad ſua inferiora comparantur; ſed ſecundum quod per modum ſpeciei ſubijcilis comparantur ad genus ſupremum, ſub qua ratione ſpecies ſunt ſubalternæ.

Ad confirmationem primam reſpondetur: differentiam prædicari de pluribus differentibus ſpecie adjectivè, & in quale per modum determinantis, ut infra dicemus, non verò ſubſtantivè, & inquid, ſicut genus prædicatur.

Ad ſecundum confirmationem dicitur: Genus immediatè prædicari de pluribus differentibus ſpecie; mediatè verò de pluribus differentibus numero, quia individua medijs ſpeciebus comparantur ad genus.

Dices: Etiam genus immediatè prædicari de pluribus differentibus numero ut cum dicimus hoc animal eſt animal, & illud animal eſt animal, conſtat autem hoc, & illud animal ſolo numero diſtinguì: ergò nulla eſt data ſolutio.

Reſpondetur: Animal de hoc, & illo animali non prædicari ut genus, ſed ut ſpeciem, quia animal dicit totam eſſentiam hujus, & alterius animalis: undè nunquam genus ut tale prædicatur immediatè de pluri-

ribus differentibus numero.

Tandem arguitur: Quod genus non poteſt prædicari de ſpecie: ergò non poteſt prædicari de pluribus differentibus ſpecie. Probatur antecedens. Pars non poteſt prædicari de toto; ſed genus eſt pars ſpeciei: ergò de ſpecie prædicari non poteſt.

Reſpondetur: Genus eſſe partem Metaphyſicam, & partem Metaphyſicam poſſe prædicari de toto, quia pars Metaphyſica continet in potentia, quidquid continet totum.

Inſtabis primo: quod pars Phyſica continet in potentia, quidquid continet totum, nam materia in potentia continet formam, & tamen de toto prædicari non poteſt, ſiquidem hæc eſt falſa, homo eſt materia: ergò nec pars Metaphyſica poterit de toto prædicari, quamvis contineat in potentia, quod continet totum.

Dices ſecund. genus non prædicari de ſpecie, ut totum potentiale eſt: ergò nulla eſt data ſolutio. Probatur antecedens. Genus prædicatur de ſpecie, quatenus illam componit; ſed non componit ut totum, ſed ut pars: ergò non prædicatur ut totum.

Ad primam replicam negatur conſeq. Quia quamvis pars Phyſica contineat in potentia formam realitèr tamen ab illa diſtinguitur, & à toto ratione illius, & ideò prædicari non poteſt, nec de illa, nec de toto, eo quod in propoſitione affirmativa debent extrema ſupponere pro eodem; pars verò Metaphyſica continet in potentia, quidquid continet totum, & alias non diſtinguitur realitèr, nec à toto, nec ab altera compatte, conſequenterque de utroque prædicari poteſt.

Ad ſecundam replicam reſpondetur: Quod eſſe totum potentiale eſt de intrinſeca ratione partis Metaphyſicæ, & ita pars Metaphyſica prædicatur ut totum, & ut totum potentiale componit, ſecundum quam rationem licèt non ſit diſtincta realitèr ab alia comparte, eſt tamen ratione diſtincta, quæ diſtinctio ſufficit, ut cum altera Metaphyſicè componat, quia compoſitio Metaphyſica compoſitio rationis eſt.

Alijs terminis poterat reſponderi: partem Metaphyſicam componere ut partem actualem, & ut totum in potentia, quia dum actu componit, actualitèr debet eſſe pars: verum quia hæc pars actualis non eſt diſtincta realitèr ab alia comparte, vèl à toto, & aliunde ipſa eſt totum in potentia, propterea bene de utroque prædicatur.

ARTICULUS II.

Quod ſit definitum in diffinitione generis.

§. I.

Quibus ſuppoſitis ſtatuitur prima concluſio.

AD intelligentiam articuli quædam ſupponere oportet, & primum eſt, nomen genus eſſe terminum connotativum, & conſequenter duplex ſignificatum habere, materiale, videlicet, & formale, quorum hoc ſecundum eſt ipſa ſecunda intentio rationis; materiale verò eſt natura illa, quę ab intentione generis denominatur, ſicut hoc nomen album de formali ſignificat albedinem, de materiali autem ſignificat corpus, qui in hæret albedo: Unde genus eſt concretum ſecundo intentionale, aut concretum accidentale rationis includens naturam ut ſubiectum, & ſecundam intentionem ut formam, & propterea quidquid dixerimus de diffinitio in diffinitione generis, proportionabiliter de omnibus alijs prædicabilibus, & concretis accidentalibus dicendum eſt, nam de omnibus eadem eſt difficultas.

Secundo notandum eſt: omne accidens, ſivè in concreto, ſivè in abſtracto ſemper Phyſicè diffiniri per additamentum, ideſt, per ordinem ad ſubjectum quod eſt, extra eſſentiam illius cum hac tamen differentia, quod quando accidens diffinitur in concreto ſubjectum ponitur loco generis, quando verò diffinitur in abſtracto, ponitur ſubjectum loco differentiæ; ſicut ſimus in concreto diffinitur naſus curvus, & ſimitas in abſtracto diffinitur curvitas naſi, ubi conſtat ſubjectum loco differentiæ poni, & coloratum in concreto diffinitur corpus habens colorem; ſed color in abſtracto dicitur actus perſpicui.

Tertio ſupponendum eſt: Accidens Metaphyſicè diffiniri etiam per additamentum, & cum ordine ad ſubjectum; in ejus tamen diffinitione pro genere poni rationem communem, & genericam accidentis in concreto, & rationem differentialem in concreto aſſumi pro differentia, ut cum dicitur, album eſſe coloratum diſgregativum viſus; in qua diffinitione coloratum ſupponit pro ſubjecto, ſed non ponitur expreſſe ſubjectum, ſicut expreſſe in diffinitione Phyſica ponitur.

Quarto ſupponimus in diffinitione præſenti non diffiniri ſecundam intentionem generis in abſtracto, quia illa prout ſic, nec ut quod, nec ut quo prædicatur de pluribus differentib. ſpecie

eo quod quid, ut per ſe manifeſtum eſt.

Tandem ſupponimus: Naturam, quæ denominatur genus ſecundum ſe ſumpta non eſſe diffinitum prædictæ diffinitionis, nam diffinitum diffinitionis prædictæ debet ad Logicam pertinere, ſicut ipſa diffinitio; natura verò ſecundum ſe non pertinere ad Logicam, quandoquidem naturæ, quæ denominatur genus eſt aliquid reale conſtat autem naturas reales inſpectas ſecundum ſe ad Logicam non pertinere.

Secundo probatur aſſumptum: Quia diffinitio iſtius diffinitionis eſſentialitèr convenit diffinitio; naturæ verò ſecundum ſe non convenit eſſentialiter prædicabilitas de pluribus, ſed illi accidentalitèr convenit, ſicut ipſa ſecunda intentio univerſalis, & prædicabilis accidentalitèr advenit illi.

Rurſus etiam diffinitum huius diffinitionis debet eſſe illud, in quo omnia genera particularia habent convenientiam univocam; & naturæ, quæ denominantur ab intentione generis talem convenientiam non habent, cum aliquæ ſint entia realia, & aliæ entia rationis, aliæ quidem ſubſtantiæ, & aliæ accidentia, quibus omnibus ſecundum ſuum eſſe nihil univocum poteſt dari. Qua propter.

Difficultas ſolum eſt: An diffinitum formale quod diffinitionis prædictæ ſit natura prout ſub eſt ſecundæ intentioni generis, ita ut natura directè, & in recto diffiniatur; ſecunda autem intentio indirectè, & in obliquo, vel è contra, diffinitum prædictum ſit ſecunda intentio in recto, & natura ſolum ingrediatur in obliquo; aut tale diffinitum ſit aggregatum ex natura, & ex ſecunda intentione, ita taliter quod utrumque æque primo, & in recto ingrediatur diffinitionem, & ſic ejus diffinitum. Primum docet Javellus *tract. 4. de Prædicab. cap. 2.* Soncin. in ſua Dialectica, quos plures alijs ſequuntur. Secundum verò docet Cajet. quem ſequuntur regulariter Thomiſtæ tertium verò Mag. Caverus *tract. 3. diſp. 2. dub 1.* Moneda, Oviedus, Peñafiel, & plures alijs extra Scholam D. Thom. Quid autem verum ſit ſequentibus declarabo, & ideò ſit.

§. II.

Prima Concluſio.

Aggregatum non eſt diffinitum formale quod iſtius diffinitionis.

DEDUCIMUS doctrinam iſtam ex Ariſtot. 7. Metaph *text. 3.* & Ang. Præc. ibidem *Lect. 3. & 7. de Ente, & eſſentia cap. 7.*

Ra-

Ratione verò probatur: Aggregatum per accidens non eſt verè diffinibile unica diffinitione; ſed diffinitio generis eſt unica diffinitio, & aggregatum ex natura, & ex ſecunda intentione ingredientibus æque primo, & in recto eſt aggregatum per accidens: ergò nequit eſſe diffinitum formale quod iſtius diffinitionis. Min. quantum ad primam partem conſtat, quantum ad ſecundam etiam certa videtur, nam aggregatum per accidens illud eſt, quod conſtat æquè primò, & in recto ex rebus pertinentibus ad prædicamenta diverſa, ſicut ex ſubſtantia, & accidenti, vel ex accidentibus diverſi prædicamenti, vèl ex ente reali, & aliquo ente rationis qualiter aggregatum prædictum conſtat ex natura reali, & ſecunda intentione rationis, à qua genus denominatur ipſa natura: ergò aggregatum ex natura, & ex ſecunda intentione utraque ingrediente in recto eſt aggregatum per accidens.

Maj. verò prob. quia unica diffinitio, tantum poteſt explicare unam eſſentiam, ſed aggregatum per accidens non importat unam eſſentiam, ſed plures, cum ſit aggregatum plurium quidditatum pertinentium ad prædicamenta diverſa: ergò aggregatum per accidens non eſt vere diffinibile unica diffinitione. Prob. maj. Nam unica diffinitio conſtat unico genere, & unica differentia, nam ſi duplici genere, & differentia, duplici conſtat, erit duplex diffinitio; ſed ubi eſt unicum genus, & unica differentia ſolum eſt unica eſſentia: ergò unica diffinitio tantum explicare poteſt unam eſſentiam.

Reſpondebis primò: Aggregatum ſupradictum non conſtare ex natura ſecundum ſe, & ex ſecunda intentione, qualitèr diffiniri non poſſet unica diffinitione; ſed potius conſtare ex natura, ut eſt ſubjectum intentionis prædictæ ſecundum unam rationem non ponit in numero cum intentione ipſa in concreto, & ita unica diffinitione diffiniri poteſt.

Sed contra eſt: Quia natura ut ſubjectum eſt ſecundæ intentionis, vèl ut ſubeſt illi, ſolum importat intentionem in obliquo, non verò illam importat in recto, ſicut quodcumque ſubjectum ut ſub eſt formæ non dicit illam in recto, ſed duntaxat in obliquo: ergò ſi diffinitum prædictæ diffinitionis eſt naturæ ut ſub eſt intentioni rationis, diffinitum diffinitionis, prædictæ non erit aggregatum, quatenus utramque partem importat in recto.

2. Intentio ut denominat naturam importat in obliquo, & natura ut denominata in obliquo etiam importat intentionem denominantem: ergò ſi tàm natura, quàm intentio diffiniuntur in recto, diffinientur ſimul;

&

& in recto, & in obliquo, quod admittendum non est.

Respondebis secundo: Aggregatum per accidens compositum ex partibus se habentibus dispărate non posse diffiniri unica diffinitione: posse tamen unica diffinitione diffinire, quando resultat ex partibus, quæ per modum potentiæ, & actus, aut ordinatè se habent.

Sed contra est: nam ideò primum aggregatum non est diffinibile unica diffinitione, quia non constat unico genere, & unica differentia, sed etiam secundum aggregatum non constat uno genere, & unica differentia, cum alia sit differentia naturæ in recto, & secundæ intentionis in recto: ergò tale aggregatum non erit verè diffinibile unica diffinitione.

Secundo impugnatur: quando duo diffiniuntur unica diffinitione, explicatur per illam quid sit utrumque; sed unica diffinitione nequit explicari in recto quid sit natura, & quid sit secunda intentio: ergò nequit utrumque in recto diffiniri unica diffinitione. Prob. min. Natura in recto non est essentialiter secunda intentio, nec secunda intentio in recto est essentialiter natura, consequenterque essentia utriusque in recto diversa est; sed unica diffinitione nequit explicari essentia duplex in recto, alias difinitio esset duplex essentia diffinita, & consequenter diffinito duplex, cum diffinitio non sit aliud, quam essentia explicata per illam: ergo unica diffinitione explicari non potest in recto, quid natura sit, & quid sit secunda intentio.

Tertio impugnatur: Solum ens per se est diffinibile, & scibile vere; sed aggregatum per accidens, quamvis constet ex partibus se habentibus per modum potentiæ, & actus non est ens per se, alias non esset aggregatum per accidens: ergo etiam tale aggregatum non erit diffinibile unica diffinitione. Prob. maj. Nam omnes Metaphysici alicujus notæ probant numerum esse ens per se, veramque speciem quantitatis, quia est objectum arismeticæ, & consequenter, quia est per se scibile: ergò solum ens per se erit vere scibile, & diffinibile per veram diffinitionem.

Dices: non bene valet: aliquid est per se scibile: ergò est ens per se: ergò doctrina traddita nulla est. Prob. ant. non bene valet aliquid est scibile simpliciter: ergò est ens simpliciter, aut simpliciter ens, sicut patet in ente rationis: ergò non bene valet: est scibile per se: ergo ens per se.

Sed negatur conseq. Quia ens secundum quid, quale est ens rationis habet veram essentiam, & veram connexionem cum proprietatibus suis, & ideò est simpliciter scibile; sed ens per ac-

accidens non habet veram eſſentiam, veraſque paſsiones, & ideò non eſt verè ſcibile; ſed proindeque ex quo aliquid ſit verè ſcibile benè infertur eſſe ens per ſe.

§. III.

Argumentis contra concluſionem occurritur.

COntra concluſionem arguitur primo: Unio accidentalis partium ſufficit, ut aggregatum ex illis poſsit diffiniri unica diffinitione: ergò aggregatum per accidens poteſt per unica diffinitionem diffiniri. Probatur ant. Nam Civitas diffinitur unica diffinitione, & ſyllogiſmus unica diffinitione diffinitur; & tamen partes Civitatis, & ſyllogiſmi ſolum accidentaliter uniuntur: ergò vera eſt maj.

Confirmatur: aggregatum per accidens habet ſuam eſſentiam: ergò poteſt diffiniri unica diffinitione. Prob. ant. Quidquid exiſtit in rerum natura habet ſuam eſſentiam; ſed aggregatum per accidens exiſtit in rerum natura: ergò ſuam eſſentiam habet.

Reſpondetur ad argumentum: Unitatem accidentalem ſufficere, ut aggregatum diffiniatur unica diffinitione, quando aggregatum non importat utramque partem in recto, ſed unam in recto, & aliam de connotato, ſicut Civitas in recto importat ordinationem Civium, Cives, de connotato; & ſyllogiſmus importat in recto intentionem ſyllogiſmi, & propoſitiones componentes importat de connotato; non tamen poſſe aggregatum diffiniri unica diffinitione, ſi utramque partem importet in recto.

Et ſi dicas: ſyllogyſmum in recto importare intentionem maj. min. & conſequentis, ex quibus intentionibus componitur pro formali ſyllogiſmus; & tamen eſſe diffinibilem unica diffinitione.

Facile reſpondetur: Omnes intentiones prædictas eſſe intentiones incompletas conſtituentes eandem formam totalem, ac proinde conſtituere eandem partem, & unicam formam totalem, conſequenterque non infertur inde, ſyllogiſmum importare plures partes totales in recto.

Ad confirmationem reſpondetur. Quidquid exiſtit in rerum natura habere unam, & determinatam eſſentiam, unamquidem, vèl per ſe, vèl per accidens compoſitam ex pluribus eſſentijs in recto ingredientibus aggregatum, & ex æquo ſe habentis in illo, & tale eſſe aggregatum per accidens, conſequenterque diffinibile non eſſe unica diffinitione.

Dices: Habere unam eſ-

sentiam in compositam per accidens ex pluribus est quædam essentia determinata: ergo si ens per accidens habet essentiam compositam ex pluribus, habet determinatam essentiam, & consequenter erit verè diffinibile.

Respondetur: quod si ens per accidens consideretur in communi habet essentiam determinatam consistentem in eo, quod est habere plures essentias unitas, & aggregatas; si tamen essentia entis per accidens consideretur in singulari, & exercite in aliquo ente per accidens exercitè existente, aut existente objectivè in particulari, non est una, sed sunt plures essentiæ per accidens aggregatæ, & ideò nullum particulare potest esse diffinibile, proindeque non poterit aggregatum esse diffinitum in diffinitione generis.

Secundo poterat argui: Aggregato convenit diffinitio, quia natura prædicatur ut quod, & secunda intentio prædicatur ut quo, & non aliud in diffinibile importatur: ergò aggregatum est diffinitum.

Confirmatur: secunda intentio in concreto est aggregatum; sed illa est diffinitum, ut fatentur adversarij: ergo etiam aggregatum. Probatur mai. secunda intentio in concreto non est sola intentio, sed secunda intentio, & etiam ipsa natura: ergo secunda intentio in concreto est aggregatum.

Respondetur ad argumentum: diffinitum formale quod est esse illud, quod prædicatur ut quo, nam hoc solum per se primo spectat ad Logicam, & ita ex quo natura prædicetur ut quod non infertur illi convenire diffinitionem, quæ non intelligitur de eo, quod prædicatur ut quod, sed de illo quod prædicatur ut quo. Et argumentum factum convincebat oppositum sui intenti, nam si una pars prædicatur ut quod, & alia prædicatur ut quo, aggregatum formalitèr ut tale nec ut quo, nec ut quod prædicatur, & consequentèr illi non convenit diffinitio.

Ad confirmationem respondetur: Secundam intentionem in concretu non esse solam intentionem, sed esse intentionem, & naturam intentionem quidem in recto, & naturam in obliquo, & consequentèr non esse aggregatum, quia aggregatum importat utramque partem in recto: ex quo fit, genus formalitèr esse unum simplicitèr, eo quod non dicit in recto utramque partem, sed solam secundam intentionem, ut connotantem naturam, & secunda intentio ut ita connotans est una simplicitèr: sicut albedo ut connotat subjectum; unde diffinitio erit

erit ſimpliciter una nam unitas diffinitionis ab unitate diffiniti formalis, & directi deſumitur.

Tandem arguitur: eadem diffinitio poteſt explicare duas eſſentias: ergò aggregatum per accidens poteſt verè diffiniri. Probatur antecedens. Eadem ſpecies poteſt repræſentare duo, aut plura objecta, ut patet in ſpecie Angeli: ergò eadem diffinitio poteſt explicare duas eſſentias.

Sed negatur conſeq. Quia ſpecies non petit adæquari cum quidditate objecti, ſed cum illo pro formali, & plura objecta poſſunt pro formali convenire in ordine ad unam ſpeciem; diffinitio verò conſtat uno genere, & unica differentia, & conſequenter unam ſolam eſſentiam explicare, poteſt, & maximè cum diffinitio ſit ipſa quidditas diffinita, proindeque ubi duplex eſt quidditas, duplex erit diffinitio.

Dices: ex duplici quidditate completa poteſt fieri una quidditas, & unum objectum formaliter in eſſe repræſentativo: ergò poterit etiam ex duplici quidditate in genere entis fieri una in ratione diffinibilis.

Dices ſecundo: Materiam, & formam eſſe duas quidditates; & tamen ex illis fieri unam quidditatem totius: ergò ex duplici quidditate poteſt etiam in eſſe rei una quidditas reſultare.

Ad primam inſtantiam negatur conſeq. Quia convenientia in eſſe repræſentativo minor eſt quam convenientia in genere entis, & ita ex quo plura objecta, ſint unum in eſſe intelligibile, aut in eſſe repræſentativo propter convenientiam in aliqua abſtractione communi, vel ordinem ad aliquem finem, non infertur ex duplici quidditate in eſſe rei poſſe fieri unicam quidditatem unica diffinitione diffinibilem: unde Angelus eadem ſpecie attingit hominem, & paſsiones illius, & tamen diverſa diffinitione objectiva diffinit hominem, & illius proprietates, & omnes partes univerſi cognoſcuntur ab Angelo ſuprèmo per unam ſpeciem in probabili ſententia, quæ tamen non poſſunt una diffinitione diffiniri.

Ad ſecundam replicam reſpondètur: Materiam, & formam eſſe duas quidditates partiales, & incompletas ejuſdem lineæ, & ordinis ſubſtantialis, quarum una comparatur ad alteram, ut potentia ad actum, & ideò poteſt ex illis una quidditas reſultare completa: ex duplici verò quidditate completa non poteſt una quidditas reſultare, quia quidditates completæ habent completam ſpeciem, & ex duplici ſpecie completa alia ſpecies completa reſultare non valet.

Et si dicas: Subjectum, & secundam intentionem esse species incompletas in genere Logico: ergò ex illis in recto poterit resultare unica essentia completa diffinibili unica diffinitione.

Respondetur: Subjectum non est de genere Logico, nec in tali genere esse speciem incompletam, sed potius esse completam in genere Physico, & ideò ex illo, & secunda intentione in recto non potest una completa quidditas resultare.

Secundo respondetur: quod licet subjectum sit de genere Logico, consideratum tamen in recto habet essentiam completam distinctam ab essentia secundæ intentionis in recto, & secundam intentionem in recto habere etiam suam completam essentiam distinctam ab essentia subjecti, & ideò ex utraque in recto una quidditas in genere Logico resultare non potest.

§. IV.

Secunda Conclusio.

Diffinitum formale quod in diffinitione generis est secunda intentio in concreto, & ut connotat naturam; ipsa verò natura solum est diffinitum materiale, & in obliquo.

CONCLUSIONEM nostram de prædicamentis. cap. 1. docuit Paulo, & Angel. Præcept. 1. Metaph. *lect.* 9. & pluribus in locis: Cujus doctrinam repetit in Summa Theologiæ, & ex illa efficacitèr concluso nostra probatur primo. Quia illud est diffinitum formale quod in diffinitione generis, quod principalitèr, & formalitèr per nomen significatur; nam in quacumque diffinitione diffinitum formale quod illud est, quod formalitèr, & directè significatur per nomen, sic enim diffinimus res, sicut illas concipimus, & sicut concipimus ita nominamus, unde quod per nomen principalitèr significamus, debet esse principalitèr diffinitum; sed nomen genus principalitèr, & formalitèr significat intentionem generis in concretò: ergò secunda intentio in concreto debet esse diffinitum principale, directum, formale, & quod. Probatur min. Ex Arist. & Div. Thom. asserentibus in locis citatis antecedenter, quod album solam qualitatem significat, quidutique de sola illa principalitèr, & in recto significata intelligendum est, si namque subjectum in recto significaret, non debere dici, quod album solam qualitatem significat, sicut non dicitur hominem significare solam animam rationalem, quia quamvis animam principalitèr significet, non tamen illam solam in recto, sed etiam corpus ipsum significat; cumque

que de hoc nomine genus idem dicendum sit; consequenter fatendum est, genus solam secundam intentionem significare principaliter, & in recto.

Secundo probatur minor: Terminus connotativus principaliter significat formam: ergò etiam terminus concretus principaliter, & in recto solam formam significat.

Tertio probatur. Terminus concretus significat formam ut in supposito, ut constat ex illius diffinitione, quibus verbis sufficienter indicatur solam formam significari in recto, & subjectum in obliquo; sed genus est terminus concretus: ergò solam secundam intentionem in concreto principaliter, & in recto significat.

Quartò: Terminus secundæ intentionis solam secundam intentionem principaliter, & in recto significat, sicut terminus primæ intentionis ipsam intentionem primam objectivam significat in recto; sed genus est terminus secundæ intentionis: ergò idem quod prius.

Quintò: Significatum formale hujus termini genus idem est, quod significatum formale hujus termini genereitas, nam concretum, & abstractum idem habent formale significatum, quamvis modo diverso, quatenus concretum significat illud in concreto, & alterum in abstracto; sed significatum formale hujus termini genereitas est secunda intentio in abstracto: ergò etiam formale significatum hujus termini genus erit secunda intentio in concreto.

Instat Recentior Pervanus contra rationem prædictam: quia falsò dicitur concretum accidentale significare formam in recto, & subjectum in obliquo: ergò ratio prædicta nititur principio falso. Probatur antec. primo. Quia terminus concretus idem prædicat, quod significat juxta doctrinam D. Th. opusc. 56. Sed terminus concretus non prædicat formam in recto: ergò illam non in recto significat.

Secundo probatur ant. in recto significari, nihil aliud est, quam explicari in casu nominandi; sed in concretis potius explicatur in casu nominandi subjectum, dicimus namque album est id quod disgregat visum: non autem dicimus, albedo est id quod disgregat: ergò falsò dicitur concretum accidentale significare formam in recto.

Tertiò probatur anteced. Quia hæc propositio album est dulce, est absolutè vera loquendo de lacte; impossibile autem est, propositionem esse veram, nisi rectum prædicati identificetur cum recto subjecti; sed prædicatum, & subiectum prædicæ propositionis solum identificantur

tur pro materiali utriusque: ergò solum materiale, vèl subiectum utriusque per utrumque significatur in recto.

Quarto probatur ant. Si sola forma in concreto significaretur principaliter, & in recto per album v. g. hæc propositio esset vera, albedo esset alba simpliciter, siquidem album est ipsa forma albi, quatenus subiectum connotat; hoc est falsum: ergò idem quod prius.

Respondetur ad argumentum, negando antec. & ad primam probationem, distinguo maj. idem, & diverso modo, concedo mai & concessa min. negatur conseq. Quia formam, quam terminus concretus significat in recto, prædicat in obliquo, & subiectum ipsum in recto, nam idem est dicere, Petrus est albus, & Petrus est habens albedinem, ubi albedo, in recto significata per terminum, in obliquo prædicatur.

Ad secundam probationem distinguo maj. In casu nominandi significatione passiva, concedo mai. in ipsa suppositione, nego mai. & distinguo min. subiectum in supponendo, concedo min. in passivè significando, nego min. & conseq. Quia in recto significari est explicari in casu nominandi in significatione passiva; non verò in ipsa suppositione, & forma in concreto accidentali est id, quod principaliter, & in recto per nomen indicatur, & ideò in casu nominandi explicatur quantum ad id, quod est significati per nomen; subiectum verò in hac consideratione non explicatur in casu nominandi, sed tantum in obliquo, & tanquam id, cujus est forma significata per nomen, in supponendo autem explicatur subiectum in casu nominandi, nam illud est id, pro quo nomen supponit.

Ad tertiam probationem, distinguo maj. rectum in supponendo, concedo maj. rectum in significando, nego maj. & concessâ min. negatur conseq. Nam ut prædicta propositio vera sit, necessarium non est, quod significatum in recto sit idem realiter in subjecto, & prædicato, sed solum requiritur rectum in supponendo esse idem; illud autem, quod in recto supponit, solum est subiectum, & ideò sufficit subiectum in prædicato, & subjecto esse realiter idem.

Ad quartam probationem, negatur maj. Quia ut prædicta propositio albedo est alba simpliciter vera sit, requiritur prædicatum, & subiectum supponere pro eodem, quod tamen falsum est, nam ly alba in prædicato supponit pro substantia albedinem substentante; albedo verò pro se sola supponit; eo quod

ex

ex modo ſignificandi non importatur in concreto, qualitèr ſignificatum per album.

Secundo probatur concluſio noſtra ratione: illud eſt diffinitum formale quod in diffinitione generis, cujus quidditas, & natura principalitèr, & ut quod explicatur per talem diffinitionem; nam diffinitio per ſe ordinatur ad explicandam eſſentiam rei diffinitæ, & conſequenter illud, cujus quidditas, & natura principalitèr, & ut quod explicatur per aliquam diffinitionem erit diffinitum formale, quod prædictæ diffinitionis; ſed per diffinitionem generis principaliter, & ut quod explicatur quidditas, & natura ſecundæ intentionis in recto: ergò ſecunda intentio in recto erit diffinitum quod. Probatur min. primo. Illius quidditas, & natura principalitèr, & ut quod explicatur per diffinitionem generis, cujus effectus formalis exprimitur, aut explicatur in diffinitione prædicta; ſed prædicari de pluribus, quod in diffinitione generis explicatur, eſt effectus formalis ſecundæ intentionis generis, ut connotantis naturam: ergò per diffinitionem generis principalitèr, & ut quod explicatur quidditas, & natura ſecundæ intentionis in recto.

Secundo principalitèr probatur min. illius quidditas, & natura principalitèr, & ut quod per diffinitionem generis explicatur, quod directè, principaliter, & ut quod expectat ad Logicam, nam per diffinitionem Logicalem, & formalitèr pertinentem ad Logicam, qualis eſt generis diffinitio ſolum poteſt principalitèr explicari, quod principalitèr ad Logicam pertinet; ſed ſola ſecunda intentio generis in concreto principalitèr pertinet ad Logicam: ergò per diffinitionem generis ſolum principalitèr, & ut quod explicatur quidditas, & natura ſecundæ intentionis in recto.

Tertio probatur minor, aut potius explicatur data doctrina. Quia diffinitum formale quod cujuſcumque concreti Logici debet eſſe illud, cujus eſſentiam principalitèr, & ut quod conſiderat Logica; ſed Logica principalitèr, & ut quod conſiderat ſolum eſſentiam ſecundæ intentionis in concreto, & in obliquo ſubſtractum, quod ſolum ratione ſecundæ intentionis conſideratur à Logica: ergò diffinitum formale quod in diffinitione generis ſolum poteſt eſſe ſecunda intentio generis in concreto.

Ex eadem doctrina conſtat: Naturam denominatam à ſecunda intentione generis ſolum eſſe diffinitum materiale, & in obliquo; non verò diffinitum principale quod formalitèr, & in recto diffinitum: quia diffinitum principale quod formalitèr, & in

recto diffinitum in prædicta diffinitione debet esse illud, quod in recto ratione sui, & formaliter ad Logicam pertinet; sed natura à secunda intentione generis denominata, ut prædictæ intentioni subest non pertinet ad Logicam formaliter, & ratione sui: ergò Probatur min. Ratione illius pertinet ad Logicam, ratione cujus constituitur formaliter intra illius objectum, & abstractionem illius: sed solum ratione secundæ intentionis constituitur intra objectum Logicæ, & illius abstractionem ab omni materia negativè; non autem ratione sui: ergò solum ratione secundæ intentionis, & non ratione sui potest ad Logicam pertinere.

Confirmatur: Quia illud est diffinitum formale quod indiffinitione generis, cui per se convenit diffinitio, nam diffinitio nihil aliud est, quam essentia diffiniti; & ideò sicut illud est diffinitum, cui per se convenit essentia diffiniti, etiam illud erit diffinitum, cui per se convenit diffinito: sed diffinitio generis non convenit per se naturæ, etiam ut subest: ergò natura prout sic non est diffinitum formale quod diffinitionis prædictæ. Probatur min. Naturæ etiam ut subest convenit prædicari de pluribus ratione secundæ intentionis, quæ sola est ratio formalissima prædicandi, sicut disgregare visum solum convenit subjecto ratione albedinis, quæ est ratio disgregandi: ergo diffinitio generis non convenit per se naturæ etiam ut subest.

§. V.

Argumenta solvuntur.

CONTRA conclusionem istam poterat in primis argui: quia indiffinitione accidentis in concreto intrat subjectum tanquam id, quod directè, & formaliter diffinitur; sed in diffinitione generis diffinitur secunda intentio in concreto; ergo natura ipsa est id, quod directè, & formaliter diffinitur; consequenterque non erit sola secunda intentio diffinitum formale quod quamvis illa sit principale diffinitum. Probat. maj. principalius, & formalius intrat subjectum indiffinitione accidentis in concreto, quam in diffinitione accidentis in abstracto; sed in diffinitione accidentis in abstracto intrat deconnotato, & in obliquo subjectum, siquidem accidens in abstracto non potest nisi per ordinem ad subiectum diffiniri: ergò in diffinitione accidentis in concreto intrat subjectum tanquam id, quod directè, & formaliter diffinitur.

Respondetur: In diffinitione accidentis in concreto prin-

principalius intrare subiectum quantum ad supponendum, quia accidens inconcreto, & illius diffinitio pro subjecto supponunt, & accidens in abstracto non supponit pro subjecto, non tamen principaliter intrare, quantum ad explicari per diffinitionem ipsam, eo quod subjectum solum diffinitur in obliquo, sivè accidens in abstracto, sivè in concreto diffiniatur.

Secundò respondetur: in diffinitione accidentis in concreto principalius intrare subjectum, quam is intret in obliquo, quia non ingreditur ut terminus tantum habitudinis formæ, sed potius ut actualitèr sustentans formam, & habens effectum illius, qualiter non ingreditur, dum accidens diffinitur in abstracto.

Secundo arguitur: Diffinitum in diffinitione generis est genus; sed genus est ipsa natura, non verò secunda intentio: ergò natura est directum, & formale diffinitum. Prob. min. illud est genus pro quo supponit nomen, sed nomen genus supponit pro natura, quę est subiectum intentionis: ergò genus est ipsa natura.

Respondetur: illud pro quo supponit nomen tantum esse denominativè, & accidentaliter genus; non verò essentialiter, & per se, quia prædicari, per se convenit generi, & soli secundæ intentioni convenit per se prędicari, quæ sola est ratio formalis prædicandi, & ita sola ipsa est essentialitèr genus, & diffinitum formale diffinitionis prædictæ.

Sed instabis: Naturę convenit essentialitèr prędicari de pluribus: ergò ipsa est essentialitèr genus. Probatur anteced. Sola natura v. g. animal est de essentia inferiorum: unde istæ prædicationes sunt essentiales, homo est animal, & equus est animal: ergò naturæ convenit essentialitèr prædicari, nam illi convenit essentialitèr prædicarii quod est de essentia inferiorum.

Sed negatur anteced. & ad probationem negatur conseq. Nam licet natura sit essentiale prædicatum, quæ sola convenit essentialitèr inferioribus; non tamen prędicati convenit essentialitèr naturæ, sed solum illa accidentalitèr convenit, sicut ipsa secunda intentio, quæ sola est ratio prædicandi convenit accidentalitèr naturæ, & ratione ipsius competit etiam naturæ accidentalitèr prædicari.

Alitèr poterat responderi distinguendo ant. essentialitèr ex parte rationis, quæ vèl rationis prædicatæ, conc. ant. Quia sola natura est ratio quæ essentialis inferioribus. Essentialitèr ex parte rationis sub qua, neg. ant. Nam ratio sub qua prædicandi est sola secunda intentio; & sicut ipsa convenit naturæ accidentalitèr, ita etiam prædicari acci-

accidentaliter convenit naturæ: unde ſoli ſecundæ intentioni eſſentialiter abſolutè convenit prædicari.

Dices: quamvis naturæ ſecundum ſe conveniat accidentaliter prædicari, naturæ tamen reduplicativè, ut ſub eſt, convenit eſſentialiter, ſicut homini albo reduplicativè habenti albedinem eſſentialiter convenit diſgregare viſum: ergò natura reduplicativè ut ſub eſt, erit eſſentialiter genus.

Reſpondetur diſtinguendo antec. eſſentialiter ratione ſecundæ intentionis, conced. antec. ratione ſui, nego antec. & conſeq. Quia licèt prædicari conveniat eſſentialiter naturæ ut ſub eſt, & reduplicata forma, vèl ſubſtractum ut illam habens: non tamen convenit illi ratione ſui, ſed ratione ſecundæ intentionis, quam ſubinduit, & reduplicat ſaltim in obliquo; ut autem natura eſſet eſſentialiter genus debebat illi per ſe, & ratione ſui eſſentialiter convenire illud, quod eſt de pluribus prædicari.

Tertio arguitur: Diffinitum formale quod in diffinitione generis illud eſt, cui in recto, convenit diffinitio; ſed diffinitio non competit ſecundæ intentioni in recto: ergò ſecunda intentio non eſt diffinitum formale quod in diffinitione prædicta. Probatur min. Secunda intentio non prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in eo quod quid; ſed hæc eſt generis diffinitio: ergò non convenit intentioni. Probatur maj. Secunda intentio generis ea eſt, qua animal conſtituitur genus; ſed ſolum animal, & non forma, qua conſtituitur genus de pluribus prædicatur, cum ſolum animal, & non forma prædicta inferioribus conveniat: ergò ſecunda intentio non prædicatur de pluribus differentibus ſpecie.

Reſpondetur ad argumentum: negando minor. & ad probationem diſtinguo major. Non prædicatur ut quod, concedo maj. ut quo, nego maj. & conceſſa min. negatur conſeq. Quia ſecunda intentio eſt id ratione cujus naturæ convenit prædicari, & ideò licèt non prædicetur ut quod, prædicatur tamen ut quo: propterea que diffinitio traddita eſſentialiter convenit illo eo quod diffinitio convenit eſſentialiter illi, quod prædicatur ut quo; ei verò, quod prædicatur ut quod ſolum denominativè, & accidentaliter convenit.

Inſtabis primo: illud eſt diffinitum quod etiam prædicatur ut quod; ſed ſecunda intentio non prædicatur ut quod: ergò non eſt diffinitum ut quod, ſed hoc ſolum habebit natura. Probatur maj. Illud eſt diffinitum quod pro quo diffinitio ſupponit; ſed diffinitio tantum ſup-

ponit pro illo, quod prædicatur ut quod, ſicut etiam pro eodem ſupponit genus: ergò illud eſt diffinitum quod, quod etiam prædicatur ut quod.

Inſtabis ſecundò: eò modo aliquid eſt diffinitum, quo de pluribus prædicatur; ſed ſecunda intentio ſolum prædicatur ut quo, & natura ipſa ut quod: ergo ſola natura erit diffinitum quod; intentio verò erit diffinitum quo.

Tertio inſtabis: Illud eſt ut quod diffinitum, quod explicatur per diffinitionem prædictam; ſed per eam non explicatur ſecunda intentio, aut ratio prædicandi, ſed illud, quod poſitivè prædicatur: ergò non ſecunda intentio, ſed ipſa natura poſitivè prædicata erit diffinitum quod.

Reſpondetur ad primam replicam, negando utramque majorem. Quia diffinitum formale quod non eſt illud pro quo diffinitio ſupponit, ſed illud, cujus quidditatem per ſe primo manifeſtat, & non explicat diffinitio generis per ſe primo quidditatem illius, pro quo ſupponit, vèl quod prædicatur ut quod, ſed ſolum ſecundæ intentionis, quæ habet pro effectu formali conſtituere prædicabile, & prædidicatur ut quo.

Dices: Illud eſt diffinitum formale quod, de quo verificatur abſolutè diffinitio; ſed diffinitio verificatur de illo pro quo ſupponit, nam ſuppoſitio eſt acceptio pro eo, de quo fit verificatio: ergò illud eſt diffinitum quod, pro quo diffinitio ſupponit.

Dices ſecundo: illud pro quo ſupponit in recto hominis diffinitio, ſed etiam diffinitum illius quod: ergò idem etiam eſt in generis diffinitione dicendum.

Ad primam replicam diſtinguo maj. de quo ut diffinitio, conc. maj. de quo ut habente quidditatem, & eſſentiam diffinitam, nego maj. & diſtinguo min. de illo ut habente quidditatem, & eſſentiam diffinitam, concedo min. de illo ut conſtituto per eſſentiam diffinitam, nego min. & conſeq. Quia diffinitum quod eſt illud, de quo verificatur diffinitio, ut eſſentialiter conſtituto per eſſentiam diffinitam, quomodo non verificatur diffinitio generis de eo, pro quo ſupponit, nam ſola ſecunda intentio conſtituitur per eſſentiam explicatam in iſta diffinitione, & de illa ut conſtituta per eſſentiam explicatam, verificatur diffinitio de ſubjecto verò ſolum verificatur tanquam de habente, & ſubſtentante quidditatem, & de eſſentiam diffinitam.

Ad ſecundam negatur conſeq. Quia illud pro quo ſuppo-

dit

nit hominis diffinitio constituitur per quidditatem, & essentiam diffinitam, & ita mirum non est esse diffinitum quod, & idem de omni concreto substantiali, dicendum; illud verò pro quo supponit diffinitio concreti accidentalis non constituitur essentialitèr per essentiam diffinitam, sed potius talis essentia accidentalitèr convenit illi.

Ad secundam verò replicam argumenti principalis negatur major. Nam illud, quod tantum prædicatur ut quo est diffinitum quod, siquidem quidditas illius est, quæ directè, & principalitèr per diffinitionem explicatur: unde quod in ordine ad prædicandum est tantum quo, in ordine ad diffinitionem est quod, quia diffinitio est Logicalis, & ideò debet ut quod, & principaliter explicare illud, quod ratione sui potest ad Logicam pertinere, & solum *quo* ad prędicandum, vel ratio formalis prędicandi, quæ est secundo intentio pertinet ad Logicam per se primo.

Ad tertiam replicam negatur min. Quia quamvis per diffinitionem prædictam non explicetur secunda intentio in abstracto; explicatur tamen secunda intentio in concreto, & ut communicans proprium effectum formalem, & ita per diffinitionem istam non explicatur principaliter, quod positivè prędicatur ut quod, sed illud, quod prædicatur ut quo, aut est ratio formalis, qua natura prędicatur.

Dices: si semel data diffinitio explicat naturam secundæ intentionis, pro illa supponere debet, nam diffinitio est oratio explicans naturam rei, & ita pro eo supponit, quod explicat; sed pro secunda intentione non supponit diffinitio, ut vidimus: ergò non explicat naturam, & quidditatem illius.

Sed negatur maj. Quia in concretis accidentalibus aliud explicatur per diffinitionem; illud videlicet, quod principaliter significatur per nomen, & aliud est, pro quo diffinitio supponit, quod quidem est ipsum subjectum substentans naturam, & essentiam explicatam. Nec implicat diffinitionem explicare secundam intentionem, & pro illa non supponere, quia voces exprimunt conceptus mentis, & non supponunt pro illis.

QUÆST. III.

De Specie, & in ea.

ARTIC. I.

Utrùm diffinitiones speciei prædicabilis, & subijcibilis bonæ sint.

§. I.

Diffinitio speciei prædicabilis explicatur.

MAnifestum est, duplicem speciem dari: Unam quidem subalterna divisibilem in alias inferiores species, sicut sensibile, & vivens, quæ quidem nominantur species comparativè ad substantiam, quam contrahunt per differentiam particularem sensibilis, aut viventis, ex qua simul, & ex ratione generica substantiæ species subalterna resultat.

Species verò athoma est ea, quæ in alias species divisibilis non est, sed solum in individua materialitèr distincta, sicut homo, vèl equus, quæ tamen duplicem respectum importat: alterum ad genus; cui subijcitur, & respectu cujus dicitur subijcibilis; alterum quidem ad inferiora de quibus prædicatur, secundum quem prædicabilis appellatur.

Hanc ergò Porphyrius diffinivit in præsenti esse illam: *Quæ prædicatur de pluribus differentibus numero*: quæ diffinitio constat genere, & differentia, & consequenter bona est; nam in prædicari de pluribus omnia prædicabilia conveniunt, & per ly differentibus numero distinguitur species à quocumque altero prædicabili. Nam quamvis genus, & differentia prædicentur etiam de pluribus differentibus numero, non tamen eo modo prædicantur, quo in diffinitione speciei intelligitur, eo quod genus non prædicatur de Petro, & Paulo solo numero differentibus immediatè, sicut species, sed potius ad talia individua mediante specie descendit, & mediatè prædicatur differentia verò non prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid ut species, sed solum in quale quid, ut in superioribus relinquimus explicatum, nec genus, vèl differentia prædicantur de pluribus differentibus numero dicendo totam essentiam, qualitèr prædicatur species; sed genus dicit solam partem determinabilem per differentiam specificam: differentia autem partem determinantem importat.

Sed

Sed inſtabis contra diffinitionem prædictam: quia animal de hoc, & illo animali prædicatur ut ſpecies, & dicendo totam eſſentiam illorum; ſed animal de hoc, & illo animali non prædicatur immediatè, quando quidem animali ad hoc animal non contrahitur immediatè, ſed mediante aliqua ſpecie: ergò non omnis ſpecies prædicatur immediatè de pluribus differentibus numero.

Reſpondetur ad argumentum negando min. animal namque immediatè prædicatur de hoc, & illo animali, quia licèt ad hoc, & illud animal non contrahatur, vèl realiter deſcendat, niſi mediante aliqua ſpecie; objectivè tamen immediatè ad hæc individua contrahitur, eo quod concipitur animal ut determinatum per hoc animal, nulla concepta ſpecie animalis.

Et ſi dicas: Quod genus non poteſt concipi ut contractum per infimam, & ultimam differentiam, niſi concipiatur ut etiam determinatam per differentias intermedias: ergò non poterit animal concipitur contractum ad differentiam individualem, quin concipiatur ut contractum ad ſpecificam differentiam.

Reſpondetur, negando anteced. Quia poteſt intellectus concipere ſubſtantiam rationalem, vel ſubſtantiam mobilem, & ſubſtantiam vegetativam, nullam concipiendo differentiam intermediam inter rationem ſubſtantiæ, & differentiam vegetativè, mobilis, vèl rationalis.

Secundo arguitur: In diffinitione prædicta diffinitur ſpecies in communi; ſed ſpecies in communi prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, nam homo eſt ſpecies, & equus etiam ſpecies eſt: ergò male diffinitur ſpecies per prædicari de pluribus differentibus numero.

Confirmatur: Quia data diffinitio convenit alijs à diffinito: ergò bona non eſt. Probatur antecedens primo. Quia competit generi, nam genus prædicatur inquid de pluribus differentibus numero, ſiquidem prædicatur de ſpeciebus v. g. de homine, & equo, quæ non ſolum ſpecie, ſed etiam numero differunt: ergò competit alijs à diffinito.

Secundo probat. anteced. Quia competit, Deo, qui prædicatur eſſentialiter in quid de pluribus differentibus numero, de Patre videlicèt Filio, & Spiritu Sancto: ergò competit alijs à diffinito.

Reſpondetur ad argumentum diſtinguo maj. primo intentionaliter ſumpta, concedo maj. ſecundo intentionalitèr accepta, neg. maj. & diſtinguo min. Secundo intentionalitèr

ſumpta

ſumpta: concedo min. primo intentionaliter accepta, nego min. & conſeq. Nam per diffinitionem prædictam diffinitur ex parte rationis, quæ ſpecies in communi primo intentionaliter ſumpta, ideſt, ſecundum prædicata realia quæ habet, quæ ſunt tota eſſentia Metaphyſica individui, ſecundum quæ prædicata nulla ſpecies dicitur de pluribus differentibus ſpecie; ſed ſolum de pluribus numero differentibus, v. g. homo de quocumque individuo humanæ naturæ, & idem de Leone, & equo dicendum; ſi tamen conſideretur ſpecies ſecundo intentionaliter accepta pro ſecunda videlicet intentione ſpeciei, ſic prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, quia homo eſt ſpecies, & equus etiam ſpecies eſt; non tamen in præſenti diffinitur ex parte rationis quæ prædicta ſecunda intentio; hæc enim etiam ut ſpecies non prædicatur de ſpeciebus alijs v. g. de homine, & equo, ſed ſolum per modum accidentis quinti prædicabilis; nam homo, & equus accidentaliter denominantur ab intentione ſpeciei.

Ad confirmationem negatur antecedens. Quia genus prædicatur de ſpeciebus, quæ non differunt ſolo numero, ſed etiam ſpecie differunt; ſpecies verò prædicatur de pluribus ſolo numero differentibus.

Addimus: Speciem prædicari de pluribus differentibus numero, dicendo totam eſſentiam; genus verò prædicatur de pluribus dicendo partem eſſentiæ.

Dices: etiam ſpecies prædicatur dicendo partem eſſentiæ: ergò nulla eſt ſolutio. Probatur antecedens. De eſſentia individui non ſolum eſt differentia ſpecifica, ſed etiam individualis differentia; ſed ſpecies non dicit differentiam individualem: ergò non dicit totam eſſentiam.

Reſpondetur: Differentiam individualem eſſe de eſſentia Phyſica individui, non tamen de eſſentia Metaphyſica illius, quæ ſolum conſtituitur per genus, & differentiam ſpecificam, quæ duo importat ſpecies, & ideò prædicatur dicendo totam Metaphyſicam eſſentiam.

Et ſi dicas: ita ſe habere differentiam individualem ad individuum, ſicut ſpecifica differentia ſe habet ab ſpeciem; ſed differentia ſpecifica pertinet ad eſſentiam Metaphyſicam ſpeciei: ergò altera pertinebit ad eſſentiam Metaphyſicam individui.

Reſpondetur: ita ſe habere utramque differentiam quantum ad conſtitutionem Phyſi-

cam

cam; non tamen quantum ad Metaphyſicam conſtitutionem, quia differentia individualis non conſtituit eſſentiam Metaphyſicam individui, ſed ſolum Phyſicam; eſſentiam namque Metaphyſica individui non eſt alia quam eſſentia ſpeciei.

Verum quia ly differentia Metaphyſica terminus æquivocus eſt cum individuum non poſſit in aliquo ſenſu intelligi Metaphyſicè conſtitutum ſine differentia individuali, propterea.

Reſpondetur clarius: ſpeciem prædicari de individuo dicendo totam eſſentiam ſpecificam, genus vidælicèt, & ſpecificam differentiam, ad quam non pertinet differentia individualis; & ſi in aliquo verò ſenſu ipſum individuum Metaphyſicè conſtituat.

Ad ſecundam verò probationem antecedent confirmationis principalis argumenti facilis eſt ſolutio: quia Deus non prædicatur de pluribus differentibus numero realiter multiplicatus in illis, qualitèr prædicatur ſpecies.

§. II.
Diffinitio ſpeciei ſubijcibilis explicatur.

SPECIES ſubijcibilis communitèr diffinitur ex doctrin. Porphyrij: *Quæ ponitur ſub genere, & de qua genus in eo quod quid prædicatur*: in eo verò quod eſt ſub genere boni convenit cum individuo, ſed quia ponitur ſub genere per modum ſubjecti immediati, per eandem particulam ſic intellectam ab individuo diſtinguitur, quod quidem non immediatè, ſed mediante ſpecie ſub genere continetur.

Inſtabis contra diffinitionem prædictam: genus diffinitur per ordinem ad ſpeciem: ergò ſpecies per ordinem ad genus diffiniri non debet; alias in utriuſque diffinitione circulus committeretur.

Confirmatur: etiam ſpecies mediatè tantum ſub genere continetur: ergò eo modo, quo individuum continetur ſub genere, & conſequenter diffinitio ſpeciei ſubijcibilis convenit individuo.

Reſpondetur ad argumentum: Speciem ſubijcibilem, & genus eſſe correlativa, & conſequenter potius debere unum per ordinem ad alterum diffiniri.

Et ſi dicas: quod partes diffinitionis ſunt notiores diffinito, & non poteſt eſſe verum ſpeciem eſſe notiorem genere, & ſimul genus eſſe notius, quam ſpecies.

Facile dicitur: partes extrinſecas diffinitionis, & omnia ea, quæ ingrediuntur in obliquo non requiri eſſe notiora diffinitio.

Si autem dicas secundo: in diffinitione unius partis posse poni diffinitionem illius, & consequenter loco generis poterit poni generis diffinitio; ita ut species ipsa diffiniatur, quæ ponitur sub eo, sub quo ponitur species.

Respondetur: Logico partis intrinsecè posse poni diffinitionem illius; non verò loco partis extrinsecè, qualitèr se habet genus ad speciem, & species ad genus: ex quo constat respectum speciei subijcibilis priorem esse relatione prædicabilis, quia species respicit genus tanquam partem suæ essentiæ, & inferiora, vel individua secundario, & ex consequenti respicit.

Ex dictis colligitur primo: Genera suprema posse subinduere intentionem speciei prædicabilis, quatenus comparari possunt ad aliqua inferiora immediatè objectivè, ut antecedentèr diximus, dicendo totam illorum essentiam. V. g. si substantia compatetur ad hanc, & illam substantiam.

Dices: Substantiam ad hanc, & illam substantiam non posse ut speciem comparari: ergo doctrina traddita nulla est. Probat. ant. primo. Quia substantia non potest esse species subalterna, vèl infima, non quidem subalterna, quia non subjcitur generi, nec infima, quia in alias species divisibilis est: ergo non potest speciei intentionem subinduere.

Secundo probat. antec. Omnis species componitur ex genere, & differentia; sed substantia non componitur ex genere, quia ipsa est genus supræmum, supra quod non datur aliud: ergò idem quod Prius.

Respondetur ad argumentum de essentia speciei solum esse dicere totam essentiam: non autem esse subalternam, vel infimam, & ita posse dari speciem, quæ nec subalterna, nec infima fit; non subalterna, quia generi non subijcitur; nec infima, quia non respicit individua completa Metaphysicè, aut ultimo determinata per infimam specificam differentiam, qualitèr respiciunt hæc, & illa substantia, quæ objectivè concipiuntur ut determinata per hæceitatem, quin concipiatur in eis ultima differentia specifica, & ideò non concipiuntur Metaphysicè completa, nec species in ordine ad illa potest infima denominari.

Ad secundam probationem respondetur: Speciem respicientem individua Metaphysicè completa debere esse compositam ex genere, & differentia; eo quod dicit totam essentiam realem, quia constituuntur à parte rei individua; speciem verò respicientem individua Metaphysicè incompleta dicere totam essentiam individui, ut objicitur

intellectui, qua ratione ſolum individuum importat ſolam rationem genericam, aut ſolam differentialem, ut hæc ſubſtantia, vèl hoc rationale, ut determinatam ſingularitate aprehenſa, vèl cognita; & ita hæc ſpecies non debet componi ex genere, & differentia.

Secundo ex dictis colligitur: ſpeciem in ratione univerſalis ſolum poſſe conſtitui per ordinem ad individua, nam ſolum ea reſpicit ut inferiora formaliter. Nec obſtat, ſpeciem ſubijcibilem prædicari de hac, & illa ſpecie ſubijcibili; nam hoc ſolum probat ſpeciem ſubijcibilem denominativè, & accidentaliter eſſe prædicabilem; non tamen formaliter, & ut quo, & ſub ea ratione formaliter qua ſubijcibilis eſt: ſiquidem ſub illa formalitate ſolum genus ſuperius, & non inferiora reſpicit.

Tertio colligitur: Genus, & ſpeciem ſecundo intentionaliter ſumpta; & quatenus univerſalia ſunt, non poſſe in uno tantum inferiori ſalvari genus videlicet in unica ſpecie, & ſpeciem in uno individuo, eo quod univerſale formaliter eſt unum in multis, & debet reſpicere plura. Ex quo etiam habetur, quod ſi genus, & ſpecies conſiderentur ſecundum rationem totius actualis, utrumque ſalvatur in uno, & ſpecies in uno individuo, & genus in una ſpecie; nam animal, v.g. ut totum actuale ſolum dicit rationem viventis ut determinatam per differentiam ſenſibilis, & utrumque hoc prædicatum in unico individuo ſalvatur.

Tandem infertur ex dictis: Genus ſecundum omnia ſibi intrinſeca non poſſe in una ſpecie ſalvari, quia genus ſecundum ſibi intrinſeca dicit partem determinabilem, & contrahibilem per differentiam ſpecificam, quæ contrahibilitas ſalvari non poteſt, niſi ex propria, & intrinſeca natura importet genus potentialitatem ad plures differentias, per quas poſsit determinari, ſicut potentialitas materiæ, quam habet ad omnes formas per omnes illas actuabilis eſt: ſpecies verò ſecundum omnia intrinſeca ſibi poteſt bene in uno individuo ſalvari, ſicut in prima mundi creatione erat in adamo tota ſpecies humana, & ratio eſt, quia ſpecies non eſt ab intrinſeco contrahibilis per plures differentias individuales, nec ab intrinſeco exigit illas, quamvis eas permittat; ſed potius individuales differentiæ, & ipſa potentialitas ſpeciei poſitiva, per exigentiam illarum, ab extrinſeco proveniunt ratione materiæ, quæ multiplicationis principium eſt.

***

§

AR-

ARTICULUS II.

Vtràm natura Angelica sit species prædicabilis?

§. I.

Quibusdam suppositis statuitur affirmativa conclusio.

IN difficultate istà, quæ inter nostros gravissima est, oportet quædam præmittere; & primum est, non esse in ea sermonem de natura Angelica adæquatè considerata secundum omnia prædicata essentialia tàm Physica, quàm Metaphysica, quæ sunt de essentia illius prout in se; nam si ita natura Angelica consideretur à nobis, essentialitèr est singularis, & ideò universalis esse non potest: unde solum potest difficultas nostra procedere de natura Angelica inadæquatè concepta secundum specifica prædicata, ut ab individuo; vel singularitate præcisa, qualitèr de facto natura Angelica apprehenditur à nobis, dum eam cognoscimus ad modum rei materialis, & sicut naturam corpoream, & materialem sine singularitate intelligimus, ita Angelicam naturam sine singularitate cognoscimus, quod totum 1. *p. q.* 13. *art.* 9. docuit Ang. Doct.

Secundo notandum est: Duplex esse universale, aliud videlicet secundum rem, & rationem, aliud verò secundum rationem tantum; universale quidem secundum rem, & rationem est illud, quod à parte rei in pluribus reperitur, aut saltim de potentia absoluta potest in pluribus reperiri, sicut natura Solis, aut Lunæ, quæ licet de facto plura individua non habeant, possunt tamen de potentia absoluta habere plura individua.

Et si dicas: Præfatam doctrinam non esse conformem Sanctissimo Præcept. qui in *art.* 9. citato asserit, naturam solis non esse universalem secundum rem; sed esse universalem secundum rationem tantum, quatenus potest intelligi ut in pluribus existens.

Respondetur: naturam solis de facto esse universalem secundum rationem tantum, quatenus de facto non potest in pluribus reperiri; esse tamen universalem secundum rem, & rationem attenta potentia absoluta, secundum quam in pluribus reperiri potest; nam universale secundum rem est, quod in pluribus reperitur, & ita quod potest in pluribus reperiri de potentia absoluta, eadem attenta potentia erit universale secundum rem.

Universale verò secundum rationem tantum tàm de facto, quàm de possibili est natura illa,

cui tàm de facto, quàm de possibili repugnant plura individua, quæ tamen abstracta ab uno individuo, quod habet, ita manet indifferens, ac si à pluribus fuisset abstracta, & propterea quantum est ex vi præcisionis, & naturæ secuddum speciem suam comparari potest ad plura; non ergò inquirimus in præsenti, àn natura Angelica sit universalis secundum rem, & rationem? Cum illi in Doctrina D. Th. 1. *p. q.* 50. *art.* 4. plura individua repugnent, nec àn talis possit esse, cum repugnantia illa essentialis sit, sed solum àn possit esse universalis secundum rationem tantum. In qua parte sententia negativa communior est extra Scholam D. Th. ipsamque plures tuentur Thomistę ut Soncin. Javellus, Prado, Curiel, & etiam Reverendiss. à Sancto Thoma venerandi Complutenses, & plurimi alij Thomistæ sententiam affirmativam defendunt. Ex quibus aliqui ita acritèr proprio dictamini adhærent, ut asserant censendum non esse Thomistam, qui sententiam oppositam amplectatur, quod tamen non approbamus, quia re vera opposita sententia in via D. Thom. satis probabilis est. Sit tamen.

*** *** ***
*** *** ***

§. II.

Nostra Conclusio.

Natura Angelico inadæquatè concepta species prædicabilis est.

Conclusio ista poterat probari primo ex D. Thom. *opusc. 42. cap. 5.* dicente: *Quia naturam Angelicam cognoscimus per alienam speciem naturæ materialis, & non per propriam, ideò formamus intentiones communes, quæ uniformitèr istis, & illis conveniunt.* Ex quibus verbis appertissimè constat intentionem speciei prædicabilis esse communem naturæ materiali, & naturæ Angelicæ inadæquatè conceptæ.

Respondent aliqui: Præfatum opusc. non esse Sanctissimi Præcept. Quia nec stylus illius est, & plura continet, quæ non consonant doctrinæ D. Th. Sed àn opusc. sit illius non certè scimus, & solutionem effugium esse facile recognoscimus; doctrinam tamen esse consonam D. Th. probamus: eo quod *cap. 6.* de ente, & essentia eandem doctrinam tradit, & ibidem affirmat expressè substantias Angelicas esse ordinabiles in prædicamento tanquam species, & cum prædicamentum sit prędicabilium ordinatio, sentire videtur naturas An-

Angelicas esse species prædicabiles, quod idem 1. p. q. 13. ar. 9. confirmat, dum ait: Naturam solis posse intelligi ut in pluribus existentem; *quia intellectus intelligit naturam cujuslibet speciei per abstractionem à singulari*: quod naturæ Angelicæ prout à nobis inadæquatè concipitur convenire, manifestum est.

Quidquid tamen sit de his ad locum difficile D. Thom. transeamus desumptum ex *quæst. unica de Spiritualibus creaturis, artic. 8. ad 4.* ubi affirmat Div. Tom. *Quid sicut hæc albedo non prohibitur habere sub se multa individua, ex hoc quod est albedo, sed ex hoc quod in hoc, quod pertinet ad rationem individui; ita natura hujus Angeli non prohibetur esse in multis ex hoc, quod est natura in tali ordine rerum; quod pertinet ad rationem speciei, sed ex hoc quod non est nota recipi in aliquo subiecto, quod pertinet ad rationem individui.* In quibus manifestè dicat, naturæ Angelicæ non repugnare plura ex conceptu specifico, sed solum ex conceptu individui, vel illius ut in re, & ita clare explicat mentem suam, ut verba ponderatione non egeant, ut ait Magist. à Sancto Thoma.

Sed quamvis verba clara sint, adea tamen adversarij respondere connantur asserentes D. Thom. solum intendere, quod natura Angelica non prohibetur esse in multis ex eo quod pertinet explicitè ad rationem speciei, non tamen negare, quod prohibeatur esse in multis ex eo, quod implicitè pertinet ad rationem speciei; nam revera quamvis conceptus inadæquatus, & specificus non exprimat repugnantiam ad plura illam tamen involvit implicitè, quatenus prædictus conceptus exigentiam unici, & determinati individui essentialitèr includit, & à tali exigentia pro implicito minimè præscindere valet.

Hæc tamen solutio reijcitur primo ut omnino voluntaria, & sine ullo fundamento in littera D. Thom. Et quia si natura Angelica secundum illud, quod implicitè pertinet ad rationem speciei prohibetur esse in multis absolutè non erit verum, quod illa non prohibetur esse in multis ex eo, quod pertinet ad rationem speciei, sicut non est verum absolutè, quod ens ex conceptu proprio, & specifico entis non prohibetur esse unum simplicitèr, quia ex tali conceptu pro implicito prohibetur esse simplicitèr unum, undè qui assereret ens ex conceptu proprio posse esse unum simplicitèr falsum assereret; sed Div. Thom. absolutè affirmat naturan Angelicam non prohiberi esse in multis ex eo quod perti-

net ad rationem speciei; ergò sentit non prohiberi esse in multis ex conceptu specifico etiam implicitè, vel secundum ea, quę implicitè claudit.

Secundo rejicitur: quia D. Thom. per ea verba, non prohibetur ex conceptu speciei, sed ex eo quod pertinet ad rationem individui, manifestè intendit solum prohiberi ex eo quod pertinet ad rationem individui; sed naturæ specificæ non implicat essentialiter, & objectivè id, quod pertinet ad rationem individui, nam gradus specificus, & individualis in Angelo non minus objectivè præscindunt, & faciunt compositionem metaphysicam rationis, quam gradus genericus, & gradus differentialis: ergo sentit naturam Angelicam non prohiberi esse in multis etiam ex eo quod implicitè pertinet ad rationem speciei.

Respondebis: Naturam Angelicam solum prohiberi esse in multis ex eo quod pertinet ad rationem individui formaliter per modum radicis, qualiter conceptus specificus pro impliciro pertinet ad rationem individui, eo quod radix singularitatis implicitè contenta in conceptu specifico, radicaliter ad individuum pertinet, & hoc esse intentum D. Th.

Sed contra efficaciter: quia si ita est, potius debuisset dicere D. Thom. per se primo prohiberi ex conceptu specifico, quam ex eo quod pertinet ad rationem individui: ergò solutio nulla est. Probatur antec. Conceptus radicis singularitatis solum radicaliter pertinet ad individuum, ut concedit data solutio; formaliter verò pertinet ad speciem: ergò potius debuisset dicere D. Thom. naturam Angelicam prohiberi esse in multis ex eo, quod pertinet ad rationem speciei, quam ex eo quod pertinet ad rationem individui.

Tertio impugnatur principalis solutio: quia si contrariorum doctrina vera est, etiam natura Angelica prohibetur esse in multis ex eo, quod pertinet explicitè ad rationem speciei; hoc non admittunt contrarij; ergò solutio illorum vera non est. Probatur maj. Quia natura Angelica prohibetur esse in multis ex radice singularitatis per se primo; sed radix singularitatis pertinet explicite ad conceptum speciei, si vera est illorum doctrina: ergò major vera est. Probatur min. Conceptus inadæquatè distinctus à conceptu differentiali specifico pertinet explicitè ad conceptum speciei; sed radix singularitatis solum inadæquatè distinguitur a conceptu specifico, nam si adequatè differret, etiam pro impliciro objectivè præscinderent, qualiter præs-

præscindant omnes alij conceptus adæquatè distincti in creatis: ergò conceptus radicis pertinet explicitè ad conceptum speciei. Min. cum conseq. tenet, & probatur maj. In conceptu *ad* relationis; qui quidem, quia solum inadæquatè distinguitur à conceptu *in* peculiari, pertinet etiam ad conceptum specificum relationis, sicut ad conceptum specificum intellectus creati pertinet ratio discursus, quæ in adæquatè tantum distinguitur à conceptu intellectus, qui est prima inadæquata intellectus differentia, & ob eandem rationem ratio naturæ, & ratio liberæ pertinent explicitè ad conceptum specificum voluntatis.

Ratio insuper id ipsum convincit: nam conceptus, qui formaliter specificus non est, aut differentia saltim inadæquata specifica, adæquatè est extra speciem; sed conceptus, qui adæquatè extra speciem existit, adæquatè etiam distinctus est à conceptu differentiali specifico: ergò conceptus inadæquatè tantum distinctus à conceptu differentiali specifico pertinet explicitè ad conceptum speciei.

Ratione verò probatur conclusio nostra: Quia natura creata concepta cum fundamento ut una in multis; & communicabilis pluribus, est species prædicabilis; sed natura Angelica inadæquatè concepta, & secundum specificum conceptum præcisè intelligitur cum fundamento ut una in multis, & communicabilis pluribus: ergò sic considerata species prædicabilis est. Probatur minor. Natura creata à singularitate præcisa concipitur cum fundamento, ut una in multis, & communicabilis pluribus; sed natura Angelica inadæquatè concepta, & secundum specificum conceptum à singularitate præscindit: ergò ita concepta intelligitur cum fundamento ut una in multis, & communicabilis pluribus. Maj. patet: Quia ablata forma non potest manere effectus formalis formæ; sed forma, quæ reddit naturam incommunicabilem pluribus, & determinatam ad unum est singularitas, & individuatio naturæ, vi cujus tantum redditur natura singularis, & ad unum determinata: ergo natura creata à singularitate præcisa concipitur cum fundamento ut una in multis, & communicabilis pluribus, non verò ad unum determinata.

Min. verò probatur primo. Natura Angelica inadæquatè concepta, & secundum specificum conceptum solum importat species prædicatas; sed singularitas non est specificum prædicatum, vèl de conceptu specifico naturæ: ergo sic inadæquatè concepta à singularitate præscin-

eindit. Probatur min. Specifica prædicata sunt genus, & differentia specifica; sed singularitas genus, vel differentia non est, sed prædicatum individuale præcisè: ergò singularitas non est specificum prædicatum, aut de conceptu specifico naturæ.

Secundo probatur min. principalis. Ideò natura Angelica inadæquatè concepta, & secundum specifica prædicata à singularitate non præscinderet, quia gradus differentialis specificus, & individualis in Angelo proveniunt ab eadem indivisibili forma; sed hoc non excludit præcisionem objectivam: ergo natura Angelica inadæquatè concepta a singularitate præscindit. Maj. est contrariorum doctrina, & min. probatur. Quia in novis gradus specificus, & gradus individualis proveniunt ab eadem indivisibili forma, ut fatentur adversarij; & tamen gradus specificus ab individuali præscindit: ergò ratio prædicta non tollit præcisionem objectivam.

Respondent contrarij primò: Naturam Angelicam pro explicito à singularitate prescindere; non tamen posse pro implicito præscindere ab illa, sed potius illam debere importare pro implicito, eo quod est prædicatum essentiale illius; ut autem natura prædicta esset universalis formaliter, debeat etiam pro implicito à singularitate prescindere; nam si singularitatem includit, non intelligitur simpliciter indifferens ad plura, nec intelligitur unica, & omnimodo una ad essendum in pluribus, sed potius pro implicito distincta ab omni alio individuo, quod non sit illud, in quo non reperitur de facto.

Sed contra est: quia quoties unus gradus non est de essentia, & conceptu alterius, unus præscindit ab alio etiam pro implicito; hac enim ratione animal, etiam pro implicito prescindit à rationali; sed singularitas non est de conceptu specifico naturæ Angelicæ, quando quidem non est genus, vel specifica differentia illius: ergo natura Angelica secundum conceptum specificum etiam pro implicito à singularitate præscindit.

Secundò reijcitur: Nam ita comparatur conceptus specificus ad individualem conceptum, sicut conceptus genericus ad conceptum differentialem; sed genericus à differentiali etiam pro implicito præscindit: ergò conceptus specificus etiam pro implicito prescindit à conceptu individuali.

Tertio reijcitur: Eatenus specificus conceptus à singularitate non prescinderet pro implicito, quia natura Angelica, secundum conceptum specificum immaterialis est, vel irreceptibilis in-

in materia; ſed ſecundum conceptum genericum immaterialis eſt, & irreceptibilis in materia, & tamen conceptus generi-cus etiam pro implicito à ſingularitate præſcindit: ergo etiam conceptus ſpecificus poterit pro implicito à ſingularitate præſcindere.

Et ſi dicas: Naturam Angelicam ſecundum conceptum genericum, in quo omnes Angeli conveniunt, non eſſe immaterialem competere, ſed ſolum incompletè immaterialitate contrahibili per ultimam, & completam immaterialitatem.

Contra eſt: Quia natura Angelica ſecundum rationem communem immaterialis, in qua omnes Angeli conveniunt, eſſentialitèr diſtinguitur ab anima rationali; ſed anima rationalis eſt immaterialis incompletè: ergo natura Angeli ſecundum rationem illam communem completè materialis eſt.

Secundo reſpondent adverſarij ad rationem principalem: Naturam Angelicam ſecundum conceptum ſpecificum etiam pro implicito à ſingularitate præſcindere; non tamen præſcindere pro implicito à radice unius ſingularitatis, ſed potius radicem ſingularitatis eſſentialitèr pro implicito includere; eo quod ex conceptu ſpecifico exigit eſſentialitèr unam ſingularitatem.

Sed contrà eſt primo: Doctrina Sanctiſsimi Præcept. aſſerentis: naturam Angeli non prohiberi eſſe in multis ex eo quod pertinet ad rationem ſpeciei, quæ doctrina vera non eſſet, ſi ex conceptu ſpecifico pro implicito prohiberetur eſſe in multis, & radicem ſingularitatis includeret, ut ſupra ponderavimus, & modo prætermittimus, eadem inutilitèr repetamus.

Secundo impugnatur data ſolutio: quia ita comparatur conceptus genericus ad conceptum ſpecificum, ſicut ſpecificus ad conceptum individualem; ſed ratio generica ex proprijs non exigit etiam pro implicito determinatam differentiam ſpecificam: ergò nec gradus ſpecificus exigit pro implicito determinatam ſingularitatem.

Tertiò: Conceptus ſpecificus etiam pro implicito non habet eſſentialitèr radicare unam ſingularitatem, nec exigere illam: ergo etiam pro implicito præſcindit à radice unicæ ſingularitatis. Probatur ant. Si conceptus ſpecificus haberet eſſentialiter pro implicito radicare unam ſingularitatem etiam exercitè, & in re radicaret illam; ſed illam in re, & exercitè non radicat: ergo etiam pro implicito eſſentialitèr non habet radicare unam ſingularitatem. Probatur minor. Omnia, quæ in re, &

exer-

exercitè radicantur in natura, radicantur etiam in natura singulari, unde singularitas est conditio in natura ad exercitè radicandum indispensabiliter requisita; sed conditio ad exercitè radicandum necessario requisita non est forma exercitè radicata: ergo min. vera est. Quapropter specificus conceptus solum impropriè, & ex ab usu terminorum dicitur radix singularitatis, quatenus per illam determinatur; non tamen quia verè eam radicet.

4. Natura specifica solum essentialitèr exigit specificas proprietates; sed singularitas non est proprietas specifica Angeli: ergo conceptus specificus non exigit essentialitèr unam singularitatem, & consequenter etiam pro implicito præscindit à radice illius, vèl illius exigentia

5. Ideò conceptus specificus etiam pro implicito à singularitate præscindit, quia singularitas non est genus, vel differentia specifica; sed etiam esse radicem unius singularitatis non est genus, vel differentia specifica: ergo conceptus specificus etiam pro implicito præscindit à radice singularitatis. Probatur min. Si esset genus, vel differentia specifica, etiam explicitè pertineret ad speciem, ad quam explicitè pertinent omnia prædicata specifica; sed non pertinet explicitè ad speciem metaphysicè sumptam, ut adversarij fatentur: ergo esse radicem unius singularitas non est specifica differentia.

Explicatur impugnatio: Nam, vel esse radicem unicæ singularitatis, inadæquatè tantum distinguitur à differentia specifica Angeli, vel distinguitur adæquatè, si primum, constituere debet specificam differentiam, quia omnis conceptus inadæquatè tantum ab alio distinctus constituit simul cum altero adæquatam rei differentiam, ut supra monstrabimus, & consequentèr conceptus radicis pertinebit ad speciem pro explicito; si autem adæquatè distinguitur, etiam pro implicito præscindunt; nam conceptus adæquatè distincti in creaturis etiam pro implicito, & objectivè perfectè præscindunt.

Secundo probatur conclusio nostra ratione: Quia Gabriel v. g. non ponitur immediatè in prædicamento sub genere; sed solum sub natura specifica Gabrielis, alias genus prædicaretur immediatè de individuo: sed non ponitur Gabriel immediatè, nisi sub specie ut prædicabili: ergò natura specifica Gabrielis species prædicabilis est. Probatur min. Solum subijcitur immediatè speciei ut prædicabili: ergò solum sub ea quatenus prædicabili ponitur immediatè. Probatur antec. Illi subijcitur immedia-

diatè, quod reſpicit ut verum correlativum; ſed non reſpicit ut verum correlativum ſpeciem ut ſubijcibilem, ſed ipſam ut prædicabilem, nam ſpecies ſolum ut prædicabilis reſpicit individua, ut ſubijcibilis verò reſpicit ſolum genus: ergo Gabriel ſolum ſubijcitur immediatè ſpeciei quatenus prædicabilis eſt.

Confirmatur: Natura ſpecifica Gabrielis verè prædicatur de illo ut ſuperius de inferiori, non quidem ut genus, vèl differentia, ſiquidem prædicatur dicendo totam eſſentiam: ergo dicitur de illo ut ſpecies verè, & propriè prædicabilis, quia non ſtat eſſentialitèr prædicari ut ſuperius de inferiori, & non prædicari per modum differentiæ generis, vel ſpeciei Maj. prob. Contrahibile, & determinabile per aliud verè eſt ſuperius ad ipſum, ſiquidem forma contrahens, & determinans eſt forma limitans, & ſi verè limitat prædicatum contractum, non eſt ita univerſalis, & ſuperior ſicut ipſum; ſed natura Gabrielis comparatur ad ipſum tanquam forma determinabilis per ſingularitatem Gabrielis, & differentiam individualem illius, & cum ea veram facit compoſitionem rationis, quæ non poteſt reſultare niſi ex forma determinabili, & forma determinante: ergo natura ſpecifica Gabrielis verè prædicatur de illo ut ſuperius de inferiori.

***

§. III.

Argumentis contrariorum occurritur.

CONTRA concluſionem noſtram poterat in primis argui: ex Angel. Doct. q. unica de Spiritualibus creaturis *art.* 8. *ad* 4. aſſerente: *Quod natura Angelica prohibetur, eſſe in multis ex eo quod non eſt nata recipi in aliquo ſubiecto.* Sed ſecundum conceptum ſpecificum eſt irreceptibilis in ſubiecto, alias ſecundum talem conceptum non eſſet immaterialis completè, ſiquidem ſecundum illum conceptum non excluderet materiam: ergò naturæ Angelicæ etiam ſecundum talem conceptum repugnat multa reſpicere, & conſequenter, quod fiat univerſalis.

Secundò: Quia ibidem aſſerit D. Th. impoſsibile eſſe fingere plures Angelos unius ſpeciei eo quod Angelus eſt forma ſimplex, & abſtracta ab omni materia: ergo idem, &c.

Ad hæc tamen facile dicitur Div. Thom. tantum intendere naturam Angelicam prohiberi eſſe in multis ex eo quod non eſt nata recipi in aliquo ſubiecto, vèl in ſubiecto irreceptibilis eſt, non quidem irreceptibi-

bi-

litate ſpecifica, ſed individuali, & ultima, & qua habet adæquari cum unica ſingularitate, & quod illi plura repugnent : unde non offendit ſententiam noſtram authoritas adducta.

Pro quo breviter notandum eſt, quod quamvis forma Angelica eſſentialiter ut in ſe, aut prout iure individua, & ſingularis; virtualiter tamen adæquatè diſtinguitur in ea id, per quod eſt individua ab eo, quo in propria ſpecie Metaphyſicè conſtituitur; nam in propria ſpecie conſtituitur per genus, & ſpecificam differentiam, & illud, quo ſit formaliter individua, debet eſſe virtualiter adæquatè diſtinctum à differentia ſpecifica, alias per differentiam individualem haberet eſſe ſpecificum. Ex quo fit, quo cum intellectus noſter non intelligat Angelicam naturam per ſpeciem propriam adequatam cum illa prout in ſe; ſed potius eam intelligat, per ſpeciem alienam admodum rei materialis, ſicut naturam materialem intelligit, ut à ſingularitate præciſam, & ſecundum ſpeciem ſuam, ita naturam Angelicam cognoſcit ſecundum ſpeciem Metaphyſicam à ſingularitate præſcindendo, & conſequenter eam intelligit ut in determinatam per ſingularitatem, proindeque ut ad plura indifferentem vel cum non repugnantia ad plura ex vi prædicti conceptus; licet ex ultima immaterialitate, ex qua habet ultimo materiam excludere, & ſpeciem adæquare, plura illi eſſentialiter repugnet, & hoc, & non aliud intendere Div. Thom. conſtat ex eo, quod ibidem affirmat non prohiberi eſſe in pluribus ex eo, quod pertinet ad rationem ſpeciei, quod ita non eſſet, ſi repugnantia ad plura ex ipſa irreceptibilitate ſpecifica proveniret.

Ad ſecundum ex Div. Thomas deſumptum conſtat, Angelicum Præceptorem ibi tantum intendere, non poſſe intellectum cum aliquo fundamento concipere, vel fingere plures Angelos ejuſdem ſpeciei ut poſsibiles abſolutè, eo quod ubi materia impoſsibilis eſt repugnat abſolutè multiplicatio numerica; non tamen intendere D. Thom. plures Angelos repugnare ex conceptu ſpecifico naturæ, alias prohiberetur eſſe in multis ex conceptu ſpecifico, cujus oppoſitum ibi D. Th. affirmat.

Aliam Doctrin. D. Thom. adverſarij ſolent opponere deſumptam *ex* 1. *p. q.* 13. *art.* 9. ubi ait: Naturam ſolis eſſe univerſalem ſecundum rationem, eo quod plura illi non repugnat de potentia abſoluta Dei, ex quo conſequi videtur, naturam, cui plura repugnant, etiam de potentia abſoluta, univerſalem eſſe non

non posse etiam secundum rationem; sed de prædicta doctrina §. 1. notabili 2. dictum est.

Secundo poterit argui: Quod convenit alicui secundum se convenit in omni statu; sed singularitas convenit naturæ Angelicæ secundum se, siquidem ipsa est essentialiter singularis: ergò etiam ut inadæquatè concepta, & prout in intellectu debet esse singularis, & nequit esse communis.

Ad hoc tamen facilè dicitur. Quod convenit alicui secundum se Metaphysicè, ideſt secundum specifica prædicata præscindendo à quocumque statu accidentali naturæ, ille etiam in omni statu convenire; singularitatem tamen non ita convenire naturæ Angelicæ, quin potius illi competere solum adæquatè sumptæ, & prout invenitur in re: & ideò mirum non esse, quod inadæquatè concepta, & secundum specifica prædicata singularis non sit.

Tertio poterat argui: Nihil posse concipi cum prædicato sibi repugnante, sicut anima rationalis, potest præscindi ab immortalitate, sed non potest concipi ut mortalis, & Christus Dominus non potest ut peccabilis concipi, quamvis possit ab impeccabilitate præscindere; sed universalitas repugnat naturæ Angelicæ, siquidem natura Angelica est singularis; singularitas verò, & universalitas opponuntur: ergo natura Angelica prout à nobis concepta universalis esse non potest.

Sed ad hoc facilè respondetur singularitatem per rationem opponi cum universalitate sed singularitatem in re non opponi cum universalitate per rationem, qualiter natura Angelica universalis est, ut concipitur à nobis. Nec exempla aliquid suadere, cum esse mortalem, vèl immortalem sint prædicata convenientia rebus prout sunt à parte rei, & ideò natura impeccabilis non potest ut peccabilis concipi, nec natura immortalis ut mortalis, sicut eadem ratione hominem rationalem non possumus ut irrationalem concipere, nec Angelum immaterialem possumus ut materialem; & corporeũ cognoscere; universalitas autem est prædicatum rationis, quæ non convenit rebus in re, sed solum per intellectum, & ita natura Angelica singularis in re potest esse universalis inadequatè per intellectum concepta.

Quarto poterat argui: quod sicut genus respicit species, ita species respicit individua; sed si repugnarent plures species, animal non esse genus; ergò natura Angelica, cui repugnat plura individua non poterit esse species, quæ sit verè prædicabilis.

Ad hoc etiam dicitur, quod si animali secundum proprium con-

conceptum non repugnarent plures ſpecies, quamvis illi in re, & aliunde repugnarent, poſſet habere intentionem generis, ſicut natura Angelica habet intentionem ſpeciei.

Secundo reſpondetur: quod tunc caſus plures ſpecies repugnarent ex ipſo conceptu animalis, quod quidem in illo eventu non diceret partem eſſentiæ ſpecifice determinabilem ad hanc ſpeciem præ alia, & conſequenter ab intrinſeco diceret totam eſſentiam, & eſſet vera ſpecies, propterea que non poſſet cum fundamento ſubinduere generis intentionem.

Quintum poterat argui: Quia materia Cœli eſſentialiter adæquatur cum unica forma, non poteſt cum fundamento concipi ut indifferens ad plures formas; ſed natura Angelica eſſentialiter adæquatur cum uno individuo: ergò non poteſt concipi ut indifferens, & univerſalis in ordine ad plura.

Etiam ad hoc facile reſpondetur: Materiam Cœli ſpecificari ab unica forma, quam habet, ut à termino adæquato, & ita ex conceptu ſpecifico adæquari cum hac unica forma, quam in amiſsibiliter reſpicit, propterea que non poſſe cum fundamento concipi ut ex conceptu ſpecifico indifferentem ad alias; naturam verò Angelicam ex conceptu ſpecifico non exigere hoc unicum individuum, ſed potius ab hac ſingularitate præſcindere, & propter talem præciſionem poſſe cum fundamento ex conceptu ſpecifico concipi ut indifferentem ad plura.

Sexto arguitur: Natura Angelica non prædicatur ut ſuperior de illo individuo, quod habet: ergò ſpecies prædicabilis non eſt. Probatur ant. hæc propoſitio, hic Gabriel eſt Gabriel, non eſt ſuperioris de inferiori: ergò natura Angelica Gabrielis non prædicatur ut ſuperior de illo individuo, quod habet. Probatur antec. Illa prædicatio eſt ſuperioris de inferiori in qua à prædicato ad ſubjectum, vel à ſuperiori ad inferius non eſt bona conſeq. Sed à natura Gabrielis ad Gabrielem bene valet conſeq. Bene namque infertur eſt Gabriel: ergò eſt hic Gabriel: ergò illa propoſitio hic Gabriel eſt Gabriel non eſt ſuperioris de inferiori.

Reſpondetur: Prædicationem illam eſſe ſuperioris de inferiori, ſi prædicatum importet naturam Gabrielis inadæquatè conceptam, & ſecundum ſpecifica prædicata, conſequentiam tamen eſſe bonam, quia licet talis natura ſit univerſalis ſecundum rationem, univerſalis tamen non eſt ſecundum rem, & quando dicitur à ſuperiori ad inferius affirmativè non valere conſeq. intelligitur de ſuperiori, quod ſe-

cun-

ſecundum rem, rationem ſuperius eſt.

Dices: Hæc conſeq. eſt hæc natura Gabrielis ſecundum eſſe ſpecificum, ergò eſt hoc unicum determinatè individuum, & non plura alia, vèl eſt bona, vèl eſt mala, vèl efficax, vel ineffi-cax probatio: ſi mala, & ineffi-cax: ergò ſtat, quod antec. ſit verum, & conſequens falſum, & conſequenter ſtabit, hanc naturam ſpecie eſſe plures nume-ro: ſi bona, & efficax probatio eſt, non poterit antec. eſſe ve-rum, & conſequens falſum: er-gò ex vi conceptus ſpecifici ne-ceſſario exigitur hoc unicum in-dividuum, & plura non permit-tuntur.

Reſpondetur: quod ſi ar-gueremus à natura ſpecifica pre-ciſivè, & objecta ſumpta, & ut inadæquatè concepta bona conſeq. non eſſet, quia natura ſic ſumpta eſt indifferens ad plu-ra, & nec habet per quid poſiti-vè determinetur ad unum, ut vidimus, ac proinde ex vi con-ceptus ſpecificè prout ſic poſſe conſequens eſſe falſum. Ex quo ſolum ſequitur poſſe illam ſpe-ciem eſſe plures numero ex vi ta-lis conceptus; non tamen abſolu-tè loquendo eo quod plura illa repugnant ex illo quod pertinet ad rationem individui, cum quo tamen compatitur, conſeq. fac-tam eſſe bonam abſolutè, quia in ea non arguitur à natura præ-ciſivè, ſed ab illa ſumpta realiter, ſecundum quam rationem eſſentialitèr: connexa eſt cum hoc unico individuo Gabrielis, & ex quo in hac conſideratione bona conſeq. ſit non infertur ex conceptu ſpecifico non eſſe na-turam indifferentem, nec impli-citè ſingularitatem includere, vel exigentiam illius. Et inſtantia eſt in alia ſimili conſeq. nam benè valet: eſt bonum: ergo verum: quæ conſeq. infalibilis reputatur ab omnibus: ergò bonum ſimpli-citèr, & objectivè non præſcindit à verò, mala conſeq. eſt. Cuius ratio eſt ſupra tradita, quia vide-licèt in his non arguitur ab ant. præciſivè ſumpto, ſed ab illo ſumpto realitèr.

Septimo arguitur: Angelus ex conceptu ſpecifico exigit eſ-ſentialitèr adæquari cum unico individuo: ergo naturæ Angelicæ ſecundum ſpecificum concep-tum repugnant plura individua, & conſequenter prout ſit uni-verſalis eſſe non poteſt. Prob. ant. Angelus ex conceptu ſpecifico eſt completè immaterialis; ſed adæquatio cum uno individuo provenit ex immaterialitate completa: ergò Angelus ex con-ceptu ſpecifico exigit eſſentiali-tèr adæquari cū uno individuo.

Reſpondetur: negando an-tèc. & ad probationem dicimus, adæquationem cum unico indi-viduo ſolum provenire ex im-materialitate ultimo determina-

ta

ta ad aliam individualem differentiam, non verò ex immaterialitate ſpecifica, alias prohiberetur habere ſub ſe multa ex eo quod pertinet ad rationem ſpeciei, quod negat Angel. Doct. & quidem ſi probaret argumentum, etiam convinceret Angelum ſecundum conceptum generícum unicum individuum exigere, nam Angelus ſecundum conceptum generícum completè immaterialis eſt.

Sed inſtabis: Angelus ſecundum ſpecificum conceptum excludit multiplicationem: ergò exigit eſſentialiter unicum individuum. Probatur antec. primo. Ideò conceptus individualis multiplicationem excludit, quia excludit materiam, quæ eſt multiplicationis principium; ſed conceptus ſpecificus excludit eſſentialitèr materiam. ergò eſſentialitèr multiplicationem excludit.

Secundo probatur anteced. Angelus ſecundum ſpecificum conceptum petit identificari cum unica ſingularitate: ergò eſſentialitèr multiplicationem excludit. Probatur antecedens. Si ſecundum ſpecificum conceptum non poteret identificari cum unica ſingularitate per accidens tantum identificaretur cum illa, & conſequentèr poſſet non identificari cum illa, ſicut poteſt homo non identificari cum Petro, quia per accidens cum illo identificatur; ſed hoc dicendum non eſt, quia repugnat eſſentialitèr quamcumque ſpeciem Angelicam non identificari cum unica ſingularitate, quam habet; ergò Angelus ſecundum ſpecificum conceptum petit identificari cum una ſingularitate.

Tertio probatur anteced. Angelo ſecundum ſpecificum conceptum debetur unica ſingularitate: ergò Angelus ſecundum talem conceptum multiplicationem excludit. Probatur anteced. Angelo ſecundum ſpecificum conceptum debetur immaterialitas ultima; ſiquidem repugnat talem ſpeciem exiſtere ſine ultima immaterialitate, & cui repugnat exiſtere, quin exiſtat alterum, alterius exiſtentia debetur, ſed ex immaterialitate ultima exigit eſſentialitèr unam ſingularitatem: ergò Angelo ſecundum ſpecificam conceptum debetur unica ſingularitas.

Quarto probatu. Angelus ſecundum ſpecificum conceptum eſt infinitus negativè, & intra propriam ſpeciem, ita quod non ſit dabilis Angelus intra ſpeciem aliquam, qui non contineat totam perfectionem ſpeciei: ergò Angelus ſecundum proprium conceptum multiplicationem excludit: quia ſi illam non excluderet poſſent ex conceptu ſpecifico dari plu-

plura numero distincta, ex quibus omnes proprietates, & perfectiones unius non essent in alio, ac proinde ille non haberet totam perfectionem possibilem intra speciem, consequenterque non esset infinitus negativè.

Respondetur ad replicam istam; quæ satis obscura est: negando antec. & ad primam probationem distinguo major. Quia excludit materiam, & omne aliud multiplicationis principium, concedo maj. præcisè excludit materiam, nego maj. & distinguo min. materiam, sed non alterum principium, concedo min. materiam, & omne aliud, nego min. & conseq. Quia conceptus individualis determinat speciem ad unam hæcceitatem essentialiter in re, individuo convenientem, & ideò excludit indifferentiam ad plura, & propterea multiplicationem excludit, non quia excludit materiam, sed quia excludit indifferentiam, & omne multiplicationis principium; specificus verò conceptus excludit materiam: verum quia à singularitate præscindit, etiam determinationem excludit, & indifferentiam admittit, consequenterque non excludit omne principium multiplicationis, eo quod ex conceptu indifferenti in quantum tali repugnare non potest multiplicari per plura.

Ad secundam probationem antec. negatur antec. & ad probationem, distinguo maj. per accidens comparativè ad conceptum specificum præcisivè sumptum, concedo maj. comparativè ad illud in re, nego maj. & min. Sub eadem distinctione. Quia cum conceptus specificus præcisivè, & inadæquatè conceptus permittat plura comparativè ad talem conceptum prout sic accidentale est identificati cum unica singularitate, & quantum est ex vi talis conceptus posset non identificari cum illa, nec talis non identitas repugnat ex conceptu prædicto, quamvis aliundè repugnet, in quo à natura humana distinguitur, cui non solum secundum conceptum specificum præcisivè sumptum, sed etiam in re non repugnat non identitas cum Petro, eo quod natura humana Pauli cum singularitate Petri non est identificata realiter.

Ad tertiam probationem: negatur antec. & ad ejus probationem, distinguo maj. immaterialitas ultima divisivè, vel indifferenter accepta, concedo maj. accepta determinatè pro hac, nego maj. & distinguo min. ex immaterialitatè ultima, quatenus talis, & hæc determinatè, conc. min. ex illa divisivè, vel indifferenter sumpta, nego min. & conseq. Quia exigentia

unius singularitatis provenit ex immaterialitate ultima; quatenus est talis determinatè, & hæc quæ pertinet ad hoc individuum v.g. Gabrielis, & ex conceptu specifico non debetur naturæ Angelicæ immaterialitas ultima, quatenus hæc, & secundum propriam conditionem, vel quatenus adæquat totam speciem, sed solum divisivè, vel indifferenter accepta, quod idem est ac dicere ex conceptu specifico debere aliquam ultimam immaterialitatem; non tamen deberi ultimam determinatam, illam videlicèt, quæ adæquat totam speciem, sed potius permittere plures ultimas quarum nulla speciem adæquat.

Ad 4. distinguo ant. secundum specificum conceptum realiter sumptum, concedo ant. præcisivè acceptum, nego anteced. Quia Angelus secundum specificum conceptum præcisivè sumptum permittit plures singularitates, quarum nulla adæquat speciem, & ideò non petit totam perfectionem speciei in quolibet individuo salvari; sed hoc solum petit realiter, nam prout sic cum unico individuo essentialiter adæquatur.

Octavo arguitur: Quia intentio speciei universalis, & prædicabilis in natura Angelica non habet fundamentum in re: ergò prædicta intentio chymerica, & impossibilis est. Probatur antec. Angelus in re est essentialiter singularis: ergò intentio prædicabilis nequit habere fundamentum in re; nam id, quod est essentialiter singulare non potest ad intentionem universalis præbere fundamentum.

Respondetur negando ant. & ad probationem distinguo ant. Singularis identicè & entitativè, concedo ant. virtualiter, & fundamentaliter, nego ant. & conseq. Quia natura specifica Angeli virtualiter, & fundamentaliter à parte rei à singularitate distinguitur, & hæc distinctio virtualis satis est, ut natura Angelica concipiatur per intellectum à singularitate præcisa, & consequenter ut Logice universalis. Instantia est in ipsa natura humana, cujus gradus genericus identificatur à parte rei cum gradu differentiali, & gradus specificus cum ipsa singularitate; & tamen propter distinctionem virtualem inter illos habet intellectus fundamentum, ut unum præscindat ab altero, & ipsi tribuat intentionem generis, vel speciei.

Dices: distinctio virtualis inter naturam Angelicam, & singularitatem illius fundamentum esse non potest, ut natura Angelica fiat universalis per rationem: ergò nulla est data solutio. Prob. ant. etiam natura Divina à parte rei virtualiter distincta est ab ipsius singularitate; & tamen

fieri

fieri non poteſt per rationem univerſalis : ergò.

Reſponſetur : negando antec. & ad probationem diſtinguo maj. Virtualiter penes implicitum, & explicitum, concedo maj. penes excludens, & excluſſum, nego maj. & conceſſa min. negatur conſeq. Licèt namque natura Divina diſtinguatur virtualiter à propria ſingularitate, quatenus poteſt cognoſci ſingularitate explicitè non attacta; non tamen natura Divina virtualiter à ſingularitate diſtinguitur diſtinctione excludentis, & excluſi, eo quod in Divinis quodcumque prædicatum propter ſui infinitatem, & rationem actus puri continet implicitè omnia alia prædicata : ut autem natura Divina eſſet univerſalis, debebat pro implicito ſingularitatem excludere, aut determinationem ad unum.

In eidem venit altera ſolutio, quæ communiter circumfertur, videlicet, diſtinctionem virtualem eſſe fundamentum ſufficiens ad univerſalitatem ſpeciei prædicabilis, ubi cum ea conjungitur compoſitio ex genere, & differentia, quæ in Angelis datur, in Deo verò non reperitur, & ideò non eſt fundamentum illa virtualis diſtinctio ad intentionem ſpeciei quamvis in Angelis fundamentum ſit.

Nono arguitur : Natura eſſentialiter ſingulari non poteſt etiam per intellectum à ſingulare præſcindere ; ſed natura Angelica eſſentialiter ſingularis eſt : ergò non poteſt intentionem univerſalis induere, & per intellectum à ſingularitate præſcindere. Probatur maj. Quia Petrus eſt eſſentialiter ſingularis non poteſt per intellectum à ſingularitate præſcindere : ergò natura eſſentialiter ſingularis non poteſt etiam per intellectum præſcindere à ſingularitate.

Secundò probatur maj. Quod eſt eſſentialiter rationale, non poteſt etiam per intellectum à rationali præſcindere, eo quod nulla res à prædicato ſibi eſſentiali præſcindere poteſt : ergò idem quod prius.

Tertiò : Si Angelus eſſet natura eſſentialiter univerſalis, non poſſet per intellectum ab univerſalitate præſcindere : ergò pariter è contra.

Quartò : Si natura humana eſſet eſſentialiter ſingularis non poſſet à ſingularitate præſcindere : ergò 5. probatur maj. Quia Deus eſt eſſentialiter ſingularis non poteſt à ſingularitate præſcindere : ergò idem.

Reſpondetur ad argumentum negando maj. & ad primam probationem diſtinguo anteced. Quia præciſsè, nego anteced. Quia eſt ſingularis ſingularitate ultimo conſtituente ipſum in ratione Petri, concedo antec. &

negatur conſeq. Quia natura Angelica quamvis adæquatè ſumpta, & prout in re ſit eſſentialiter ſingularis, inadæquatè tamen accepta ſingularis non eſt; ſic enim importat ſolum ſpecifica prædicata, genus videlicèt, & differentiam ſpecificam, in quibus non ingreditur ſingularitas, & ideò inadæquatè conſiderata ſecundum conceptum ſpecificum à ſingularitate præſcindit; ipſa tamen ſingularitas comparativè ad Petrum eſt ultima differentia conſtitutiva illius, qua non intellecta, non intelligitur Petrus in ratione talis individui, cum ipſa ſingularitas ſit differentia individualis, ſine qua non ſalvatur individuum, & propterea Petrus non poteſt etiam per intellectum à ſingularitate præſcindere.

Ad ſecundam probationem reſpondetur: Rationalitatem non eſſe differentiam individualem, ſed eſſe differentiam ſpecificam conſtitutivam rationalis in eſſe talis, & ideò mirum non eſt, rationale non poſſe à tali differentia præſcindere.

Ad tertiam dicimus: Quod ſi Angelus eſſet eſſentialiter univerſalis non hoc haberet ſecundum rationem individui, nulla quippè res poteſt eſſe univerſalis, & communis ſecundum quod eſt individua, & ſingularis, undè univerſalitatem prædictam haberet Angelus ſecundum conceptum ſpecificum per intellectum à ſingularitate præciſſum, & ideò etiam per intellectum non poſſet ab univerſalitate præſcindere.

Ex quo etiam habetur: Quod ſi Angelus eſſet eſſentialiter univerſalis, non hoc illi competeret ratione ſingularitatis, nec ratione præciſionis, cum præciſio ſit ſtatus accidentalis, & non eſſentialis rebus, & ideò univerſalitas in illo eventu conveniret Angelo ſecundum ſe, & conſequenter in omni ſtatu, ac proinde nullo modo poſſet eſſe ſingularis.

Ad quartam probationem reſpondetur: quod ſi natura humana eſſet eſſentialiter ſingularis, eſſet etiam completè ſpiritualis, & conſequenter non poſſet adæquatè, & per ſpeciem propriam cognoſci, ſed tantum inadæquatè cognoſceretur à nobis, ſicut Angelus modo cognoſcitur, & ſic inadæquatè concepta à ſingularitate præſcinderet, ſicut Angelus modo præſcindit; ſi verò natura humana perſeveraret eodem modo quo eſt, & ſimul eſſet eſſentialiter ſingularis, adæquatè, & per ſpeciem propriam cognoſceretur à nobis, & ideò mirum non eſt, quod ita cognita non præſcinderet à ſingularitate, eo quod

quòd per ſpeciem propriam adæquatè, & prout in ſe attingeretur, quod in Angelo non contingit, qui non per propriam ſpeciem, ſed per alienam, & ad modum rei materialis inadæquatè cognoſcitur.

Ad 5. Non admittimus ſolutionem aſſerentem, ſingularitatem eſſe de conceptu Metaphyſico naturæ Divinæ, nam ſicut attributa Divina adæquatè virtualitèr diſtinguntur inter ſe, ita differentia ſpecifica virtualitèr adæquatè diſtinguitur ab individuali differentia, qua Deus conſtituitur, non quidem in ſpecie ſua, ſed in unitate individuali, & numerica. Quapropter ad quintam probationem adductam negamus cauſalem: ratio namque quare Deus non poteſt a ſingularitate præſcindere, non ea eſt, quod ſit eſſentialitèr ſingularis, ſed quia omnia prædicata Divina ſunt actus purus, & habent infinitam perfectionem, nec unum poteſt eſſe in vera potentia Logica ad alterum, & ita etiam pro implicito includitur unum in alio, conſequenterque non poteſt etiam pro implicito unum ab alio præſcindere; cujus oppoſitum contingit; in Angelo, in quo gradus ſpecificus veram compoſitionem rationis facit cum gradu individuali, & propterea etiam pro implicito debet alterum excludere.

Et ſi dicas: Quod concipere naturam Angelicam alitèr quam eſt in ſe, eſt falſo concipere illam; nam ab eo quod res eſt, vel non eſt dicitur intellectus verus, vel falſus, ſed concipere naturam Angelicam ſine ſingularitate, eſt concipere illam aliter ac eſt, cum in ſe ſit ſingularis: ergo intellectus verè concipiens non poteſt concipere naturam Angelicam à ſingularitate præciſam: ſicut nec naturam Divinam poteſt verè concipere præciſam à ſingularitate, quia in ſe ipſa ſingularis eſt.

Verum: Si replica convincit, contra ipſos adverſarios procedit, ſiquidem natura Angelica prout in re, & in ſe ipſa etiam explicitè ſingularis eſt: ergo intellectus verè concipiens non poterit illam pro explicito à ſingularitate præſcindere, quod tamen adverſarij non concedunt.

Ad replicam tamen pro omnibus reſpondemus diſtinguendo maj. Alitèr quam eſt in ſe privativè, concedo major. Alitèr quam eſt in ſe negativè inadæquatè, nego major. & diſtinguo minor. Alitèr quam eſt privativè, nego min. negativè, conced. minor, & negatur conſeq. Nam ut intellectus eſſet falſus neceſſarium erat, quod conciperet na-

turam Angelicam aliter ac est privativè, ideſt, cum prædicato reali oppoſito cum eo quod habet in re, ut ſi intellectus conciperet talem naturam ut in re univerſalem; quod tamen intellectus non facit, ſed ſolum concipit naturam Angelicam aliter quam eſt negativè, concipiendo, videlicet, prædicata ſpecifica, non concepta etiam pro implicito ſingularitate reali; ſicut dum intellectus intelligit hominem præſcindendo à riſibilitate, non attingit hominem ut inhibilem in re, vèl cum carentia reali riſibilitatis, ſed ſolum attingit ſpecifica prædicata, non concepta etiam pro implicito riſibilitate reali.

Et ſi dicas: Quod intellectus non ſolum non concipit ſingularitatem realem, ſed etiam attribuit illi univerſalitatem rationis; ſed univerſalitas iſta repugnat naturæ Angelicè in ſe ipſa: ergo falsò, & chymæricè operatur intellectus.

Reſpondetur: diſtinguendo min. in ſe ipſa prout in re, concedo min. appellante modum eſſendi, quem habet intellectu, nego min. & conſeq. Quia intentio univerſalitatis non tribuit naturæ Angelicæ ſecundum modum, quem habet in re, ſed ſecundum modum eſſendi, quem habet in intellectu cum fundamento in re ipſa, & ſecundum modum eſſendi, quem habet in intellectu verè cum fundamento concipiente naturam, non concipiendo ſingularitatem, verè etiam convenit, & attribuitur illi intentio univerſalis prædicta.

§. III.

Argumentum difficile ſolvuntur.

TAndem arguitur contra concluſionem prædictam Naturæ Angelicæ, eſſentialitèr repugnat relatio ipſa univerſalis: ergò natura Angelica ſpecies prædicabilis non eſt. Probatur antecedens primo. Naturæ Angelicæ eſſentialitèr repugnat aptitudo poſitiva ad eſſendum in pluribus: ergo repugnat univerſalis relatio, quæ ſupra talem aptitudinem fundatur. Probatur antec. eſſe in pluribus eſſentialitèr repugnat naturæ Angelicæ: ergo aptitudo poſitiva ad eſſendum in pluribus eſſentialitèr etiam repugnat; nam cui repugnat eſſentialitèr actus, etiam potentia eſſentialitèr repugnat, eo quod potentia eſt propter actum, & ad illum ordinatur.

Secundo probatur anteced. Quia eſſe prædicabilem de multis,

tis repugnat eſſentialitèr naturæ Angelicæ: ergo etiam repugnat illi univerſalis relatio; nam eſſe prædicabilem de multis eſt paſſio ipſius univerſalis, & cui repugnat paſsio, etiam eſſentia repugnat, ſicut cui repugnat riſibilitas, etiam natura humana repugnat. Antecedens probatur. Actu prædicari de multis eſſentialitèr repugnat naturæ Angelicæ, nam iſtæ propoſitiones numquam poſſunt eſſe veræ, hoc individuum eſt natura Gabrielis v. g. & illud, & illud, cum plura individua eſſentialitèr repugnent: ergo eſſe prædicabilem de multis eſſentialitèr etiam repugnat.

Tertio probatur antec. Cui repugugnat terminus relationis, etiam relatio repugnat; ſed naturæ Angelicæ repugnat terminus relationis ſpeciei univerſalis: ergo etiam relatio univerſalis eſſentialitèr repugnat. Prob. min. Terminus relationis ſpeciei univerſalis ſunt plura individua ſolo numero diſtincta; ſed naturæ Angelicæ repugnant plura individua ſolo numero diſtincta, *vt* 1. *p. q.* 50. *art.* 4. docet Ang. Doct. ergo repugnat Angelicæ naturæ terminus relationis ſpeciei univerſalis.

Ad hoc argumentum quod ſatis urget in præſenti difficultate; Thomiſtæ graviſsimi noſtram defenſantes ſententiam; communitèr reſpondent: Naturæ Angelicæ inadæquatè conceptę ſecundum ſpecificum conceptum à ſingularitate præciſsum, non repugnare aptitudinem poſsitivam ad eſſendum in pluribus, nec ipſam eſſe prædicabilem de pluribus, eo quod quamvis actu eſſe in pluribus, & actu de pluribus prædicari repugnet naturæ Angelicæ: hæc tamen repugnantia, & impotentia non oritur ex conceptu ſpecifico inadæquatè conſiderato, ſed provenit tantum ex conceptu individuali naturæ adæquante totam ſpeciem, & ideò non tollit naturam prædictam eſſe univerſalem, & prædicabilem ſecundum rationem tantum; nam poſſe actu in pluribus reperiri, & actu de pluribus prædicari abſolutè, ſolum requiritur ad univerſale ſecundum rem, & rationem, cujus univerſalitatis fundamentum eſt etiam exiſtentia in pluribus individuis; non verò ſola diſtinctio virtualis à ſingularitate, & præciſio per intellectum ab illa.

Solutionem iſtam probabiliſsimam eſſe fatemur; ſemper tamen ingerit difficultatem, aptitudinem poſsitivam ad eſſendum in pluribus, & prædicabilitatem de illis poſsibilia, ſi actus, vèl exercitium aptidinis, & prædicabilitatis prędictæ repugnat, quamvis hæc repugnantia non ex conceptu ſpecifico, ſed ex conceptu individui, aut aliunt

aliunde proveniat: quia repugnat abſolutè potentia illa, cujus actus primarius abſolutè impoſsibilis eſt, licèt impoſsibilitas prædicta non proveniat ex omni capite, vèl ex omni conceptu, ſicut repugnat ſpes in Beatis, & fides ſimiliter, quia actus primarij videlicèt, credere, & ipſum Deum ſperare abſolute repugnat, quamvis hæc repugnantia non oriatur in Beatis ex conceptu creaturæ. Repugnat etiam in Chriſto virtus pœnitentiæ, quia actus primarius illius abſolutè impoſsibilis eſt, & ſi non proveniant impotentia ex conceptu ſpecifico naturæ humanæ, ſed ex Divino ſuppoſito, aut conjunctione cum illo, & nihil magis tritum in Doctrina Div. Thom. quam præfata Doctrina; ſed exiſtentia in pluribus individuis, & prædicari de illis eſt actus primarius ſpeciei univerſalis, & talis actus abſolutè impoſsibilis eſt impotentia ſaltim orta ex conceptu individui: ergo univerſalitas, & aptitudo poſitiva ad eſſendum in pluribus, & intentio ipſa prædicabilis abſolutè repugnabunt, quamvis repugnantia prædicta ex conceptu ſpecifico non proveniat.

Reſpondere autem: in potentia reali eſſe verum, quæ realitèr ſpecificatur ab actu, & realitèr eſt propter illum; non tamen id eſſe verum in potentia rationis, & ficta, quę naturæ convenit ex vi præciſionis, & non reſpicit actum eſſendi, vel prædicandi, ut poſsibilem abſolutè; ſed ſolum ut poſsibilem ex conceptu naturæ.

Non obſtat: Quia nulla eſt vera potentia, ſivè realis, ſivè rationis, quæ non reſpiciat aliquem actum primarium, cum omnis potentia ſit propter aliquem actum, ſed potentia prædicta, & ſi rationis abſolutè debet eſſe impoſsibilis, quando actus primarius abſolutè impoſsibilis eſt, eadem ratione, qua potentia realis eſt impoſsibilis abſolutè, quando actus primarius eſt abſolutè impoſsibilis, ſicut repugnat abſolutè, fundamentum, quando repugnat abſolutè forma rationis fundata, eo quod ordinatur ad illam, non minus quam fundamentum realem ad illam formam, quam fundat, ergo etiam potentia rationis debet eſſe impoſsibilis abſolutè: quando actus primarius illius abſolutè impoſsibilis eſt. Quapropter.

Ad argumentum, ſi novitas doctrinæ non diſplicet, alitèr reſpondere placet: negando ant. & ad primam, & ſecundam probationem illius concedimus, naturæ Angelicæ abſolutè repugnare exiſtere in pluribus realitèr, & prædicari de pluribus exiſtentibus in re; negamus tamen

men illi repugnare exiſtere in pluribus obiectivè, & prædicari de pluribus ut obiectivè exiſtentibus; ad cuius intelligentiam præoculis habendum eſt, quod quamvis plura individua abſolutè repugnent, non tamen repugnat ex conceptu naturæ à ſingularitate præciſæ & ideò intellectus cum fundamento concipit plura individua, ut non repugnantia: vèl poſsibilia ex prædicto conceptu; cumque individua prædicta ut ita concepta ſint actu cognita, & obiectivè præſentia, inde fit naturam Angelicam reperiri in pluribus ut exiſtentibus objectivè, de illis objectivè exiſtentibus prædicari, quamvis non poſsit eſſe, nec prædicari de pluribus exiſtentibus in re; abſolutè namque verum eſt, omnia illa individua cum fundamento concepta, & exiſtentia obiectivè eſſe unius, & ejuſdem naturæ Angelicæ: undè illa prædicatur de omnibus illis non quidem diſtinctè, eo quod intellectus non poteſt hoc, & illud deſignare ut conſtitutu per ſpecialem differentiam individualem, ſed de omnibus in confuſo, & ſecundum eſſe obiectivum, ſiquidem omnia ſic in confuſo apræhenſa participant eandem naturam de facto ſecundum eſſe obiectivum, & propterea natura prædicta ſubinduere poteſt intentionem ſpeciei univerſalis, & prædicabilis ſecundum rationem tantum, quia actus primarius ſpecie univerſalis, & prædicabilis ſecundum rationem tantum eſt exiſtere in pluribus obiectivè, & prædicari de illis ut obiectivè exiſtentibus, ſicut enim intentio prædicta ſolum eſt univerſalis per rationem, ſic etiam exiſtentia in pluribus debet eſſe in illis ut per rationem tantum, & obiectivè exiſtentibus, nam qualis fuerit conditio univerſalis, talis erit ſui termini conditio, & ideò terminus univerſalis ſecundum rationem tantum, debent ſolum eſſe plura ſecundum rationem, & obiectivè exiſtentia.

Ad tertiam probationem reſpondetur: Naturæ Angelicæ ut inadæquatè conceptæ ſecundum ſpecificum conceptum ut à ſingularitate præciſum non repugnare plura individua ſolo numero diſtincta, quamvis ex conceptu individui, & abſolutè repugnet, & hoc ſecundum tantum Doct. Sanctus intendit.

Sed inſtabis: Naturæ Angelicæ etiam inadæquatè conceptæ repugnat multiplicatio numerica: ergo etiam illi prout ſic conſideratæ repugnant plura ſolo numero diſtincta. Probatur antec. Naturæ Angelicæ etiam inadæquatè conceptæ repugnat principium multiplicationis numericæ: ergo numerica multiplicatio repugnat

nat. Probatur ant. Principium unicum multiplicationis numericæ eſt materia ; ſed naturæ Angelicæ etiam inadequatè conceptæ repugnat materia ſiquidem natura Angelica etiam inadæquatè concepta ſecundum ſpeciem ſuam eſt completè immaterialis , & omnem materiam Phyſicam excludit : ergo illi pront ſic principium numericæ multiplicationis repugnat.

Reſpondetur ad replicam negando anteced. & ad probationem diſtinguo anteced. Principium multiplicationis in individua materialia , concedo anteced. in individua ſpiritualia, nego antec. Quia licet naturæ Angelicæ inadæquatè conceptæ repugnet materia, & conſequenter repugnet principium multiplicationis numericæ in individua materialia ; principium tamen multiplicationis in individua ſpiritualia nullatenus illi inadæquatæ conceptæ repugnat.

Sed inſtabis : Impoſsibile eſt principium multiplicationis in individua ſpiritualia : ergo nulla eſt data ſolutio. Probatur antecedens. Impoſsibile eſt aliud principium multiplicationis numericæ præter materiam Phyſicam , & corpoream, ut illi Thomiſtæ fatentur , contra quos in præſenti protedimus ; ſed materia corporea non poteſt eſſe principium multiplicationis numericæ in individua ſpiritualia: ergo principium multiplicationis numericæ in individua ſpiritualia impoſsibile eſt.

Reſpondetur : diſtinguendo antec. impoſsibile poſitivè, & abſolutè , conced. anteced. ex conceptu ſpecifico naturæ nego antec. Quia licet abſolutè repugnet principium multiplicationis in individua ſpiritualia, eo quod principium multiplicationis ſolum poteſt eſſe materia , quæ in Angelis eſſe non poteſt ; non tamen tale principium repugnat ex conceptu ſpecifico , & inadæquato naturæ ſiquidem natura Angelica inadæquatè concepta, & ut à ſingularitate præciſa nihil importat , per quod determinetur ad unum , & ideo nihil etiam importat, per quod poſitivè excludat plura , proindeque ex vi talis conceptus non repugnat aliquod ſpirituale principium ratione cujus per plura multiplicetur.

Dices: ergo non eſt aſſignabile principium multiplicationis in individua ſpiritualia, & conſequenter ſine fundamento ponitur.

Reſpondetur : non eſſe aſſignabile , quia abſolutè impoſsibile eſt ; non tamen ex omni capite , ſed ſolum ex conceptu individui repugnat.

Sed inſtabis primo : ergo tale principium abſolutè repugnat;

nat: ergo chymæricum, & impossibile est, & ens rationis, & fictum: ergo ad chymæram recurrimus, ut conclusionem salvemus.

Dices secundo: ergo plura, quæ ponimus sunt individua rationis: ergò natura Angelica non potest univocè prædicari per modum speciei de illis, & alio individuo, quod de facto habet, nam enti reali, & rationis nihil univocum potest dari.

Respondetur ad primam replicam, negando ultimam conseq. Quia licet illud principium absolutè repugnet, & ita absolutè sit chymæra, & ens rationis, non tamen propterea ad entia rationis, & ad chymæram confugimus, eo quod non ponimus illud principium ut absolutè possibile, sed solum ut possibile ex conceptu naturæ, & illud esse possibile ex conceptu naturæ non est chymera, sed verissimum est, & sic de facto contingit, siquidem natura ex conceptu specifico tale principium positivè non excludit, sed ipsum realiter, & positivè permittit.

Ad secundam instantiam respondetur distinguendo primum consequens: ut absolutè possibilia, concedo conseq. quatenus ponuntur à nobis, nego conseq. Quia nos non ponimus pro termino relationis plura individua ut absolutè possibilia, sed solum ut possibilia ex conceptu naturæ. Ex quo conceptu verè, & realitèr non repugnant, & ita illa plura ut à nobis constituta entia realia sunt.

QUÆST. IV.

De Individuo, & in ea.

ARTIC. UNICUS.

De individui quidditate.

§. I.

Statuitur individui diffinitio.

CUM species immediatè prædicetur de individuis, prælabita notitia speciei explicanda est quidditas individui, quod est proprium speciei: correlativum, & ipsum primo intentionaliter, vel secundum ea, quæ habet ante operationem intellectus diffinitur à Div. Th. 1 *p. q. 39 art. 4. indivisum in se, & divisum à quolibet alio.* Aut quod ulterius divisibile non est materiali differentia in aliquas partes, quarum quælibet sit ipsum, sicut homo dividitur in Petrum, & Paulum, quorum quilibet est homo.

Et si dicas: quod aliquis homo est individuum: & tamen dividitur in partes, quia Petrus est

est aliquis homo, & Paulus est aliquis homo: ergo.

Sed facilè dicitur, quod in præsenti non diffinitur nisi individuum determinatum, quale non est aliquis homo, siquidem ly aliquiquis homo, non individuum determinatum, sed individuum vagum est, quod constat ex natura, & incerta singularitate.

Hoc igitur individuum determinatum potest esse substantiale, ut Petrus, aut hic homo: vel accidentale, ut hæc albedo. Potest insuper esse completum, quod constat ex natura specifica, & differentia numerica, ut hic homo, vel hoc album: & potest esse incompletum, quod quidem constat ex natura generica, & numerica differentia, ut hoc animal.

Ex his: individuum completum cap. de Specie diffinivit Porphyrius esse illud, *cujus collectis proprietatum in uno reperta in alio reperiri non potest.* Quæ diffinitio descriptiva est, cum detur per proprietates individui; proprietates autem prædictæ hoc versiculo continentur. Forma, figura, locus, tempus, cum nomine, sanguis, Patria sunt septem, quæ non habet unus, & alter. Forma significat externam pulchritudinem, vel colorem, & corporis complexionem. Figura significat habitudinem illius, longitudinem, videlicèt, aut parvitatem, vèl dispositionem quantitatis. Locus significat terram, in qua quis natus est. Tempus horam. Nomen id, quo quis appellatur. Sanguis prosapiam parentum, nobilem, vel vilem. Patria autem Provinciam, vèl Regnum. Quæ omnia collectivè sumpta non possunt eadem numero in duplici individuo reperiri.

Sed modo instabis contra diffinitionem individui: quod individuum est singulare; sed singulare diffiniri non potest: ergo non potest individuum diffiniri.

Confirmatur: Nam omnis bona diffinitio constat genere, & differentia; sed individuum genere, & differentia non constat: ergo bene diffiniri non potest.

Sed facilè respondetur: Quod singulare, individuum exercitè, & in particulari diffiniri non potest; signatè tamen, & in communi benè potest diffiniri, & hoc modo in præsenti diffinitur, quod idem est ac dicere singulare sub ratione propria hujus vel illius, vel ut significatur nomine exprimente singularitatem determinatam diffiniri non posse, sicut Petrus diffiniri propriè non valet; posse tamen diffiniri singulare sub ratione communi, vèl ut significatur nomine exprimente singularitatem communem, qualem

lem explicant nomina ista *individuum, singulare prima substantia*, quæ omni individuo substantiali conveniunt, & duo prima competunt omni individuo.

Ad confirmationem dicimus: Individuum constare ex prædicato communi, & prædicato differentiali, quod sufficit ut diffiniatur, & si non ita propriè, sicut diffinitur species, quæ verè ex genere, & differentia componitur.

§. II.

Explicatur diffinitio individui secundò intentionaliter sumpti.

INdividuum secundò intentionaliter sumptum diffinitur esse illud, *quod de uno tantum prædicatur* In prædicari convenit cum quinque prædicabilibus, & omnibus alijs, quæ de aliquo prædicantur: & per ly de uno tantum ab alijs distinguitur, quia de uno tantum prædicari est propriſsima differentia individui.

Sed instabis: quòd prima substantia est individuum; sed illa textè Philosopho cap. de substantia de nullo prædicatur: ergò individuum, etiam de uno tantum non prædicatur.

Respondetur: primam substantiam de nullo prædicari tanquam de sibi inferiori, & in hoc sensu esse intelligendum Philos. quia ibi sermo erat de propria prædicatione prædicamentorum, in quibus omnia ut superius, vel inferius comparantur.

Secundò dicitur: primam substantiam de nullo prædicari artificiosè, quatenus non comparatur ad aliquid per modum formæ ad subjectum; prædicari tamen de se ipsa identicè, quo modo debet prædicari individuum.

Dices: Prædicatum in omni propositione se habere ut formam subjecti: ergò vel prima substantia non prædicatur, vel ut forma comparatur ad subjectum.

Dices secundò: Quod dum dicimus, Petrus est hic homo, non est identica prædicatio, & tamen est prædicatio individui: ergò non debet individuum identicè prædicari.

Respondetur ad primam: Prædicatum in omni propositione se habere ut formam dialecticam, quatenus ut prædicatum est id, quod loco principali ponitur in propositione, & de alio dicitur; non tamen se habere semper ut veram formam, sicut in hac, homo est albus, aut tanquam formam Logicam, ut cum superius de inferiori affirmatur.

Ad secundam respondetur: illam propositionem esse formalem, quia hic homo est quasi diffinitio Petri; esse tamen prædi-

di

dicationem individui, nam potest individuum ut exprimitur per suam diffinitionem directe, & formaliter prædicari de se ipso; & cum dicitur individuum debere identice prædicari de se ipso, intelligitur de individuo sumpto pro se, & non accepto pro sua diffinitione, à qua differt penes implicitum, & explicitum quod sufficit, ut diffinitio de illo formaliter prædicetur.

Secundò instabis: Individuum de pluribus prædicari, ut constat in his: Petrus est individuum, Paulus est individuum: ergò individuum non de uno tantum prædicatur.

Respondetur: distinguendo antec. Individuum denominativè, & ut quod, conced. antec. essentialiter, & ut quo, nego ant. & conseq. Quia individuum potest considerari essentialiter, & ut quo quatenus constitutum per differentiam determinatam essentialem individuo, in quo sensu de uno tantum dicitur, sicut Petrus ut constitutus per differentiam determinatam sibi ut individuo essentialem, prædicatur de se ipso; potest insuper considerari individuum denominativè, & ut quod, vel accidentaliter, quatenus quodcumque individuum accidentaliter denominatur ab intentione individui, & in hoc sensu de pluribus prædicatur, quia Petrus est individuum, & Paulus est individuum: verum ad hæc omnia comparatur ut forma accidentalis, & prædicatione quinti prædicabilis de illo prædicatur.

Et si dicas: quod individuo convenit essentialiter ex parte rationis *quæ* prædicari de uno tantum: ergò nequit illi accidentaliter convenire de pluribus prædicari, nam oppositum illius, quod aliqui convenit essentialiter non potest etiam per accidens eidem convenire.

Respondetur: prædicari de pluribus, & de uno tantum ex terminis, & signatè esse extrema opposita non tamen exercitè, & comparativè ad individuum secundum considerationem diversam: undè sicut individuum secundum unam rationem est unum determinatè, & accidentaliter consideratum est quid commune, ita illi accidentaliter considerato, & in statu præcisionis potest accidentaliter competere intentio communis, & opposita cum altera, quæ illi essentialiter convenit. Ad eum modo quo generi essentialiter convenit intentio generis, & illi accidentaliter, & denominativè convenit intentio speciei, & universali essentialiter convenit intentio superioris, & eidem accidentaliter, & denominativè, convenit intentio inferioris ad genus.

QUÆST.

QUÆST. V.

De Differentia, & in ea.

ARTICULUS I.

De Diffinitione differentiæ, & illius divisione.

§. I.

Præcipua divisio traditur.

EA forma, per quam unum ab alio distinguitur differentia nominatur; quæ quidem communiter sumpta dividitur in differentiam communem, propriam, & proprijssimam. Differentia communis est accidens separabile à subjecto, per quod subjectum ab alio, vel à se ipso distinguitur, quando tali accidenti caret, sicut albedo: differentia propria est accidens inseparabile, sicut risibilitas, nisi curvitas, quamvis inter hæc propria passio subjecti locum principalem obtineat. Differentia proprijssima est ea, quæ constituit speciem, & unum ab alio essentialiter distinguit; hæc autem alia est Physica, sicut forma in composito: alia Metaphisica: sicut rationalitas, & &c. Et quamvis Porphyrius alias enumeret divisiones, omnes illæ tamen reducuntur ad primam, & ex illa deducuntur, quæ utique bona est, & in membra adæquate dividentia, ut constabit singula discurrendo.

Dices: Eadem differentia est propria, proprijssima, & communis, quia disgregativum visus est differentia proprijssima albi, & propria Cigni, à quo est inseparabilis albedo, & differentia communis respectu hominis: ergò membra præfatæ divisionis non distinguntur formaliter, & consequenter divisio bona non est.

Respondetur: Talem differentiam esse materialiter eandem, sed formaliter diversam per ordinem ad diversa subjecta, quibus convenit, quod satis est, ut membra divisionis prædictæ formaliter distinguantur, sicut bonum, & verum materialiter sunt idem, sed quia formaliter sunt diversa bona est divisio entis in verum, & bonum.

Dices secundò: Genera suprema essentialiter distingui, non per differentiam communem, aut propriam, quæ solum faciunt accidentalem differentiam, nec per differentiam proprijssimam, nam hæc constituit speciem, & genera suprema non sunt species: ergò præter assignatas alia debet assignari differentia.

Res-

Respondetur: Genera suprema differre per differentiam propriissimam, ex quo non sequitur esse species, quia differentia propriissima solum constituit speciem, quando supponitur genus.

Secundò dicitur: in præsenti solum esse sermonem de differentia faciente propriè differre, & talem non esse differentiam generis supremi, nam propriè facere differre est distinguere inadæquate secundum aliquam partem, supponendo convenientiam in altera, quod non habent genera suprema, eo quod sunt primo diversa.

Omnes igitur differentias prædictas non habere univocam convenientiam in ratione tertij prædicabilis manifestum est, siquidem sola differentia propriissima prædicatur in quale quid, quod est proprium tertij prædicabilis; aliæ verò solum prædicantur in quale. Eadem etiam differentias primo intentionaliter acceptas, quatenus faciunt unum ab alio differre, analogicè etiam convenire, constat ex eo, quod inæqualiter participant rationem communem differentiæ; nam sola differentia propriissima facit differre simpliciter; aliæ verò solum faciunt differre accidentaliter, & secundum quid, & consequenter sola differentia propriissima est differentia simpliciter ac proinde divisio analoga est, eam tribuendo membra inæqualiter participant rationem communem, est analoga divisio.

Dices: Differentiam communem, & propriam propriè facere differre, sicut risibile propriè distinguitur ab inhibili: ergò sunt differentiæ simpliciter.

Sed negatur conseq. Quia licèt propriè faciant differre, non tamen faciunt differre essentialiter, & simpliciter, sed tantum accidentaliter, aut secundum quid, & ideò sunt propriæ differentiæ, sed non differentiæ simpliciter, sicut accidens est propriè ens, non tamen est ens simpliciter, sed solum secundum quid.

§. II.

Diffinitiones differentiæ explicantur.

Differentia quidem triplicem actum importat, videlicèt dividere genus, constituere speciem, & unam ab alia distinguere, & etiam habet inferiora sua respicere, & de illis prædicari, & secundum diversum respectum, vel exercitium diversimodè diffinitur à Porphyrio: per respectum namque ad genus diffinitur: esse illud, *quo species excedit genus*, & per respectum ad speciem, quod sit *constitutiva speciei*, & quæ-

genus differre facit unam speciem ab alia; diffinitur, *qua differunt inter se singula.* Et per ordinem ad inferiora diffinitur, *quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid*, vel in eo quod quale. Quæ omnes diffinitiones bonæ sunt, ad quod sufficit authoritas eorum, quod qui illas tradunt, & quia constant ex genere, & differentia, ut facile suadetur.

Dices: speciem per differentiam non excedere genus, quia etiam genus continet differentias: ergo prima diffinitio bona non est.

Dices secundo: Speciem excedere genus per risibilitatem, & alia accidentia: ergo non est speciale differentiæ, quod per illam species superet genus.

Sed ad utramque facile dicitur: ad primam quidem genus tantum in potentia continere differentias, speciem vero actualitèr continere differentiam, & per ipsam ut actu contentam excedere genus: Ad secundam vero; speciem excedere genus per differentiam essentialem, essentialitèr generi superaddendo perfectionem essentialem actualitèr non contentam in genere, per alia verò accidentia propria, vel communia solum accidentalitèr excedere genus.

Modo tamen non levis difficultas est: an diffinitio differentiæ prædicabilis omni differentiæ conveniat; & siquidem si particula de pluribus differentibus specie non ponatur ut pars, sed solum ut diffinitionis exemplum adductum in differentia determinata v.g. in subalterna, manifestum est, diffinitionem omni differentiæ convenire, nam omnia alia, quæ in diffinitione ponuntur, omni differentiæ conveniunt.

Rursùs constat: Præsentem difficultatem non procedere casu quo Porphirius solum tradiderit diffinitionem differentiæ subalternæ, quod affirmant aliqui, eo quod differentia hæc est magis nota, & differentiæ infimæ minus nobis innotescunt.

Verum: supposito, quod particula de pluribus differentibus specie sit pars prædictæ diffinitionis, & diffinitio omni differentiæ adaptetur difficultas est, qualitèr diffinitio prædicta omni differentiæ convenire possit.

§. III.

Qualitèr diffinitio omni differentiæ competat, explicatur.

AUthores aliqui affirmant, prædictam diffinitionem omnia differentiæ competere, quia licet athoma differentia non prædicetur de pluribus differentibus specie inter se spe-

dicatur tamen de pluribus differentibus specie ab alijs, sicut rationale de Petro, & Paulo qui per differentiam ipsam rationalis specie differunt à cæteris animalibus; consequenterque assèrunt particulam illam sue intelligendam de pluribus differentibus specie, vèl inter se, vèl ab alijs, rectèque prout sic diffiniri differentiam propriſsimam, quæ sola constituit prædicabile, eo quod prout sic diffinitur per fundamentum ipsius, quod est facere unum ab alio specifice differre; relationes autem rationis rectè diffiniuntur per earum fundamentum.

Sed instabis contra prædictam explicationem: quia particula illa non debet intelligi de pluribus differentibus specie ab alijs, sed solum de pluribus specie differentibus inter se: ergo explicatio tradita recta non est. Probatur ant. primo. Nam differentia diffinitur in præsenti, sicut alia prædicabilia; sed in diffinitione generis prædicari de pluribus differentibus specie non intelligitur de differentia specifica ab alijs, sed determinatè inter se: ergo sic, & non alitèr debet intelligi in diffinitione prædicta: ex quo fit, quod diffinitio tradita soli poterit differentiæ subalternæ convenire.

Secundo probatur antec. Sicut Petrus, & Paulus differunt specie ab equo, & Leone, ita etiam differunt genere à planta, & lapide; & tamen differentia diffiniri non potest per ordinem ad plura genere differentia ab alijs: ergo nec poterit illa particula intelligi de pluribus specie differentibus ab alijs.

Tertio probatur anteced. Sicut inferiora differentiæ specie differunt ab alijs, ita etiam inferiora speciei distinguntur specie ab alijs, & tamen species non diffinitur per prædicari de pluribus specie ab alijs distinctis; sed solum de pluribus differentibus numero: ergo idem quod prius.

Respondetur ad replicam: Quod cum differentia sit forma, per quam unum ab alio distinguitur, debet sua inferiora respicere, quatenus specificè distinguuntur ab alijs; genus verò non respicit sua inferiora per modum prædicati distinguentis ea ab alijs, & ideò diffiniri non debet de pluribus specie differentibus ab alijs. Quod idem dicendum est de omnibus alijs prædicabilibus, ad quorum naturam, & quidditatem non pertinet, quod eorum inferiora distinguantur ab alijs, sed solum qualitèr differunt inter se: unde inferiora respicere ut distincta ab alijs est proprium differentiæ, sicut, & illius proprium est unum ab alio distinguere.

Ad 2. probationem negat. conseq. Quia nulla differentia

facit propriè differre genere, ſed tantum ſpecie, ſicut infima facit differre ſpecie infima, & ſubalterna, & ita quod illius inferiora differant genere ab alijs, de materiali ſe habet in ordine ad differentiam.

Ad tertiam probationem reſpondetur quod licet inferiora ſpeciei differant ſpecie ab alijs, principium tamen diſtinctionis prædictæ non eſt ſpecies ipſa, ſupra adæquatè, & per modum ſpeciei, ſed ſolum principium ſpeciei, ſed ſolum principium talis diſtinctionis eſt ipſa differentia conſtitutiva ſpeciei, & ideò ſola differentia diffiniri debet per prædicari de pluribus ſpecie differentibus ab allio.

Cajetanus ſolita ſubtilitate defendit prædicari de pluribus differentibus ſpecie non intelligi poſitivè, ſed tantum negativè, ut per non repugnantiam ita ut ſenſus ſit, quod differentiæ in quantum differentiæ non repugnat prædicari de pluribus differentibus ſpecie in quo ſenſu omni differentiæ convenit diffinitio; eo quod quamvis differentiæ athomæ repugnet prædicari de pluribus differentibus ſpecie, in quantum athoma eſt; illi tamen non repugnat in quantum eſt differentia. Cajetanus impugnat plures, ſed hic Hercules militat contra viginti.

Mag. Froylan.

Ad cujus ergo mentem percipiendam, notandum eſt. Differentiam athomam, & ſubalternam in ratione tertij prædicabilis accidentaliter tantum diſtingui, quia de eſſentia tertij prædicabilis ſolum eſt prædicari in quale quid, quod autem inferiora ſpecie, aut ſolo numero differant, accidentaliter convenit illi, ſicut etiam eidem convenit accidentaliter, quod ſit differentia athoma, vel differentia ſubalterna: quapropter diffinitio traddita per prædicari de pluribus in quale quid explicat totam eſſentiam differentiæ Logicæ; alia verò particula explicat ſolum id, quod differentiæ non repugnat, quatenus differentia eſt. Poſſe autem aliquid modo dicto diffiniri, probat, vel ſuadet Cajetan. exemplo quanti, quod diffinitur eſſe diviſibile in ea, quæ inſunt; ubi diviſibile ſummitur negativè, & per non repugnantiam, qualiter convenit omni quanto, nam quamvis Cœlo, & minimo naturali non conveniat eſſe diviſibile poſitivè; illi tamen non repugnat quatenus ſunt quanta, ſed ſolum ut talia ſunt.

Et ſi dicas: Porphyrium non obſervare talem modum diffiniendi in alijs prædicabilibus; non eſt ergo ratio, ut credamus Cajetano ſic explicanti differentiæ diffinitionem.

Respondetur: in alijs prædicabilibus non observasse Porphirium prædictum modum diffiniendi, quia alia prædicabilia non respiciunt plures terminos immediatos, sicut respicit differentia, & ideò ex alijs prædicabilibus ad differentiam non potest paritas fieri: aut dices fuisse primum authorem, & pro sua libertate noluisse observare talem modum.

Dices secundo: Bonam diffinitionem debere explicare essentiam rei diffinitæ, & illud, quod alicui tantum convenit per non repugnantiam non explicare, quid sit res, sed quid illi non repugnet: non ergo bonus est modus iste explicandi diffinitionem.

Sed dicimus: Diffinitionem prædictam quantum ad ad essentialia non dari per non repugnantiam, sed solum quantum accidentia rei diffinitæ, nam quod plura differant specie, vèl solo numero differant, accidentalitèr se habet in ordine ad differentiam, & explicare per non repugnantiam accidentia, quæ rei diffinitæ non repugnant, non diminuit, sed augeret diffinitionis bonitatem.

Dices tertio: quod juxta talem doctrinam posset homo diffiniri per animal irrationale, quia licet irrationalitas repugnet homini, quatenus est homo, non tamen repugnat illi, quatenus animal est: sed hoc Cajetan. non admittit: ergo etiam illius explicatio admittenda non est.

Respondetur: Irrationalitatem non repugnare homini, quatenus animal est, repugnare tamen illi secundum differentiam specificam rationalis, & diffinitionem bonam non posse dari per illud, quod rei diffinitæ secundum conceptum differentialem repugnat; posse tamen dari per illud, quod alicui non repugnat secundum differentialem conceptum qualitèr prædicari de pluribus specie differentibus non repugnat differentiæ secundum rationem tertij prædicabilis, in quo athoma, & subalterna specificè conveniunt; sed tantum illi repugnat secundum differentiam accidentalem, vel quatenus athoma est.

Ex dictis habes: Differentiam in communi essentialitèr diffiniri per prædicari de pluribus inferioribus in quale quid, & differentiam subalternam secundum rationem accidentalem superaddictam prædicari de pluribus differentibus specie; athomam verò de pluribus solo numero distinctis.

AR

ARTIC. II.

Utrùm differentiæ constituatur in ratione universalis per ordinem ad speciem?

§. I.

Difficultas apperitur, & statuitur negativa conclusio.

MAnifestum est differentiam non constitui in ratione universalis per ordinem ad genus, quia ipsum non respicit ut inferius, sed ut superius ad ipsam; verum cum differentia immediatè respiciat speciem, quam constituit, & immediatè de illa prædicetur, & mediante specie respiciat individua, de quibus mediatè prædicatur; difficultas est an per ordinem ad individua constituatur in ratione universalis, vel per ordinem ad speciem. Secundum defendunt aliqui, & nos oppositum defensamus asserentes, differentiam solum constituit in ratione universalis per ordinem ad individua, non tamen per ordinem ad speciem.

Assumptum probamus primo: quia differentia constituitur in ratione universalis per ordinem ad terminum, quem ut inferiorem respicit, nam relatio universalis est relatio superioris; sed differentia non respicit speciem tamquam quid inferius, sed solum ut inferiora respicit individua: ergo solum per ordinem ad hæc constituitur in ratione universalis. Probatur min. primo. Superius se extendit ad plura, quam inferius; sed differentia non se extendit ad plura, quam species, siquidem rationale solum extenditur ad ea, ad quæ extenditur homo: ergo differentia non respicit speciem tanquam quid inferius, sed solum ut inferiora respicit individua.

Secundo probatur min. superius, & inferius non dicuntur ad convertentiam, nam a superiori ad inferius affirmativè non valet; sed species, & differentia dicuntur ad convertentiam, nam sicut valet: est homo: ergo rationalis, valet etiam: est rationalis: ergo homo: ergo idem quod prius.

Secundo probatur assumptum: quia universale constituitur per relationem ad plura; sed species non est plura, sed unum formalitèr: ergo differentia non constituitur universalis per ordinem ad speciem, sed solum in ordine ad individua. Prob. min. species secundum se, ut abstracta ab individuis, non importat distinctionem materialem, cum omnis distinctio materialis proveniat ab individuis; ergo non est plura, sed unum formalitèr.

Dices: Speciem esse plura

virtualitèr, quatenus virtualitèr, & in potentia continet plura individua, & hoc sufficere, ut terminet relationem universalis.

Sed contra est: Quia terminus relationis universalis debent esse plura formalitèr, siquidem universale diffinitur esse unum in multis, quæ multa debent esse talia formalitèr, eo quod particulæ diffinitionis debent intelligi cum rigore, quando nullum sequitur inconveniens, ut in præsenti contingit; sed species Metaphysicè considerata solum est plura virtualitèr, ut in solutione conceditur: ergo nequit esse terminus relationis differentiæ universalis.

Contra 2. differentia non prædicatur de specie, ut continente virtualitèr plura: ergo etiam in ordine ad aliam, prout sic nequit esse universalis. Probatur antecedens. Differentia non prædicatur de specie, quatenus totum potentiale, sed solum ut est totum actuale, nam prædicatur de illa, quatenus illam componit per modum formæ determinantis, & non aliter illam componit quam ut totum actuale: ergo non prædicatur de specie ut plura virtualitèr continente.

*** *** ***
*** *** ***

§. II.

Argumentis occurritur.

CONtra conclusionem nostram arguitur primo: ut differentia constituatur in ratione universalis per ordinem ad speciem sufficit, speciem esse virtualitèr plura; sed ita de facto contingit: ergo. Prob. mai. Ut terminus sit communis sufficit ex modo significandi, naturam significare, ac si esset multiplex virtualitèr: ergo etiam ut differentia constituatur in ratione universalis per ordinem ad speciem, satis erit: speciem ipsam esse virtualitèr plura.

Poterat responderi: negando min. Quia licet species in esse rei, aut Physicè sumpta sit virtualitèr plura, non tamen est plura virtualitèr in ratione totius actualis, secundum quam rationem differentia prædicatur de illa, & secundum aliam rationem etiam Metaphysicam esse virtualitèr plura, de materiali se habet.

Secundo respondetur: negando mai., & paritatem non urgere, quia communitas termini solum est communitas ex modo significandi: & ita ut terminus sit communis, sufficit significare naturam ut multiplicem virtualiter, vel communem ex-

ex modo significandi; universalitas vero Logica requirit plura formaliter, nam diffinitur universale Logicum, unum respiciens multa aut unum in multis, quæ multa formaliter debent, esse, ut in probatione conclusionis notavimus.

Dices: Sicut universale Logicum diffinitur esse unum in multis, ita terminus communis diffinitur per significare plura divisim: ergo si terminus communis non petit plura formaliter, universale Logicum non debet petere formaliter plura.

Sed negatur conseq. Quia universalitas Logica non solum est communitas ex modo significandi, sed etiam ex parte rei significatæ, & ideò requirit plura inferiora, quæ sint plura ex parte rei significatæ, & non solum virtualiter, vèl ex modo significandi; communitas vero termini solum est ex modo significandi, & ita sufficit ad illam significare plura virtualiter, vel naturam ex modo significandi communem.

Secundo arguitur: quod natura Angelica adæquatur cum uno individuo, & cum illo dicitur ad convertentiam; & tamen est superior ad ipsum, & verè subinduit intentionem speciei universalis: ergo idem.

Confirmatur: Differentia est æqualis cum specie: ergo est universalis, alias non esset æqualis cum specie, si quidem species universalis est.

Respondetur ad argumentum. Naturam Angelicam Physicè sumptam adæquari cum uno individuo; non tamen secundum conceptum specificum, & inadæquatè sumptam, prout sic enim est indifferens ad plura, quorum nullum est terminus adæquatus, nec ad ipsum valet conseq. si natura inadæquata considerentur.

Ad confirmationem dicimus: ex illa tantum convinci differentiam esse universalem, sicut species universalis est, non tamen sequitur ex ea differentiam esse universalem per ordinem ad speciem, sed solum per ordinem ad alia; quæ respicit ut inferiora, qualiter respicit individua.

Dices: Differentia eodem genere prædicationis, quo prædicatur de especie, prædicatur de individuis; sed de individuis prædicatur ut universalis ergo ut talis etiam de specie prædicatur. Probatur mai. Differentia prædicatur de specie, & species prædicatur de individuis: ergo eodem genere prædicationis, quo differentia prædicatur de specie, prædicatur de individuis. Patet conseq. per regulam ante prædicamentalem, cum quidpiam de quopiam prædicatur, quidquid

prædicatur de quidpiam prædicatur de quopiam, & consequenter, si differentia prædicatur de specie, & species de individuis; eodem genere prædicationis de specie, & individuis prædicabitur.

Sed facile respondetur: Quod quidquid prædicatur de quidpiam prædicatur de quopiam, aut quidquid dicitur de prædicato, dicitur etiam de subjecto, eodem genere prædicationis essentialis, vèl accidentalis, non tamen eodem genere prædicationis æqualis, vèl superioris, & ideò ex quo differentia ut universalis; & superior de individuis dicatur, non infertur etiam ut universalem prædicari de specie: & instantia est in diffinitione hominis, quæ ut æqualis tantum prædicatur de homine, & tamen de individuis ut superior prædicatur.

Tertio arguitur: Dum dicimus homo est rationalis prædicamus differentiam de specie, sed prædicatio hæc pertinet ad tertium prædicabile, siquidem pertinere debet ad aliquod ex quinque prædicabilibus, & ad aliud pertinere non potest: ergo differentia in propositione prædicari prædicatur ut universalis de specie, quia tertium prædicabile essentialitèr sub universali continetur.

Sed dicimus: Prædicationem prædictam esse tertij prædicabilis specificè, & materialitèr, quatenus res, quæ prædicatur de nominabilis est à secunda intentione tertij prædicabilis; formalitèr tamen non pertinere prædictam prædicationem ad aliquod ex quinque prædicabilibus, eo quod non est superioris de inferiori. Nec obstat esse univocam, & formalem, quia etiam diffinitio formalitèr, & univocè prædicatur de diffinito, & tamen prædicatio prædicta non pertinet ad aliquod ex quinque prædicabilibus propter eandem rationem.

Sed instabis: Differentia excedit, & superat speciem in extensione prædicabilis: ergo respicit speciem ut sibi inferiorem, & consequentèr ut universalis formalitèr. Probatur ant. Differentia in ratione prædicabilis se extendit ad plura quam species, siquidem prædicatur de individuis, & etiam de ipsa specie: ergo in extensione prædicabilis excedit speciem, quæ unicè tantum prædicatur de individuis.

Respondetur: negando utrumque antecedens. Quia licet differentia prædicetur de specie, & individuis, de specie tamen solum prædicatur ut æqualis, & ideò in ratione prædicabilis non se extendit ad plura; cum prout sic solum respiciat individua, de quibus etiam ut universalis prædicatur ipsa species.

Dif-

Dices: Differentia respicit speciem relationem prædicabilis: ergo ut prædicabilis etiam ad speciem extenditur, & consequentèr extenditur ad plura. Probatur antec. Differentia eadem relatione respicit speciem, & individua; sed individua respicit relatione prædicabilis: ergo etiam respicit speciem relatione prædicabilis.

Respondebis: Non respicere speciem, & individua eadem relatione, sed relatione distincta, quarum una terminatur ad individua ut inferiora, & altera terminatur ad speciem ut æqualem.

Sed contra est: Nam quod refertur ad unum terminum immediatè, & ad alteram mediatè, eadem relatione respicit utrumque. Sicut quia genus refertur immediatè ad speciem, & mediatè ad individua, eadem relatione respicit utrumque, & tàm de specie, quam de individuis prædicatur ut genus; sed differentia immediatè respicit speciem, & mediante specie respicit individua: ergo eadem relatione respicit utrumque.

Respondetur: majorem esse veram, quando terminum immediatum, & mediatum respicit sub eadem ratione, sicut genus per modum partis contrahibilis respicit speciem, & individua tanquam inferiora sibi; non tamen majorem esse veram, quando uterque terminus non inspicitur sub eadem ratione, sed sub ratione diversa, aut unus ut æqualis, & alter respicitur ut inferior, qualitèr differentia respicit individua, ut inferiora, & speciem ut æqualem, sicut diffinitio respicit diffinitum, & illius individua; & tamen non eadem relatione respicit utrumque, sed diffinitum relatione æqualis, individua verò respicit relatione superioris sicut ipsum diffinitum.

QUÆST. VI.

De Duobus ultimis prædicabilibus.

ARTICULUS I.

Utrùm diffinitio proprij bona sit?

§. I.

Explicatur conditio proprij, & illius diffinitio.

PRoprium contra commune dividitur, ut ipsum indicat nomen, & quatuor modis accipitur: nam aliud est proprium quod convenit soli, non tamen omni, sicut esse Medicum, vèl Logicum respectu hominis, quod quidem proprium primo modo appellatur. Aliud est proprium secundo mo-

modo quod convenit omni non tamen soli, sicut esse bipidem, quod omni homini, non tamen soli, sed etiam alijs animalibus competit. Aliud est proprium tertio modo, quod convenit omni, & soli, non tamen semper, sicut canescere, quod convenit omni homini, & soli, illi, non tamen semper, sed indeterminato tempore senectutis. Aliud est proprium quarto modo, quod convenit omni, soli, & semper, sicut risibilitas; & hoc tantum est proprium simpliciter cætera vero sunt talia secundum quid.

Divisio autem in quatuor propria relata bona est: quia non est assignabilis alius modus, quo accidens possit esse proprium respectu sui subiecti, est tamen analoga prædicta divisio, siquidem omnia illa præter quartum sunt talia secundum quid, undè participant inæqualiter rationem communem proprij

Et si dicas: Arist. 1. *Top. cap.* 4. solum assignasse proprium per se, & proprium aliquando, & proprium semper: ergo solum tria propria dantur.

Respondetur: Arist. in proprio *aliquando* inclusivè duplex proprium; illud videlicet, quod convenit in aliquo tempore, sicut canescere, & illud, quod convenit aliquibus tantum, sicut esse Logicum, ac proindè semper dari quatuor propria.

Proprium tandem tale simpliciter, quod est proprium quarto modo Arist. diffinivit esse illud, *quod non indicat, quid est esse rei, soli autem inest, & conversim prædicatur*: quatenus hoc proprium convertitur cum specie, & adæquatur cum illa: undè constitui non potest in ratione universalis per ordinem ad speciem ut de differentia diximus. Porphyrius vero tale proprium diffinivit esse, quod convenit omni soli, & semper.

§. II.

Argumentis contra doctrinam occurritur.

ARguitur primo: Diffinitiò tradita non convenit omni proprio: ergo bona non est. Probatur antecedens. Potentia intuitiva, & visiva sunt proprium quarto modo respectu animalis, & tamen non semper animali conveniunt, quia homo cœcus non habet potentiam visivam, nec surdus habet auditum: ergo diffinitio traddita non convenit omni proprio.

Respondetur tamen: Potentiam visivam, & auditivam numquam separari ab animalibus, quantum ad exigentiam, quia animal semper exigit eas, & ideò

ideò diffinitio proprij convenit omni proprio : eo modo quo debet intelligi illa particula *semper*, de proprij videlicet exigentia, quo modo poterat salvari potentiam visivam esse proprium respectu talpæ.

Verum certius est potentiam visivam esse proprietatem animalis perfecti, quod talpæ non convenit, & ita mirum non est, talpam tali potentia carere.

Dices propria passio semper debet convenire subiecto quantum ad existentiam, ut patet in risibilitate, quæ semper existit in homine: ergo illa particula semper de convenientia quantum ad existentiam intelligenda est.

Respondetur : Propriam passionem convenire semper quantum ad existentiam, quando non pendet ab extrinseco, sicut potentia visiva, & auditiva pendent ab organo corporali, quod potest lædi ab extrinseco agente, & propterea motus lapidis non semper convenit, quamvis sit propria passio, quia potest ab extrinseco impediri. Undè ut diffinitio proprio ab extrinseco independenti, & dependenti conveniat, de convenientia quantum ad exigentiam intelligenda est.

Iostabis secundo contra diffinitionem : Quia illa convenit alijs à diffinito : ergo bona non est: Antec. probatur primo in colore, qui convenit omni corpori mixto, soli, & semper, & tamen proprium non est, sed accidentaliter purè convenit. Et secundo probatur in quantitate, quæ convenit omni corpori, soli, & semper; & tamen proprium non est. Et tandem probatur in existentia conveniente omni enti soli, & semper; & tamen non habet rationem proprij.

Respondetur : quod calor convenit omni corpori soli, & semper; non tamen ex essentia, vèl ut dimanans ab essentia, sed ex conceptu individuali, & ideò proprium non est. Quia proprium debet ex essentia convenire, vèl ab essentia dimanare, & propter eandem rationem quantitas proprium non est, quia non dimanat ab essentia, sed sequitur ad principia individualia, & similiter existentia non dimanat ab essentia secundum conceptum proprium, & insuper solum convenit enti, quando ponitur extra causas; non tamen semper exigitur, & per hæc patet ad probationes relatas.

Ex his habes : calorem esse propriam ignis passionem, & lucem, passionem solis, quia calor igni, & lux soli semper, & necessario conveniunt.

Habes etiam : duplex esse proprium, unum videlicèt, quod

quod dimanat ab ſpecie ſubalterna, & dicitur ſubalternum, ſicut viſivum, & auditivum, quę ſequuntur ad naturam animalis; aliud vero infimum, quod ab ſpecie athoma dimanat, ſicut riſibile reſpectu hominis.

Et tandem habes: proprium ſecundo intentionaliter, & Logicè ſumptum ita diffiniendum eſſe: *Quod prædicatur de pluribus accidentaliter inſeparabiliter.* Ex quibus per prædicari de pluribus convenit cum alijs prædicabilibus, & per ly accidentaliter diſtinguitur a genere, differentia, & ſpecie, quæ eſſentialiter prædicantur: per aliam vero *in ſeparabiliter* diſtinguitur ab accidenti quinto prædicabilis, quod ſeparabiliter prædicatur.

ARTICULUS II.

Utrum rectè tradditur accidentis diffinitio?

§. I.

Difficultas apperitur, & ſtatuitur affirmativa concluſio.

IN præſenti ſermo non eſt de accidenti prædicamentali, quod videlicet inhæret ſubſtantiæ, & comprehendit tàm accidentia propria, quàm accidentia communia, ſed ſolum in præſenti diſputamus de accidenti prædicabili, quod eſt extra eſſentiam rei, de qua prædicatur, ſivè tale accidens ſit entitativè accidens ſivè ſit entitativè ſubſtantia, nam exiſtentia, & ſubſiſtentia ſunt modi entitativè ſubſtantiales; & tamen ſub accidenti, de quo loquimur, comprehenduntur, quia non dimanant ab eſſentia, nec ex proprijs exiguntur ab illa Metaphyſicè loquendo, ſed poteſt intelligi eſſentia adæquatè ſine exigentia ſubſiſtentiæ, & exiſtentiæ.

Hoc ergo accidens diffinivit Porphyrius eſſe illud, *quod poteſt ad eſſe, & ab eſſe abſque ſubjecti corruptione.* Sicut albedo poteſt homini convenire, & ab illo ſeparari abſque hominis corruptione, & per iſtam diffinitionem ſolum diffinitur accidens pro materiali, vèl ſubſtracto, illud videlicet ſubiectum, quod poteſt a ſecunda intentione quinti prædicabilis denominari; comprehenduntur que ſub accidente prædicto accidentia ſeparabilia, ut dormire ſedere, &c. & accidentia inſeparabilia, quæ non poſſunt Phyſicè a ſubjecto ſeparari, ſicut corvi nigredo.

Ex his habes: Accidens quintum prædicabile formaliter, aut ſecundo intentionaliter ſumptũ rectè diffiniri eſſe illud, *quod prædicatur* de pluribus accidentaliter ſeparabiliter, quia per

per prędicari convenit cum omnibus, & per ly accidentaliter ſeparabiliter, diſtinguitur ab omni alio prædicabili etiam à proprio, quod quidem licet prędicetur accidentaliter, non tamen ſeparabiliter, ſed inſeparabiliter prædicatur.

§. II.

Argumentis occurritur.

COntra doctrinam arguitur: Diffinitio accidentis datur per oppoſita copulativè videlicet per adeſſe, & abeſſe: ergo bona non eſt, quia bona diffinitio non poteſt dari per prædicata incompatibilia in te diffinita, qualiter oppoſita copulativè ſimul eſſe non poſſunt.

Reſpondetur: quod illa particula, & in diffinitione poſita accipitur pro eodem quod *vèl*, & ita diffinitio ſolum datur per oppoſita diviſivè.

Secundo arguitur: Quod forma ſubſtantialis adeſt, & abeſt materiæ ſine illius corruptione, nam quando forma ſeparatur non deſtruitur materia, ſed manet ſub alia forma; & tamen non eſt accidens forma prædicta: ergo diffinitio convenit alijs à diffinito.

Confirmatur: Humanitas Chriſti poteſt deſſicere Verbo Divino abſque verbi corruptione; & tamen non eſt accidens: ergo idem quod prius.

Reſponderur ad argumentum: quod accidens poteſt adeſſe, & abeſſe, non cuicumque ſubiecto, ſed ſubiecto completo ex materia, & forma compoſito, & ita diffinitionem intelligi, ſecundum quam rationem non convenit formę, quę poteſt adeſſe, & abeſſe materiæ, quæ eſt incompletum ſubiectum.

Et ſi dicas: nullam eſſe rationem, ut diffinitio ita ſit intelligenda: ergo ſolutio ſine fundamento eſt.

Negatur ant. Ratio autem ea eſt: quia accidens ſolum dat eſſe ſecundum quid, & ſupponit eſſe ſimplicitè, & conſequenter ſupponit formam ſubſtantialem in ſubiecto, vel ipſum compoſitum ex materia, & ſubſtantiali forma unde in diffinitione accidentis neceſſario ſubintelligi debet ſubiectum prædictum.

Ad confirmationem reſpondetur: diſtinguend. maj. tanquam quid intrinſecum illi, conced. maj. tanquam quid extrinſecum, nego maj. & conceſſa min. negatur conſeq. Quia humanitas Chriſti Domini non eſt quid extrinſecum Verbo Divino, ſed quid intrinſecum ipſi, quod quidem trahitur ad eſſe ſubſtantiale Verbi, & conſtituit cum illo unum per ſe, & ita ex quo poſſit adeſſe, & abeſſe non infertur eſſe accidens, quia accidens poteſt abeſſe, & adeſſe ſubjecto tanquam quid extrinſecum ipſi, & non pertinentes ad eſſe ſimpliciter.

Tertia

Tertiò arguitur: quia esse mortuum est prædicatum accidentale respectu hominis; & tamen non potest adesse absque subiecti corruptione nam dum adest mors, corrumpitur homo: ergo diffinitio non convenit omni diffinito.

Sed facile respondetur: quod si esse mortuum summatur in fieri, sine subiecti corruptione adest, quia quando mors est in fieri adhuc non est corruptus homo, sed tunc incipit corrumpi; si vero esse mortuum summatur in facto esse non est prædicatum accidentale, sed est prædicatum repugnans, sicut calor ut octo est prædicatum repugnans aquæ, cum non possit cum illa compati, & ideò mirum non est, quod illi non competat diffinitio.

Secundo dicitur: quod in præsenti non intelligitur corruptio de Physica corruptione, nam plura accidentia non possunt ad esse, & ab esse absque Physica corruptione, sed intelligitur de corruptione Metaphysica accepta pro destructione essentiæ, sine qua omne accidens potest adesse, & ab esse, quatenus licet essentia Physice destruatur, & amittat existentiam: essentia tamen Metaphysica perseverat, nam sivè affirmes, sivè neges mortem de homine, nihil affirmas, vel negas, quod essentiam metaphysicam destruat.

Addimus: quod ad rationem accidentis sufficere posset, quod ab esset absque subiecti corruptione, quia non requiritur essentialiter utrumque, sed unum, vel alterum divisivè est de essentia accidentis, ut cum diffinitur propositio, quod sit oratio verum, vel falsum significans non intelligitur complexivè, sed solum divisivè, ita ut quælibet propositio verum significet, aut falsum.

Quarto arguitur: Nigredo est accidens respectu corvi: & tamen illi non convenit diffinitio, siquidem separari non potest à corvo absque corruptione illius, eo quod corvus naturaliter loquendo non potest non esse niger: ergo diffinitio non omni convenit diffinito.

Respondetur: quod quamvis nigredo non possit separari à corvo Physica, & reali separatione absque corruptione illius; potest tamen per intellectum separari, nam essentia corvi potest adæquatè Metaphysicè intelligi, non intellecta nigredine, quod sufficit ad rationem accidentis.

Sed contra est: quia diffinitio prædicta de separatione Physica, & reali intelligi debet: ergo solutio tradita nulla est: Probatur antecedens. Separatione intellectus, vèl per actum intellectus præscindentis, etiam proprium quarto modo potest

à

à subiecto separari : ergo diffinitio accidentis non de separatione per intellectum, sed separatione Physica, & reali intelligenda est.

Respondetur : negando antecedens, & ad probationem distinguo antecedens. Quantum ad existentiam, concedo antecedens. Quantum ad exigentiam, nego antecedens, & conseq. Quia propterium quarto modo licet quantum ad existentiam possit per intellectum à subiecto separari, non tamen potest quantum ad exigentiam, nam quamvis possit intelligi homo sine risibilitate, intelligi tamen non potest, quin intelligatur cum exigentia risibilis ; nigredo verò, & alia accidentia communia utroque modo possunt per intellectum à subiecto separari, quia corvus secundum essentialia prædicata non exigit esse nigrum, sed hoc illi ex conceptu individui, vel ex peculiari convenit complexione.

Ex dictis in artic. discursu colligitur accidens non comparari tanquam quintum prædicabile ad inferiora formæ, sed ad inferiora subjecti, quia de inferioribus ex parte formæ non prædicatur contingenter, sed solum de inferioribus ex parte subjecti, sicut album de hoc, & illo albo essentialiter prædicatur, sed de homine, & equo prædicatur contingenter, & ideò per modum quinti prædicabilis solum comparatur ad inferiora subjecti, non ad inferiora formæ.

Dices : accidens esse quintum prædicabile in ordine ad inferiora, à quibus abstrahitur abstractione totali ; sed ab inferioribus subiecti non abstrahitur abstractione totali ; sed abstractione formali, nam accidens non ut totum, sed ut forma comparatur ad subiectum : ergo non constituitur quintum prædicabile per ordinem ad inferiora subjecti.

Confirmatur : Album est quintum prædicabile per ordinem ad inferiora, à quibus abstrahitur, quatenus in albedine conveniunt ; sed inferiora quatenus in albedine conveniunt, non sunt homo, & equus secundum se, sed quatenus albedinem habent, aut quatenus sunt albi : ergo constituitur quintum prædicabile per ordinem ad inferiora formæ, & non per ordinem ad inferiora subiecti.

Respondetur ad instantiam, quod accidens in abstracto comparatur ad subiectum, sicut forma, quæ illi in hæret, aut in ipso recipitur ; accidens tamen in concreto comparatur ad hominem, & equum, sicut totum ad partes, in quas potest accidentaliter dividi, & ideò benè potest abstrahi ab illis abstractione totali.

Ad

Ad Confirmationem verò diſtinguo maj. conveniunt ſpecificativè, & exercitè, concedo maj. reduplicativè, & ſignatè, nego maj. & diſtinguo min. albi exercitè, concedo min. ſignatè, nego min. & conſeq. Quia album abſtrahitur ab inferioribus, quatenus in albedine conveniunt, non quidem ſignatè & reduplicativè, & quatenus albedinem in recto, expreſsè, & conſtitutivè importat, ſic enim eſſentialitèr prædicatur de illis dicendo totam eorum eſſentiam, quam inferiora prædicta explicant quatenus ſunt hoc, & illud album, & ſed potius abſtrahitur album ab inferioribus ſuis, quatenus in albedine conveniunt exercitè, aut ſecundum quod albedo ex parte illorum exercetur per modum conditionis ut album prædicetur accidentalitèr de illis; & eodem modo ad ea ut alba exercitè, & ſpecificativè comparatur, aut quatenus contingenter in albedine conveniunt, ſecundum quam rationem non ſunt inferiora formæ, ſed inferiora ſubſtracti, vèl inferiora ſubiecti, de quibus ſolum accidens contingentèr prædicatur. Quapropter in ratione quinti prædicabilis non comparatur accidens ad inferiora formæ, quæ ſunt hoc, & illud album, ſed potius ad hominem, & equum, in quibus exercetur albedo, & ſunt inferiora ſubjecti.

LI

LIBER QUINTUS.

DE PRÆDICATIONIBUS.

MATERIA hujus libri brevissima est, & ex alijs, quæ traduntur in Logica, constare poterat illius intelligentia, sed quia ad omnem prædicationem doctrina est generalis, non potest non esse utilis, & ideò ea, quæ necessaria notavimus, quamvis paucis observemus. Pro quo.

§. I.

Statuitur prima regula prædicandi.

EX his, quæ in dialectica traduntur sufficienter constat: nomen concretum, & abstractum in formali significato convenire sicut hæc nomina, homo, & humanitas eandem humanitatem, & album, & albedo albedinem eandem significant; differre tamen ex modo significandi, quatenus concretum significat formam, ut in subjecto, vel supposito subsistentem; abstractum verò formam absolutè significat, & per modum per se stantis; ex quo oritur, concreta supponere pro subjecto substentante formam; abstractum verò pro sola forma supponere.

Præmittendum insuper est: Prædicationem aliam esse directam, & alteram indirectam; directa prædicatio ea est, in qua superius prædicatur de inferiori, sicut in hac: homo est animal, vel forma dicitur de subjecto, sicut in illa homo est albus: In directa verò prædicatio est illa in qua inferius prędicatur de superiori, ut cum dicimus, animal est homo, vel subjectum de forma, ut in hac album est corpus: quæ quidem prædicatio indirecta dicitur, quia illud quod inferius est, & debebat habere

locum ſubiecti, habet locum prędicati, & propter rationem oppoſitam altera directa eſt.

Dividitur ulterius prædicatio in eſſentialem, & accidentalem, aut denominativam, quarum prima eſt, in qua prædicatum eſt de eſſentia ſubiecti, ut in hac homo eſt animal; ſecunda verò eſt, in qua prædicatum eſt accidens ſubiecti, vèl extra eſſentiam illius, ut homo eſt albus.

Rursùs: prædicatio dividitur in identicam, formalem, & diſparatam: prima eſt, in qua idem de ſe ipſo prædicatur, vèl per idem nomen, ut cum dicitur, homo eſt homo, vèl per nomen diverſum, ut cum dicitur, petra eſt lapis, aut Marcus eſt Cicero: formalis vero eſt, in qua prædicatum eſt diſtinctum à ſubiecto formalitèr, ſicut in hac; homo eſt Logicus, vel albus. Et tandem diſparata prædicatio eſt illa, in qua prædicatum ſubiecto repugnat, ut in hac equus eſt leo. Quibus prælibatis de generali doctrina.

Prima regula prædicandi eſt: quod prædicatio affirmativa concreti de concreto eſt vera abſolutè, & ſimplicitèr, ſicut iſtæ: homo eſt albus, ut homo eſt coloratus, cujus ratio facilis eſt, quia videlicèt in his prędicatum, & ſubiectum ſupponunt pro eodem, & conſequenter propoſitio abſolutè, & ſimplicitèr vera eſt, nam ad hoc non aliud requiritur, quam quod extręma pro eodem ſupponant.

§. II.

Statuitur ſecunda regula.

SEcunda regula prædicandi eſt, quod concreta Phyſica non poſſunt prædicari de abſtractis, nec abſtracta Phyſica de concretis; nam ut propoſitio vera ſit, debent extrema ſupponere pro eodem; in his vero pro eodem non ſupponunt, ſiquidem concretum ſupponit pro ſuppoſito, aut ſubiecto; abſtractum verò pro ſola forma ſupponit.

Hoc etiam conſtat aliundè ex eo videlicèt, quod pars Phyſica non poteſt prædicari de toto, nec totum de parte Phyſica, ſicut *3. p. q. 2. art. 2. & in 1. q. 3. art. 3.* docet Ang. Doct. Undè iſtæ ſunt falſæ propoſitiones homo eſt humanitas, aut humanitas eſt homo: albedo eſt album, aut album eſt albedo.

Dices contra regulam prædictam: hanc propoſitionem, homo eſt humanitas, eſſe veram quia homo, & humanitas identificantur realitèr, ac proinde pro eodem ſupponunt, & tamen abſtractum Phyſicum prędicatur in ea de concreto Phyſico: ergo regula univerſaliter vera non eſt.

Con-

Confirmatur : Quia hæc eſt vera: Deus eſt Deitas ; & tamen eſt abſtracti de concreto: ergo idem.

Reſpondetur: Hominem, & humanitatem non identificari realitèr adæquatè, quia humanitas tantum ſupponit pro forma; homo verò ſupponit pro ſuppoſito humanitatem habente: ſuppoſitum verò ratione ſubſiſtentiæ, per quam conſtituitur, realitèr ab humanitate diſtinguitur, unde extrema pro eodem non ſupponunt, nec eſt ſimile de Deo, & Deitate, quia in Divinis omnia prædicata abſoluta identificantur realitèr, adæquatè, nec unum ſupra aliud addit aliquid entitative diſtinctum, qualitèr concretum aliquid realitèr entitativè ab abſtracto diſtinctum ſuperadit in creatis.

Dices : album verè prædicari de homine, ut cum dicimus homo eſt albus; & tamen non identificatur realitèr adæquatè cum illo, ſiquidem ſuperadit albedinem realitèr diſtinctam ab homine. Et in hac prædicatione, Deus eſt homo, prædicatum non identificatur adæquatè cum ſubiecto eo quod homo humanitatem importat realitèr à Deo diſtinctam : ergo carentia adæquatè identitatis non impedit illam prædicationem, homo eſt humanitas, eſſe veram.

Reſpondetur : Quod ut propoſitio verâ ſit, ſatis eſt, quod extrema ſupponat pro eodem in recto, qualitèr contingit in his, homo eſt albus, Deus eſt homo; nam album in recto ſupponit pro corpore, vel ſubiecto ab nomine non diſtincto; albedinem verò ſolum dicit in obliquo, & ut formam ſubſtentatam, & homo in recto ſupponit pro ſubſiſtente in humana natura, quod quidem in Chriſto non eſt diſtinctum realitèr a ſuppoſito Divino, licèt humanitas, quam importat in obliquo ſit realitèr à Deo diſtincta : In hac autem, homo eſt humanitas, ſubiectum ſupponit in recto pro ſuppoſito tantum habente humanitatem, & hoc ſuppoſitum realitèr ab humanitate diſtinguitur.

Secundo inſtabis hanc propoſitionem eſſe veram, Petrus eſt animal; & tamen ſubjectum pro recto diſtinguitur realitèr a prædicato pro recto, ſiquidem prædicatum includit plura quam Petrus, & è contra : Petrus eſt homo; & tamen ſubiectum pro recto includit aliquid, quod non continet prædicatum; ſiquidem Petrus ultra naturam humanam ſuperaddit differentiam individualem: ergo quamvis concreta, & abſtracta non ſupponant pro eodem, poterunt benè ad invicem prædicari.

Reſpondetur tamen facile: quod in hac : Petrus eſt animal,

res, quæ prædicatur, est animal identificatum cum Petro, & in hac Petrus est homo, prædicatum est homo identificatus cum Petro, & animal identificatum cum Petro non continet plura quam Petrus, nec homo cum Petro identificatus minus continet quam Petrus, sed potius realiter habet ipsam differentiam individualem Petri, quamvis non explicet illam, & ideò propositiones veræ sunt, & pro eodem in recto realiter adæquatè supponunt; non enim in his propositionibus summuntur prædicata præcisivè, sed realiter accipiuntur: undè quamvis homo præcisivè differentiam individualem non involvat, illam tamen dicit, quatenus in propositione prædicta de subiecto prædicatur.

Instabis tertio: Veras esse sequentes propositiones: humanitas est sancta, superficies est alba: albedo est similis: quantitas est quanta; & tamen concreta prædicantur de abstractis: ergo regula traddita non est universaliter vera.

Respondetur: In his omnibus propositionibus non summi prædicatum in rigore concreti, alias essent falsæ prædictæ propositiones, quia sanctum concretivè supponit pro supposito habente sanctitatem, & album pro supposito habente albedinem; & idem de alijs; humanitas verò non supponit pro supposito habente sanctitatem, nec superficies pro supposito habente albedinem sicut nec albedo pro supposito habente similitudinem, nec quantitas pro supposito subsistente quantitatem: non ergo summitur prædicatum in rigore concreti, sed dumtaxat accipitur pro effectu formali specialis formæ adiectivè, ideſt pro effectu sanctitatis, & pro effectu albedinis, similitudinis, & quantitatis, qui verè abstracto conveniunt. Undè in his propositionibus prædicatur effectus formalis de abstracto recipiente, cui verè convenit effectus prædictus, & idem est ac dicere, humanitatem habere effectum santitatis, & albedinem effectum similitudinis; & idem dicendum de alijs, consequenterque nunquam est verum concretum propriè, & in rigore sumptum prædicari de abstracto.

Secundo respondetur: Concretum de proprio abstracto nunquam verè prædicari, quia abstractum proprium supponit pro ipsa forma concreti, pro qua quidem concretum non supponit, sed pro habente talem formam, & ita non supponunt pro eodem; de abstracto tamen non proprio posse prædicari concretum, quia abstractum non proprium non supponit pro ipsa forma concreti, sed pro alia forma distincta, quæ comparativè ad for-

formam concreti ſubiectum eſt, & ideò tale abſtractu eſt ipſum ſubiectum, pro quo concretum ſupponit, & ſic continuit in his: albedo eſt ſimilis: humanitas eſt ſancta, ſuperficies eſt alba: in quibus ipſa forma, quæ eſt ſubiectum: importatur etiam pro ſubiecto formæ ex parte prædicari nam in hac: humanitas eſt ſancta, ipſa humanitas eſt ſubiectum, in quo eſt forma prædicati, propterea que prædicatum pro eodem ſupponit, pro quo ſupponit ſubjectum. Si tamen de abſtracto proprio prædicaretur concretum, propoſitio eſſet falſa propter rationem datam in principio ſolutionis, & ob eam iſtæ ſunt falſæ: ſanctitas eſt ſanctum: ſimilitudo eſt ſimile: albedo eſt alba.

De quantitate verò ratio diverſa eſt: quia in hac propoſitione: quantitas eſt quanta, ly *quanta* idem eſt quod extenſa, & cum proprium ſit quantitas habere efectum formalem, quem præſtat, propterea verè dicitur de quantitate, quod ſit quanta; non tamen prædicatum ſummitur in rigore concreti, ut in prima ſolutione notavimus.

Ex ſecunda ſolutione prædicta habes, quod quando una intentio denominatur ab alia, poteſt intentio denominans in concreto de altera in abſtracto prædicari, & ideo iſtæ ſunt veræ: genereitas eſt ſpecies: ſpecieitas eſt ſpecies; nam genereitas in ordine ad hanc, & illam genereitatem verè ſubinduit intentionem ſpeciei. Et ratio ſupra eſt aſsignata, quia intentio denominata non ſupponit pro intentione denominante, ſed ſupponit pro ſe ipſa; & cum intentio denominans in concreto ſupponat pro ſuo ſubiecto, & ſubiectum illius ſit ipſa intentio denominata, indè fit, extrema ſupponere pro eodem; proindeque veras eſſe propoſitiones prædictas.

Et ſi dicas: in hac propoſitione: Specieitas eſt ſpecies, prædicatum non ſupponere pro forma, qua conſtituitur pro intentione videlicèt ſpeciei, cum concretum non ſupponat pro ſua forma, ſed ſubſtractum ſupponit pro ipſa intentione ſpeciei: ergo non ſupponunt pro eodem, & conſequenter propoſitio vera non erit.

Reſpondetur diſting. min. pro ipſa intentione ſpecie denominata, concedo min. pro intentione denominante, nego minor, & conſeq. Quia quando ſpecieitas denominatur ſpecies, datur duplex intentio ſpeciei: altera quidem denominans conſtitutiva prædicati, & pro qua non ſupponit prædicatum: altera quidem denominata, quæ eſt ſubjectum intentionis denominantis, pro qua prædicatum ſupponit, & cum pro hac etiam ſupponat ſubjectum, eo quod

ſubiectum eſt ipſa intentio denominata, indè fit, prædicatum, & ſubiectum ſupponere pro eodem, & veram eſſe propoſitionem prædictam.

§. II.

Statuitur tertia regula prædicandi.

TErtia regula prædicandi eſt: quod abſtracta generica verè prædicantur de ſpecificis, & differentialibus, & differentialia de ſpecificis: unde iſtę ſunt verę: ſcientia eſt habitus: color eſt qualitas; albedo eſt color: humanitas eſt rationalitas: & humanitas eſt animalitas, & rationalitas eſt animalitas; quia humanitas animalitas, & rationalitas ſunt prædicata identificata realitèr, & conſequenter in his omnibus propoſitionibus extrema ſupponunt pro eodem, ſicut, & in hac: juſtitia eſt miſericordia, & conſequentèr ſunt veræ propoſitiones prædictæ.

Dices: Animalitatem, & rationalitatem, quamvis non realitèr, eſſe tamen ratione diſtincta prædicata; ſed hęc diſtinctio ſignificatur per ipſa nomina abſtracta: ergo propoſitiones prędictæ non poſſunt veritatem habere.

Sed contrà eſt: quia diſtinctio per rationem non ſignificatur per nomina, niſi fiat aliqua reduplicatio: undè quamvis juſtitia, & miſericordia diſtinguantur per rationem, hæc tamen propoſitio: juſtitia Divina eſt miſericordia abſolutè vera eſt; quia in ea nulla fit reduplicatio, ſecus contingeret, ſi reduplicatio fieret, ut in hac: juſtitia in quantum juſtitia eſt miſericordia, quæ eſt falſa propoſitio propter reduplicationem ſuperadditam; ſed in his rationalitas eſt animalitas, animalitas eſt rationalitas nulla fit reduplicatio: ergo abſolutè ſunt verè propoſitiones.

Dices ſecundo: Nomina abſtracta involvere ſenſum præciſivum, & conſequenter importare diſtinctionem formalem inter ſua ſignificata, propterea que non poſſe ad invicem prædicari.

Sed contra eſt: Quod præciſio ſolum impedit veritatem propoſitionis, quando ſignatè importatur, ut in hac: rationalitas in quantum rationalitas eſt animalitas: vèl rationale quatenus rationale eſt animal; non tamen impedit veritatem propoſitionis præciſio, dum tantum importatur exercitè; ſed in his rationalitas eſt animalitas, præciſio non importatur ſignatè, nec exprimitur per nomina ipſa, ſed ſolum exercitè ſe habet, & ex parte intellectus concipientis utrumque prædicatum, videlicet, & ſubiectum: ergo non tollit

lit ; veras esse propositiones.

Dices: Si hæc esset vera: humanitas est animalitas, etiam esset vera ista: id, quo homo est homo, est animalitas, nam id, quo homo est homo est humanitas, & humanitas, & animalitas idem sunt ; sed secunda est falsa : ergo etiam prima falsa erit.

Respondetur negando sequelam, quia arguitur ab identica ad formalem ; eo quod in hac: humanitas est animalitas, utrumque specificativè summitur, & in hac : id, quo homo est homo est animalitas reduplicatur forma constitutiva hominis in esse talis, quæ est humanitas, ut per rationem ab animalitate distincta, & ideò illa propositio vera non est ; sicut non valet : homo est albus : ergo id, quo homo est homo, est ratio albi.

Dices alitèr : partem non posse prædicari de toto, & animalitatem esse partem humanitatis, ac proinde non posse de illa prædicari, & maximè, cum prædicatum continere debeat, quid quid continet subiectum, & pars continere non possit, quidquid continet totum.

Et confirmabis : quia differentia solum prædicatur in quale ; rationalitas autem non prædicatur in quale, quia non significatur adjectivè per modum formæ alterum determinantis; sed exprimitur tantum nomine substantivo : ergo rationalitas de humanitate prædicari non potest. Ex quo etiam fieret, quod abstractum specificum esset species completa, siquidem genus, & differentia prædicarentur de illo, simul rationalitas, & animalitas de humanitate dicerentur.

Sed hęc facilla sunt, & ad primum dicimus : partem Metaphysicam non esse realitèr distinctam à toto, sicut partem Physicam, & ita posse prędicari de illo, quia realitèr sumpta continet, quidquid est in toto realiter.

Ad confirmationem verò respondetur : Differentiam in abstracto non prędicari in quale, verè tamen prędicari, & si non quoad modum differentię ; sicut in hac : homo est animatus : genus quoad modum non prędicatur in quid, sed potius in quale ; & tamen prędicatum genericum verè prędicatur, & si non modo generico. Ex quo etiam habetur : humanitatem in abstracto non esse speciem completam, quia non prædicantur de ea genus, & differentia in concreto, & ut habentia esse ut quod.

Dices : ergo genus, & differentia non possunt in concreto de humanitate prędicari ; ergo hæc est falsa : humanitas est animal, & humanitas est rationalis, quod tamen ita non est, quia hu-

manitas rationalitate conſtituitur, & ita verè rationalis eſt.

Sed reſpondetur: Animal, & rationale in concreto realitèr ab humanitate diſtingui, quia prout ſic ſupponunt pro habente, vel ſuppoſito, quod realitèr ab humanitate diſtinguitur: unde de ea in abſtracto prædicari non poſſunt; nec dum dicitur humanitas eſt rationalis ſummitur prædicatum verè in concreto, ſed ſolum pro effectu rationalis modo explicato ſuperius.

Ex his habes: inter concreta ſecundæ Intentionis poſſe unum de altero prædicari, ut in his, genus eſt univerſale: ſpecies eſt prędicabile: hæc ſpecies eſt ſpecies, & etiam talia concreta poſſe prædicari de concretis primæ intentionis, ut in his animal eſt genus: homo eſt ſpecies; eo quod in omnibus his extrema ſupponunt pro eodem. Secundam verò intentionem in abſtracto non poſſe de altera in concreto prædicari, ſicut in his: genus eſt univerſalitas; ſpecies eſt ſpecieitas, propter rationem oppoſitam.

Habes etiam in formis tranſcendentibus, & generalibus poſſe concretum de abſtracto prædicari, & abſtractum de concreto, & ita veras eſſe propoſitiones ſequentes: unitas eſt una: unum eſt unitas: bonum eſt bonitas: & bonitas eſt bonum: ens eſt entitas. & entitas eſt ens: & rationem eſſe, quia omnia abſtracta, & concreta prædicta identificatur realitèr, & pro eodem ſupponunt.

LI-

LIBER SEXTUS:

DE ANTE PRÆDICAMENTIS, & in eo quæstio prima.

ARTIC. I.

Utrùm univoca, æquivoca, & denominativa rectè diffiniantur?

§. I.

Univocorum traditur diffinitio.

UNivoca, æquivoca, & denominativæ, alia sunt significativè talia, quæ dicuntur univoca univocantia, & æquivoca æquivocantia, & denominativa denominantia, qualis sunt voces significativæ rerum quæ univocè, vèl æquivocè conveniunt, aut denominativè dicuntur, de quibus in præsenti sermo non est, cum de his pertineat ad dialecticum disputare: alia sunt univoca univocata, & æquivoca æquivocata, & denominativa denominata, objecta, videlicèt à per voces significata, quæ sola sunt instituti præsentis.

In hoc igitur sensu univoca diffiniuntur: *Quorum nomen est commune ratio verò substantiæ nomini accomodata est eadem*: sicut homo, & equus significantur per nomen animalis, quod est utrique commune, ratio verò animalis significata per nomen eadem est in homine, & equo.

Ex quo constat, in prædicta diffinitione, & in alijs, quæ sequuntur, ly ratio substantiæ non significare substantiam ut ab accidenti distinctam, sed significare naturam, vèl quidditatem rei, quæ significatur per nomen. Unde ratio viventis sensibilis significata per hoc nomen animal dicitur ratio substantiæ nomini accomodata, id est significata per nomen.

§. II.

Æquivocorum diffinitio traditur.

ÆQuivoca diffiniuntur; *quorum nomen eſt commune, ratio verò ſubſtantiæ nomini accomodata eſt diverſa*; ſicut homo vivus, & pictus ſignificantur per hoc nomen *homo*, ratio vero hominis ſignificata per nomen eſt diverſa, eo quod homo vivus eſt verè homo; pictus vero eſt homo ſecundum quid, & ſimilitudinarie, quatenus hominem repræſentat, in qua tamen diffinitione etiam comprehenduntur analoga; ſi tamen velimus ipſa diffiniri ut ab analogis diſtincta, ita diffinienda ſunt: *quorum nomen eſt commune, ratio vero ſignificata per nomen eſt omnino diverſa.* Quæ diffinitio conſtat genere, & differentia, nam illa particula quorum nomen eſt commune gerit vicem generis, eo quod in hoc univoca æquivoca, & analoga conveniunt; alia autem particula omnino diverſa ponitur loco differentiæ, quia ratio ſignificata per nomen in univocis eſt omninò eadem; in analogis verò eſt partim eadem, & partim diverſa, & omnino diverſa non eſt.

Dices: Æquivoca diffiniri non poſſe, quia quidquid diffinitur eſt unum, eo quod diffinitio unam explicat quidditatem; æquivoca vero ſunt omnino diverſa.

Reſpondetur: Æquivoca in particulari, aut exercitè diffiniri non poſſe, ſicut canis terreſtris, celeſtis, & marinus non poſſunt diffiniri, ut ſignificantur nomine *Canis*, quia dicunt rationes omnino diverſas; ſi tamen æquivoca ſignatè, & in comuni conſideretur, & quatenus in ratione æquivoci omnia æquivoca conveniunt, bene diffiniri poſſunt, nam ut ſic in una ratione conveniunt.

Dices: ergo non diffiniuntur ut æquivoca, ſed potius ut unica; & univocè convenientia in ratione æquivoci, conſequenterque diffinitio non benè traditur.

Reſpondetur: diſtinguendo conſeq. Ut univoca accidentaliter, & denominativè, concedo conſeq. Ut univoca formaliter, nego conſeq. Quia in præſenti diffinitione diffiniuntur æquivoca eſſentialitèr talia v. g. Canis cœleſtis, terreſtris, & marinus, ut ſunt omnino diverſi, & ſignificantur peculiari nomine *Canis*, & eodem modo omnia alia æquivoca ſub eadem diffinitione comprehenduntur, quamvis hæc omnia accidentaliter denominentur univoca, quatenus in ipſa ratione æquivoci univocè conveniunt, ſed ut ſic accidentaliter denominata non diffiniuntur per diffinitionem, quã

de

dedimus, sed solum quatenus essentialiter æquivoca sunt.

§. III.

Denominativorum traditur diffinitio.

DEnominativa autem diffiniuntur *qua ab aliquo nominis appellationem accipiunt solo differentiæ casu*: sicut album ab albedine, & à pulchritudine pulchrum, in qua diffinitione illa particula solo differentiæ casu denotat, denominativa, & illud, à quo denominationem habent debere distingui in sola terminatione finali, & in litteris innitialibus convenire, quod totum in exemplo albi, & albedinis constat.

Pro majori intelligentia notamus: denominativum tria importare, videlicet formam denominantem, & subjectum denominantem, & ipsum denominativum adæquatè consideratum, sicut in albo forma denominans est albedo, & corpus est subjectum denominatum, & concretum, quod subiectum denominatum, & ipsam formam includit, denominativum dicitur.

Notamus etiam: Nos in præsenti loqui denominativis secundum nomen, & rem, quæ videlicèt; conveniunt in litteris innitialibus, & significant eandem rem pro formali. Quapropter studiosus respectu virtutis non est propriè denominativum, eo quod quamvis eandem rem significent, in litteris tamen innitialibus non conveniunt, nec studiosus respectu studij propriè denominativum est, quia quamvis in litteris innitialibus conveniant, rem tamen diversam significant.

Tandem præmonemus. Formam denominantem debere esse extra essentiam rei denominatæ, & accidentalem illi, qua ratione quamvis homo, & corpus denominationem accipiant ab humanitate, & corporeitate verè tamen denominativa non sunt, quia humanitas non accidit homini, nec corporeitas extra essentiam corporis est; sufficit tamen formam esse accidentalem prædicabiliter, nam aureum dictum de anullo est denominativum, eo quod licet aureum sit substantia, non tamen illa de essentia anulli est, sed extra illius essentiam.

Et si contra diffinitionem instes: denominativa esse univoca, siquidem album denominativum est, & tamen est univocum ad sua inferiora: ergo male diffiniuntur diffinitione distincta.

Respondetur: denominativa esse univoca materialiter quidem, sed non formaliter, quia quamvis idem prædicatum sit uni-

univocum, & determinativum simul, diversi tamen formalitèr est ratio utriusque, nam univocum est in ordine ad inferiora; denominativum verò attenditur per ordinem ad formam denominantem.

ARTIC. II.

Utrùm regulæ prædicamentales sint veræ, & divisiones bonæ?

§. I

Divisiones explicantur.

UT ostenderet Arist. res ad prædicamenta spectantes rerum divisiones designavit, quarum prima est: *Quod eorum quæ dicuntur, quædam cum complexione dicuntur, alia sine complexione*: cum complexione quidem ut homo albus; sine illa sicut homo; quod, & fecit Philosoph. ut res complexas excluderet à prædicamento; possunt namque pertinere ad diversa prædicamenta, sicut in homine albo homo pertinet ad prædicamentum substantiæ, albedo verò ad prædicamentum accidentis; & insuper pertinentia ad prædicamentum subordinantur unico conceptui, cum sint omnino una; complexa autem duplici conceptui subordinantur.

Rursùs cum prædicata, quę pertinent ad prædicamenta, alia sint superiora, & inferiora alia necessariam indicavit Arist. notitiam eorum: quæ de subiecto non dicuntur, & eorum, quæ dicuntur de subiecto: pro quo statuit sequentem divisionem.

Eorum, quæ sunt, alia de subiecto dicuntur, in subiecto vero non sunt. Sicut homo: *Alia in subiecto sunt, de subiecto vero non dicuntur*: Sicut hoc album: *Alia de subiecto dicuntur, & in ipso sunt*: ut album: *Alia nec in subiecto sunt, nec de subiecto dicuntur*: Sicut Petrus.

Prædicta autem regula sic intelligenda est, quod videlicet aliqua prædicantur de subiecto ut superius de inferiori, ut in his Petrus est animal: Petrus est homo, in subjecto verò non sunt inhæsivè, quia illi non inhærent, qualitèr esse in subiecto intelligitur in præsenti: alia autem in subiecto sunt inhæsivè, & de illo per modum superioris non dicuntur, ut hoc album, & alia accidentia singularia, quæ verè inferiora non habent: nec ut superiora comparantur ad subjectum cui inhærent.

Alia etiam, & in subiecto sunt inhæsivè, & de illo per modum superioris dicuntur, sicut album, Logicum, & alia quæ inhærent subjectis, & per modum superioris, & quarti, vel quinti prædicabilis comparantur ad illa.

Alia

Alia denique, nec ſubjecto ſunt inhæſivè, nec de ſubjecto dicuntur per modum ſuperioris, ſicut individua ſubſtantiæ, v. gr. Petrus, & Paulus, qui nulli ſubjecto in hærent, & de nullo per modum ſuperioris prædicantur.

§. II.

Regulæ deſignantur.

DUÆ ſunt regulæ ante prædicamentales, quarum prima eſt; *Cum quidpiam de quopiam ut de ſubjecto prædicatur, quæ dicuntur de prædicato, dicuntur etiam de ſubjecto.* Quæ tamen intelligenda eſt de illis, quæ de prædicato dicuntur quidditativè, ſicut quia animal eſſentialitèr prædicatur de homine, & homo de Petro, etiam animal eſſentialitèr de Petro prædicatur: nam hæc regula ſtatuta eſt, ut cognoſcantur ea, quæ directè in prædicamento collocantur, quæ tantum ſunt illa, quæ de ſuis inferioribus quidditativè dicuntur, quæ propterea non extenditur ad prædicata Divina, quæ quidem in prædicamento non ponuntur; ſed ſi nam velimus extendere, id poſſumus abſque ullo inconvenienti, dummodò non varietur appellatio, qualiter variatur in ſyllogiſmo præſenti: Deus eſt Pater: Filius eſt Deus: ergo Filius eſt Pater; quia arguitur in eo ab identicâ ad formalem, eo quod pater, & Filius formaliter ratione diſtinguuntur à Deitate, & ita ex identitate reali cum illa non infertur eſſe eadem inter ſe, nec unum alteri eſſentialitèr convenire.

Dices: de rationali eſſentialiter prædicari eſſe ſubſtantiam incompletam, & rationale eſſentialitèr etiam prædicari de Petro, de quo tamen ſubſtantia incompleta eſſentialitèr non prædicatur: ergo non in omnis prædicatis quidditativis regula tenet.

Reſpondetur: quod cum regula ſtatuta ſit ad cognoſcendum ea, quæ directè in prædicamento collocantur, ſolum intelligitur de illis, quæ prædicantur in quid, non verò de his quæ prædicantur in quale, cujus modi eſt differentia, quæ in recta linea prædicamenti non ponitur.

Ex his habes: ea, quæ accidentalitèr dicuntur de prædicato non debere neceſſario accidentalitèr prædicari de ſubjecto, ſicut non bene valet: homo eſt animal: animal currit: ergo homo currit: nec iſta: homo eſt animal; animal eſt genus: ergo homo eſt genus. Ex quo conſtat ſequentem ſyllogiſmum: homo eſt albus eſt diſgregativum viſus: ergo homo eſt diſgregativus viſus: non tenere in vi hujus regulæ, ſed quia minor eſt indefinita in materia naturali, & ita æquivalet univerſali, omne

ala

album eſt diſgregativum viſus. Ex qua cum altera, homo eſt albus, converſa ſimpliciter in iſtam album eſt homo, & poſita pro majori, reſultat hic ſyllogiſmus in *diſamis*: album eſt homo; omne album eſt diſgregativum viſus: ergo homo diſgregativus viſus, & quatenus hic ſyllogiſmus virtualiter continetur in priori, propterea prior ſyllogiſmus virtualiter in *diſamis*, & ideò bonus eſt, non tamen in vi regulæ prædictæ.

§. III.

Aſſignantur ſecunda regula.

SEcunda regula ante prædicamentalis eſt, *quod diverſa genera ſubalternatim non poſita debent habere diverſas ſpecificè differentias.* Sicut quia animal, & plantę ſunt genera diverſa; & unum ſub altero non ponitur, habent differentias ſpecificè diverſas, quia unum quodque illorum conſtituitur per eſſentialem differentiam diſtinctam, & differentia conſtitutiva plantæ, nec mediatè poteſt eſſe differentia contractiva animalis, ſiquidem planta ſub animali non ponitur, quod erat neceſſarium, ut differentia contractiva plantæ mediatè contraheret rationem animalis.

Et ſi dicas: animal terreſtre, & volucre eſſe genera non ſubalternatim poſita, ſiquidem unum ſub alio non continetur, & tamen habere eaſdem differentias, videlicet vipes, & quadrupleseo quod aves, quæ dicuntur Gryphi, etiam habent quatuor pedes: ergo regula univerſaliter vera non eſt.

Reſpondet Lerma cum alijs: quod licèt inter genera aſſignata unum non collocetur ſub alio: ambo tamen ponuntur ſub uno tertio, & ita poſſunt habere eaſdem differentias.

Sed contra eſt: quia differentia contractiva unius generis in tantum poteſt eſſe alterius contractiva ſaltim mediatè, in quantum unum ſubaltero continetur, & ideò quod contrahit unum, mediatè contrahit alterum; ſed ex prædictis generibus unum ſub altero non continetur ergo non poſſunt eaſdem etiam mediatè habere differentias. Quapropter aliter.

Reſpondetur: Genera non ſubalternatim poſita numquam poſſe habere eaſdem eſſentiales differentias; poſſe tamen habere eaſdem differentias accidentales, qualiter vipes, & quadrupes ſunt differentiæ accidentales animalis volucris, & terreſtris.

QUÆST. II.

De Analogis.

ARTICULUS I.

Vtrùm diffinitiones analogorum rectè traddantur.

§. I.

Assignatur Analogorum divisio.

ANalogia nõmen græcum est, quod idem significat, atque inter Latinos proportio, vel aliqualis convenientia, & ideò aliquam rationem esse analogam, aut analogicè de pluribus prædicari nihil aliud est, quam prædicari de illis modo proportionali, seu quatenus habent aliqualem convenientiam; unde ratio analoga non est omnino una, sicut ratio univoca, nec omninò diversa, sicut æquivoca, sed partim eadem, & partim diversa est. Propterea que diffinitur analoga: *Quorum nomen est commune, ratio verò per nomen significata est partim eadem, & partim diversa.* Ex quibus, per habere nomen commune, conveniunt cum univocis, & æquivocis, & per aliam particulam distinguuntur ab eis, quod majori explicatione non indiget.

Alia autem sunt analoga Physica, & alia Logica: Physica sunt illa: quorum nomen est commune, ratio verò significata per nomen est omnino eadem, & inæqualitèr tamen participata, sicut ratio animalis est eadem omninò in homine, & equo, sed nobiliori modo participatur ab homine, in qno determinatur per nobiliorem differentiam: quæ quidem analoga Physicè dicuntur analoga; non tamen Logicè, quia ratio communis ab inferioribus præcissa, qualitèr considerata à Logico est omnino eadem, & nullam importat diversitatem; & propterea analoga Physica ad considerationem Logicam, quatenus talia non pertinent, sed Logicè dicuntur univoca. Ex quo.

Analoga Logica sunt illa: quæ supra diffinita manent, in quibus non solum reperitur inæqualitas differentiarum contrahentium, & rationis communis ut contractæ, sed etiam ipsa ratio communis ut præcissa non est eadem omnino, & simplicitèr, sed partim una, & partim diversa est.

Hæc autem analoga Logica dividuntur in analoga attributionis, & analoga proportionalitatis, quæ sequuntur.

§. II.

§. II.

Explicatur diffinitio analogorum attributionis.

AD analoga in particulari venientes, primo diffinienda sunt analoga attributionis, & eorum talis est diffinitio: *Quorum nomen est commune, ratio verò significata per nomen est eadem secundum terminum, diversa verò secundum habitudinem ad ipsum.* Sicut sanum est analogum analogia attributionis ad animal, urinam, & medicinam, & ratio analoga videlicet sanitas est eadem secundum terminum, quatenus animal urina, & medicina dicuntur sana ab eodem sanitate, sed diverso modo sanitatem respiciunt, eo quod animal est proprium subiectum sanitatis in quo sanitas intrinsecè reperitur; medicina verò respicit sanitatem, quatenus causa est sanitatis; urina verò, quatenus sanitatem significat; unde animal est analogatum principale; alia verò minus principalia sunt, & extrinsecè dicuntur sana à sanitate animalis, quam medicina causat, & urina significat.

Constat autem diffinitionem traditam esse bonam, *& illam particulam, quorum nomen est commune* poni loco generis, & alteram ratio eadem secundum terminum, poni loco differentiæ; nam in hoc distinguuntur ab æquivocis, in quibus ratio significata non est eadem, & ab analogis proportionalitatis, in quibus etiam ratio significata non est eadem, sed realitèr multiplicatur in illis; & ab univocis, in quibus ratio significata intrinsecè reperitur in omnibus, & adhuc secundum habitudinem ad terminum diversa non est.

Dices: Sanum est analogum attributioni; & tamen non importat rationem eandem secundum terminum: ergo diffinitio non omni convenit diffinito. Probatur min. Sanum importat habitudinem urinæ, & medicinæ ad sanitatem animalis; sed habitudo ista diversa est in urina, & medicina: ergo sanitas non importat rationem eandem secundum terminum.

Respondetur: negando min. & ad probationem negatur maj. Quia habitudo urinæ, & medicinæ significatur per hoc nomen, respiciens sanitatem, qui respectus fundamentum est, urina, & medicina denominentur sana; sed hoc nomen sanum tantum significat sanitatem, quæ intrinsecè reperitur in animali, & in alijs extrinsecè: undè nomen sanum eandem rationem significat.

Et si dicas: Sanum significare

care ſanitatem urinæ, & medicinæ; ſed urina eatenus ſana eſt, quatenus ſignificat ſanitatem: ergo ſanum ſignificat ipſam habitudinem urinæ, & medicinæ ad ſanitatem animalis.

Reſpondetur: quod urina eſt ſana formaliter, in quantum extrinſecè denominatur ſana a ſanitate animalis, & in quantum ſignificat ſanitatem ſolum eſt fundamentaliter ſana; ſed hoc fundamentum, vel reſpectus non ſignificatur per terminum.

§. III.

Proprietates aſſignantur.

ANaloga prædicta ſuas habent proprietates, quarum prima eſt: quod ratio ſignificata per nomen intrinſecè reperitur in analogato principali, & in alijs ſolum extinſecè, ſicut ſanitas extrinſecè reperitur in urina, & medicina, & intrinſecè ſolum in animali invenitur.

Secunda eſt: quod ratio ſignificata per nomen eſt eadem numericè, aut eadem ſecundum terminum. Et tertia: quod in diffinitione minus principalis analogati ingrediatur principale; undè ſi diffiniatur urina, debet diffiniri per eſſe ſignum ſanitatis animalis.

Tales verò proprietates ex

Mag. Frogian.

diffinitione colliguntur; quia ſi ratio ſignificata eſt eadem ſecundum terminum, vèl numericè, non poteſt eſſe intrinſeca niſi in uno alias numero multiplicaretur, & ſi eſt intrinſeca in uno, & eadem numero, erit eadem ſecundum terminum; & tandem ſi tantum eſt intrinſeca in uno, à quo alia denominentur, non poterunt alia diffiniri niſi per ordinem ad ipſum; proindeque ingredietur neceſſariò diffinitionem aliorum.

Sed inſtabis: ens eſſe analogum attributionis ad Deum, & creaturas, ad ſubſtantiam, & accidens; & tamen ratio entis intrinſecè reperitur in Deo, & in creatura, in ſubſtantia, & accidenti: ergo prima proprietas non convenit omni analogo attributionis.

Reſpondetur: Ens ad Deum, & creaturas; ad ſubſtantiam, & accidens habere utramque analogiam, proportionalitatis, videlicèt, & attributionis; & ſecundum quod analogum proportionalitatis intrinſecè in omnibus reperiri; ſecundum aliam verò analogiam ſolum intrinſecè reperiri in principali analogato, & in alijs tantum extrinſecè: undè accidens quatenus analogatum attributionis ſolum denominatur extrinſecè ens ab entitate ſubſtantiæ, cui comparatum, quaſi non ens reputatur; & creatura denomi-

natura extrinsecè ens ab entitate Dei increata, quatenus comparata ad illam se habet quasi in se non esset ens, juxta illud Isaiæ: *Omnes gentes quasi nihil sint, si sunt coram eo, & quasi nihil, & inane reputatæ sunt ei.* Secundum quam doctrinam 1. p. q. 8. art. 4. asserit D. Thom. omnia esse propria bona bonitate, & etiam bonitate Divina.

Sed instabis: Creatura est analogum attributionis, quatenus est effectus Dei; sed ut effectus Dei est intrinsecè ens, nam esse effectum Dei, est habere entitatem intrinsecè participatam à Deo: ergò creatura ut analogum etiam attributionis est intrinsecè ens.

Respondetur: distinguendo major. quatenus effectus in genere causæ formalis extrinsecæ, concedo maj. quatenus effectus in genere causæ efficientis, nego maj. & distinguo min. ut effectus in genere causæ efficientis, concedo min. in genere causæ formalis extrinsecæ, nego min. & conseq. Quia licèt creatura sit effectus Dei tanquam causæ efficientis, & habeat intrinsecam entitatem productam ab ipso Deo; non tamen sub hac consideratione est analogatum attributionis, sed solum in quantum effectus Dei in genere causæ formalis extrinsecæ, secundum quod respicit Divinam entitatem, & quasi nihil se habet comparata ad illam, secundum quam rationem extrinsece denominatur ab ea.

Secundo arguitur: Una, & eadem forma non potest denominare, idem subjectum intrinsecè, & extrinsecè simul; sed creatura sub aliqua consideratione est intrinsecè ens: ergò sub nulla denominari potest extrinsecè ens.

Respondetur: creaturam non habere utramque denominationem ab eadem forma, sed dici intrinsecè ens à propria entitate, & extrinsecè ab entitate divina.

Dices: Implicat creaturam denominari extrinsecè ens ab entitate Divina: ergò nulla est data solutio, Probatur antecedens primo. Quia analogata denominantur à ratione communi analoga; sed entitas Divina est propria Dei; non tamen ratio communis: ergò implicat creaturam denominari extrinsecè ens ab entitate Divina.

Secundo probatur antec. Si creatura denominaretur ens ab entitate Divina, denominaretur ens divinum, & infinitum; hoc implicat: ergò.

Respondetur ad replicam negando antec. & ad primam probationem distinguo maj. à ratione communi ut existente in

in analogato principali, & ad ipsum determinata, concedo maj. sumpta communiter, nego maj. Ratio vero entis ut existens in Deo est entitas Divina, ita quod Divinitas, vel determinatio per illam fit conditio, ut ratio analoga sic determinata analogata minus principalia denominet; non tamen sit ratio formalis denominandi.

Ad secundam probationem: negatur maj. Quia quamvis entitas Divina, & infinita non possit tribuere denominationem entis finiti subjecto primario: potest tamen subjecto secundario, & extrinseco talem denominationem tribuere, quia ulterius capax non est, & maximè cum ratio Divinæ, vel Infinitæ non sit ratio formalis denominandi, sed conditio ad denominandum: sicut urina non denominatur extrinsecè, & simpliciter sana à sanitate animalis, quia denominatio prædicta solum est propria subjecti, in quo sanitas principaliter reperitur.

Contra secundam proprietatem poterat argui: quod si in analogis attributionis ratio significata per nomen esset eadem numericè, aut secundum terminum, haberent hæc majorem unitatem, quam univoca, in quibus ratio communis multiplicatur realiter, quod tamen non videtur admitendum.

Respondetur: quod quamvis sit una numero, est tamen valdè diversa, quatenus uni convenit intrinsecè, & extrinsecè alijs, & propterea non potest abstrahi ab omnibus illis, sicut ratio univoca, & ex hac parte minorem unitatem habet, quantum ad præcisionem intellectus, qui non potest illam abstrahere, & tanquam formam intrinsecam comparari ad inferiora.

Contra tertiam proprietatem poterat argui: Deum esse analogatum principale respectu creaturæ; & tamen non debere poni in eius diffinitione, quia Deus minus notus est creatura, & diffinitio debet esse clarior diffinito.

Sed facile dicitur: creaturam diffiniri: *Ens participatum à Deo*; & ita Deum poni tanquam terminum extrinsecum in ejus diffinitione, quæ licèt secundum intrinseca debeat esse notior diffinito, non tamen quantum ad extrinseca, sicut terminus diffinitur per ordinem ad propositionem, & tamen propositio notior non est, alias esset incipiendum ab alia.

§. IV.

Analoga proportionalitatis diffiniuntur.

ANALOGA vero proportionalitatis ea sunt: *Quorum nomen est com-*

mune ratio verò ſignificata per nomen eſt proportionabiliter eadem. Per cuius ultimam particulam diſtinguuntur ab univocis, & æquivocis, & analogis attributionis: quia in univocis ratio eſt omnino una, in æquivocis omnino diverſa; in analogis vel attributionis eſt una numero, non vero eadem tantum ſecundum proportionem, vel aliqualem convenientiam. Exemplum eſt in viſu, qui analogicè dicitur de intellectu, & oculo corporali, quia ita ſe habet intellectus ad objectum clarè cognitum, aut intellectualiter viſum, ſicut oculus corporalis ad videndum objectum, & in hoc ita ſe habere, proportio conſiſtit.

Hæc tamen analogia proportionalitatis, alia eſt propria, quando videlicèt, ratio ſignificata per nomen intrinſecè reperitur in utroque analogato, ſicut ratio entis in ſubſtantia, & accidenti, & ratio principij in corde, & in fundamento domus: alia verò eſt metaphorica, quando videlicèt ratio ſignificata convenit uni propriè, & impropriè alijs, ſicut amænitas prati impropriè dicitur riſus, & Chriſtus impropriè, Leo, & ideò Leo eſt analogum metaphoricè, ad verum Leonem, & Chriſtum, & riſus ad riſum hominis, & amænitatem prati.

Sed inſtabis: Quia in omnibus analogis ratio analoga reperitur intrinſecè in uno, & extrinſecè in alijs, textè D. Th. *qui 1. p. q. 28. art. 6. ait*: quod quando aliquid analogicè dicitur de multis invenitur ſecundum propriam rationem in uno tantum, à quo cætera denominantur: ergo omnia analoga ſunt attributionis, conſequenterque fictitia ſunt analoga proportionalitatis, & ſuperfluè diſtinita.

Reſpondetur: D. Th. ſolum ibi loqui de analogis attributionis; analoga verò proportionalitatis inter univoca numerari propter ſimilitudinem, quam habent cum univocis.

Et ſi dicas: D. Th. ibi loqui de analogis, contra poſitivè ad univoca, & omnia analoga univocis contraponi, & ideò de omnibus analogis loqui.

Sed reſpondetur: ibi loqui de analogis contra poſitivè ad univoca maxima contra poſitione, qualem ſolum habent analoga attributionis: alia verò analoga aſsimilantur univocis, quatenus ratio communis intrinſecè in omnibus reperitur, & ideò inter illa computantur.

§. V.

Proprietates aſsignantur.

HÆC etiam analoga proportionalitatis ſuas habent proprietates, quarum prima eſt

eâ; quod ratio significata per nomen reperitur in omnibus intrinsecè, eo quod debet esse eadem proportionabiliter, & non eadem proportionabilitèr si esset in uno tantum eadem, & una; quia eiusdem ad se ipsum non est similitudo, & proportio.

Secunda proprietas est: Rationem communem esse realitèr multiplicatam, alias esset eadem realitèr, sicut natura Divina. Et tertia proprietas est: quod in diffinitione unius non debet necessario ingredi alterum analogatum.

Dices: Non posse intelligi analogatum proportionalitatis, nisi intelligatur proportio inter ipsum, & aliud analogarum; sed hæc proportio non potest intelligi, non intellectis extremis proportionatis: ergò unum analogatum non potest sine altero cognosci, vèl diffiniri.

Respondetur: distinguendo maj. nisi intelligatur exercitè, concedo maj. signatè, nego maj. & distinguo min. intelligi signatè concedo min. exercitè, nego min. & conseq. Quamvis namque analoga proportionalitatis habeant proportionem inter se; non tamen illam important signatè, & expresse, sicut album importat albedinem, sed solum talis proportio exercetur in illis, & ideo potest unum sine altero cognosci.

Dices: Relatio non potest cognosci non cognito termino; ergò nec proportio.

Sed dicimus: Id esse verum de proportione signatè, & expresse sumpta, secundum quam rationem importat ordinem ad terminum proportionis; non tamen de ista exercite sumpta, sicut potest cognosci albedo, in quâ unum convenit exercitè cum alio, quin alterum cognoscatur.

Ex his habes: Analogis attributionis, & metaphoricis non correspondere unum conceptum, sed plures cum habitudine unius ad alterum, vel plurium ad unum tertium, quia in prædictis analogis ratio analoga non reperitur in omnibus intrinsecè propriè, sed in uno propriè, & in alijs Metaphoricè, vèl in uno intrinsecè, & extrinsecè in alijs. Et propterea analoga plurium conceptum appellantur; analogis verò proportionalitatis correspondere unum conceptum, quia ratio communis intrinsecè in omnibus reperitur, & ab omnibus saltim secundum explicitum, & imperfectè præscindere potest.

*** *** *** ***

*** *** ***

*** ***

***

ARTICULUS II.

Quænam sint causæ analogiæ?

§. I.

Quibusdam suppositis statuitur nostra conclusio.

PRO intelligentia art. supponimus primò : quod quando ratio communis inæqualitèr participatur ab inferioribus est analoga ad inferiora, quia ratio communis inæqualitèr participata est partim eadem, & partim diversa: ergò analoga est. Antecedens probatur. Quia in tali ratione habent inferiora convenientiam ea parte, qua illam participant, & habent diversitatem ea parte qua inæqualiter participant illam: ergò ratio prædicta est partim eadem, & partim diversa, sic ratio entis est partim eadem in substantia, & accidenti, quatenus ambo conveniunt in esse, & partim diversa, quatenus substantia est ens simpliciter, & accidens est ens secundum quid, sicut, & species, quæ hominem repræsentat, repræsentativè, & secundum quid est homo, & propterea convenit analogicè cum homine vero.

Secundo supponimus : Dependentiam unius ab alio in alia qua ratione communi esse causam analogiæ, quia quando inferiora rationem communem participant cum dependentia unius ab alio habent convenientiam, & etiam disconvenientiam in ratione prædicta ; convenientiam quidem, eo quod illam participent, & disconvenientiam, quatenus unum participat illam deficientèr, & cum dependentia ab alio: ergò ratio prædicta est partim eadem, & partim diversa, & consequentèr analoga.

Confirmatur : quia quoties unum participat rationem communem dependentèr ab alio, ipsa ratio communis per se primo reperitur in uno, & per posterius, & dependentèr in altero: ergò diversa est in utroque ; propterquam rationem ratio entis ad substantiam, & accidens analoga est.

Addimus tamen : Talem dependentiam per se primo causare analogiam attributionis, quia ubi adest talis dependentia, analogatum minus principale denominatur à forma existente in altero, sicut urina denominatur à sanitate animalis, à quo urina in ratione sani dependet. Et quamvis dependentia hæc reperiatur in analogis proportionalitatis ; materialitèr tamen ibi concurrit, ut antecedentèr vidimus, quia analogia proportionalitatis non per se talem dependentia requirit.

Di-

Dices: Actus vitalis dependet à potentia vitali in ratione qualitatis, siquidem ab illa producitur; & tamen ratio qualitatis univoca est ad utrumque: ergò dependentia prædicta non semper est causa analogiæ.

Respondetur: Actum vitalem non dependere à potentia in ratione communi qualitatis, siquidem ratio communis per se primo, & simpliciter convenit utrique, sed solum ab ea dependere in ratione particulari qualitatis secundum quam rationem à potentia dependet, sicut Filius dependet à Parte in ratione particulari hominis, secundum quam à Patre producitur; & tamen ratio hominis est univoca ad utrumque.

Dices: Non est dabilis dependentia unius ab alio in aliqua ratione communi: ergò nulla dabitur analogia orta ex dependentia, si solutio vera est Probatur antec. Si aliquà esset, maximè dependentia, quam habet creatura à Deo in ratione entis; sed hæc non est dependentia in ipsa ratione communi, alias creatura etiam dependeret à se ipsa, cum ipsa sit ens: ergò.

Confirmabis: Ens abstrahit à dependentia, & independentia, siquidem abstrahit ab extremo dependente, & ab extremo independente, à Deo videlicèt, & creatura: ergò in ratione communi entis non datur dependentia.

Respondetur: negando antecedens, & ad probationem distinguo min. in ratione communi sumpta adæquatè, conced. min. Quia licèt creatura non dependeat à Deo in ratione communi entis adæquatè considerata, & prout implicitè continet ens creatum, & increatum, ut convincit argumentum; dependet tamen à Deo in ratione communi entis inadæquatè considerata, & quatenus implicitè continet creaturam.

Ad confirmationem ex eadem doctrina constat: quod licèt ens pro explicito abstrahat à dependentia, & independentia; non tamen abstrahit pro implicito sed potius continet Deum, & creaturam, quæ sunt extrema, inter quæ exercetur dependentia.

An autem solà transcendentia sufficiat causare analogiam, modo difficultas est. Negant Scotus, Suarez, & alij affirmant discipuli Div. Thom. cum Angelic. Mag. 10. *Metaph. lect.* 1. *& quæst.* 2. De Verit. *art.* 11. & hæc sit.

§. II.

Nostra Conclusio.

RAtione illam probamus: quia transcendentia consistit in eo, quod prædicatum aliquod intimè imbibatur, & sit in illis, in quibus inferiora conveniunt, & etiam in illis, in quibus differunt inferiora; sed tale prædicatum quatenus in illo inferiora conveniunt est idem, & quatenus imbibitur in illis, quibus inferiora differunt est diversum: ergò est partim idem, & partim diversum, & consequenter analogum.

Explicatur ratio prædicta: prædicatum transcendens est principium conveniendi, & principium distinguendi: ergò est partim idem, & partim diversum, & consequenter analogum. Probatur antecedens. Illud sine quo non potest intelligi prædicatum, in quo inferiora conveniunt, est principium conveniendi, & illud sine quo non potest intelligi prædicatum, in quo distinguuntur inferiora, est principium distinguendi; sed prædicatum, in quo inferiora conveniunt, & prædicatum in quo differunt inferiora intelligi non possunt sine prædicato transcendenti, alias tale prædicatum non transcenderet omnia, quæ in inferioribus inveniuntur, nec esset de illorum quidditate: ergò prædicatum transcendens est principium conveniendi, & principium distinguendi.

Confirmatur: Accidens est analogum ad novem prædicamenta accidentis, nam si esset univocum esset genus ad omnia illa, consequenterque novem prædicamenta non essent genera suprema; sed sola transcendentia causat talem analogiam: ergò sola transcendentia sufficit causare analogiam. Probatur minor. Novem genera accidentis sunt simpliciter accidentia, & unum non pendet ab alio in ratione accidentis, consequenterque nec inæqualiter participant rationem communem, nec cum dependentia unius ab altero; sed præter hæc non remanet alia causa analogiæ, nisi sola transcendentia: ergò sola transcendentia causat analogiam prædictam.

§. III.

Argumentis occurritur.

COntra istam conclusionem arguitur: quia maiorem convenientiam fundat ratio transcendens, quam univoca; sed ratio univoca fundat con-

convenientiam sine diversitate, & non est analoga: ergò ratio transcendens analoga etiam non est. Probatur maior. In ratione transcendenti conveniunt inferiora secundum omnia prædicata, quæ habent, siquidem ipsæ etiam ultimæ differentiæ conveniunt in ratione entis; sed in ratione univoca non conveniunt inferiora secundum omnia, quæ habent, nam ultimæ differentiæ non conveniunt in ratione animalis; v. gr. ergò majorem convenientiam fundat illa, quam ista.

Respondetur: distinguendo maj. majorem extensivè concedo maj. Quia in ratione transcendenti conveniunt plura: Majorem intensivè, & formalitèr, nego maj. Quia ratio univoca est omnino eadem, & ideo in ratione prædicta magis conveniunt formalitèr intensivè inferiora.

Secundò arguitur: Immateriale, & intellectivum est univocum ad omnes Angelos, & tamen transcendit ultimas differentias illorum, nam ultimæ differentiæ cuiuscumque Angeli est immaterialis, & consequenter etiam intellectiva est, cum omne immateriale sit intellectivum: ergò non omnis transcendentia causat analogiam.

Confirmatur: Quia relatio Divina transcendit tres divinas relationes; & tamen non est analoga, sed potius univoca est: ergò idem quod prius.

Respondetur ad argumentum: Immaterialitatem abstrahentem à completa, & incompleta transcendere ultimas differentias Angelorum, & consequenter analogam esse; immaterialitatem tamen completam esse univocam, & non transcendere ultimas differentias; quia licèt ultima differentia cujuscumque Angeli sit completè immaterialis constitutivè, & ut quo, quatenus ens completè immateriale constituit, nulla tamen differentia est completè immaterialis ut quod, sicut quæcumque ultima differentia est ens ut quod, & ideò immaterialis completa non transcendit ultimas differentias. Ex quo habetur nullam ultimam differentiam esse intellectivam, quia solum ens immateriale metaphisicè completum est intellectivum ut quod.

Ad confirmationem respondetur: Relationem divinam propter suam simplicitatem, & actualitatem facere unum simplicissimum conceptum cum qualibet relatione Divina, & non præscindere à differentia cuiuscumque relationis, & ita analogam esse. Cujus oppositum contingit in personalitate,

&

& relatione relata, quę à differentijs suorum inferiorum perfectè prę scindunt.

Ersi dicas: etiam essentiam Divinam facere unam simplicissimum conceptum cum divina relatione, & transcendere omnia prædicata Divina; & tamen univocam esse: ergo quamvis relatio divina transcendat, erit univoca.

Respondetur: Divinam naturam, & essentiam non multiplicari realiter, nec specie in relationibus Divinis, & ipsas non differre in Deitate, sicut differunt relationes; propterea que relatio non est una, & eadem in tribus relationibus; natura vero, & essentia Divina est una, & eadem in omnibus illis, & consequenter univoca est.

Dices: ergò quamvis natura Divina transcendat relationes, non est partim eadem, & partim diversa: ergo non omnis transcendentia causat analogiam.

Respondetur: Transcendentiam propriè reperiri, quando prædicatum inhibitur in differentijs inferiorum, & multiplicatur in illis, quod non habet divina natura, quæ non multiplicarur in relationibus, quas transcendit, & ita transcendentia illius non est propria transcendentia; proindeque mirum non est, quod non inferat analogiam.

Tertiò arguitur: In ratione entis non differunt inferiora, sed potius conveniunt, nam rationale, & irrationale conveniunt in ente, eò quod utrumque est simpliciter ens: ergò ratio entis, quamvis transcendens non est partim eadem, & partim diversa, ac proinde analoga non est.

Respondetur: distinguendo antecedens, in ratione entis pro explicito entis, concedo antec. pro implicito, nego antec. Quia in ente continentur implicite rationes particulares, quibus differunt inferiora, & ideo rationale, & irrationale, & alia conveniunt in explicito entis, sed in ente quantum ad implicitum distinguuntur.

Sed instabis: quod rationale, & irrationale differunt secundum illud, & quod explicant; sed non explicant ens, ut per se patet: ergò non differunt in ente.

Respondetur: distinguendo consequens: in ente ut ab ipsis explicato, concedo conseq. Quia ipsa non explicant ens, in ente ut implicitè continente id, quod explicant, nego conseq. Quia hoc explicitum in quo differunt rationale, & irrationale implicitè continetur in ente, & ideò ipsa differunt in ente ut implicitè continent hoc explicitum, in quo ipsa distinguuntur.

AR-

ARTIC. III.

Utrum ens sit analogum ad inferiora sunt?

§. I.

Quibusdam prælibatis statuitur prima Conclusio.

IN artic. præsenti supponimus primo: ens posse sumi dupliciter: nominaliter, videlicèt, & participialiter: ens nominaliter dicitur quidditas, & essentia cujuscumque rei, quæ opponitur nihilo, in quo sensu etiam creaturæ possibiles entia dicuntur, quatenus suas essentias habent ens vero participialiter idem est, quod existens: undè de formali significat existentiam, cumque existentia sit extra essentiam cujuscumque creaturæ, indè fit, quod ratio entis participialiter convenit accidentaliter. & propterea creaturæ possibiles in illo statu ubi tantum habent essentialia prædicata non dicuntur participialiter entia.

Secundo notandum est: ens nominaliter sumptum dividi in ens reale, & rationis; & rursus ens reale dividi increatum, & in increatum: & tandem ens creatum dividi in substantiam, & accidens: quæ divisiones non possunt esse æquivocæ, quia æquivoca solum conveniunt in voce; non tamen in re per vocem significata, & omnia membra prædicta conveniunt, nedum in voce, sed in esse significato per vocem eo quod omnia sunt entia; sivè vera, sivè ficta.

Insuper etiam in æquivocis unum non est effectus alterius, quia effectus, & causa aliquam veram convenientiam habent, & ens rationis est effectus entis realis, & accidens effectus substantiæ, & creatura effectus Dei; proindeque non æquivoce conveniunt.

Rursus: per unum æquivocum non possumus venire in cognitionem alterius veram, qualiter per cognitionem creaturarum venimus in cognitionem Dei, & per accidentia venimus in cognitionem substantiæ. Quare dificultas est: An ratio entis sit analoga ad inferiora prædicta, in quo partem affirmativam defendimus cum doctrina communiori Logicorum, ea ergò est.

§. II.

Nostra conclusio.

CONclusionem probamus pro ea parte, qua de Deo, & creaturis procedit: quia inter extrema infinitè distincta non potest da-

dari convenientia simpliciter talis; & perfecta similitudo, sed Deus, & creatura infinitè distant: ergò non possunt simpliciter, & univocè, sed solum analogicè convenire. Maj. probatur. Quia distantia tollit similitudinem: ergo inter extrema infinitè distantia non potest dari convenientia simpliciter, & perfecta similitudo.

Confirmatur: Nam quæ conveniunt simpliciter in aliqua ratione, non distinguuntur in illa; sed Deus, & creatura distinguuntur in ratione entis realis, siquidem creatura comparativè ad Deum est quasi nihil; Deus autem est primum, & infinitum ens: ergò. Ex quo constat substantiam, & accidens, ens reale, & ens rationis non convenire simpliciter in ratione entis, sed potius in illa distingui, siquidem substantia est ens simpliciter, & accidens est ens secundum quid, & ens reale verum ens, & ens rationis aliquid fictum. Quam doctrinam quantum ad partem de Deo, & creatura procedentem, docuit Aug. Doct. 1. contra gentes *cap.* 32. dicens: omne quod de pluribus univocè prædicatur esse genus speciem, vel differentiam, accidens, aut proprium: de Deo autem nihil prædicari ut genus, differentiam, vel speciem, quæ ex genere, & differentia constituitur, nec aliquid ei accidere, nec ut accidens; nec ut proprium; quod etiam est de genere accidentis: relinquitur: ergo de Deo, creaturis nihil univocè prædicari.

Rationem tamen generali probatur nostra conclusio: quia ratio entis in ordine ad inferiora relata est partim eadem, & partim diversa: ergò analoga est. Probatur antec. quoad primam partem; quia omnia inferiora prædicta participant rationem entis, & in illa conveniunt: ergò ratio illa est partim eadem.

Quantum ad secundam partem, esse videlicèt, partem diversam, probatur. Quia inferiora ipsa differunt per rationem entis: ergò ratio entis partim diversa est Probatur ant. differunt per differentias suas; sed eorum differentiæ sunt formaliter, & essentialiter entia: ergò differunt per ipsam rationem entis, sicut si differentiæ rationalis, & irrationalis essent essentialiter animal, non solum homo, & equus per differentias suas differrent, sed etiam distinguerentur per rationem animalis.

Confirmatur: quoties ratio significata per nomen invenitur in uno totaliter, & simpliciter, & in alio secundum quid, ratio prædicta est analoga ad utrumque, ut constat in albo, quod est analogum ad Ætiopem

pem, & hominem album, quia in secundo simpliciter invenitur albedo; in primo verò secundum aliquid invenitur, & secundum aliquam partem, videlicet secundum dentes; sed ratio significata per hoc nomen ens invenitur simpliciter in Deo, substantia, & in ente reali, & secundum quid, vel diminute in creatura, quæ ad Deum comparata est talis secundum quid, & in accidenti, quod est secundum quid ens, & in ente rationis, quod tantum habet esse fictum: ergo prædicta ratio analoga est ad omnia hæc inferiora.

Dices primo: ratio entis univoca est ad Petrum, & Paulum: ergo, & ad alia inferiora. Probatur ant. ratio entis descendit ad Petrum, & Paulum mediante ratione hominis; sed ratio hominis univoca est: ergo etiam ratio entis.

Respondetur: negando ant. & ad probationem distinguo maj. descensu in ratione hominis non terminato, concedo mai. ibi terminato, neg. mai. & concessa min. negat. conseq. Quia licèt ratio entis descendat ad Petrum, & Paulum mediante ratione nominis, non tamen ibi descensus terminatur, sed extenditur, & transit usque ad ultimas differentias utrisque, & ideò ratio entis analoga est, quamvis ratio hominis univoca sit.

Poterat etiam dici; ens omnia includere immediatè, & in omnibus immediatè includi, & ita solum materialiter descendere mediante ratione hominis quatenus ipsa est minus universalis formaliter tamen loquendo immediatè descendere.

Secundo poterat arguis Deum, & creaturam esse ejusdem rationis in ratione entis: ergo univocè conveniunt. Probatur antec. primo. Quia mensura, & mensuratum sunt ejusdem rationis; sed Deus est mensura omnium creaturarum in ratione entis, siquidem est primum ens, & à primo in quocumque genere mensurantur cætera talis generis: ergo Deus, & creatura sunt ejusdem rationis in ratione entis.

Secundo probatur ant. Nam id, per quod aliud tanquam per medium cognoscitur, est ejusdem rationis cum subjecto cognito; sed per divinam essentiam cognoscuntur creaturæ: ergo Deus, & creatura sunt ejusdem rationis in ratione entis.

Respondetur ad argumentum: negando antec. & ad primam probationem dicimus mensuram quantitativam, & homogeneam esse ejusdem rationis, & formaliter adæquari cum re mensurata per illam; Deum tamen non esse mensuram homogeneam, sed ætherogeneam, & super excedentem creaturam men-

mensuratam, & ita non esse ejusdem rationis.

Ad secundam probationem respondetur: medium cognoscendi debere esse ejusdem rationis cum re cognita, vèl quid superius ad ipsam, aut illam continens eminentèr, & hoc secundum habet Deus respectu creaturarum.

§. III.

Secunda Conclusio statuitur:

Ens completum est analogum ad decem prædicamenta.

CONclusio hæc ex eo constare poterat: quod decem prædicamenta sunt genera supræma, quæ tamen talia non essent, si ens completum esset univocum ad illa: nam hoc ipso esset necessario genus supremum ad omnia prædicamenta.

Insuper tamen ratione conclusionem aliqui probant: quia ratio entis completi solum invenitur simplicitèr in substantia, in accidentibus verò invenitur secundum quid, eoquod accidentia non sunt simplicitèr entia, & consequentèr non sunt entia completa simplicitèr: ergò ratio entis completi inæqualitèr participatur à decem prædicamentis, & consequenter analoga est.

Sed doctrinam istam non possumus approbare, quia aliud est accidentia completa esse entia secundum quid, & aliud completa secundum quid. Primum est verum, sed secundum falsum est: nam id, quod est ens secundum quid potest esse ens completum simplicitèr, eo quod in ratione completi non dependet ab alio formalitèr, sed intra propriam lineam habet complementum, quod sit complementum simplicitèr, qualitèr complementum in linea accidentis est complementum simplicitèr; ad eum modum quo homo pictus est homo secundum quid, sed est homo pictus simplicitèr. Et Christus est Leo secundum quid, sed simplicitèr est Leo de Tribu Juda, quia illud additum trahit ad alteram lineam, in qua potest esse tale simplicitèr, quod in linea superiori, & secluso illo addito est tale secundum quid. Quapropter non nitimur in doctrina supradicta, sed alitèr.

Probatur conclusio nostra ratione: ens completum non præscindit perfectè à modis decem prædicamentorum: ergò analogum est ad illa, aliàs posset perfectè præscindere. Probatur antecedens. Non est intelligibile ens completum sine modis decem prædicamentorum: ergò non potest perfectè præscindere ab illis. Probatur anteced. Non est intelligibile ens completum si-

sine modis, quibus formaliter constituitur completum, alias intelligeretur completum, non intellecta forma constitutiva entis completi; sed modi, quibus ens constituitur completum sunt modi pertinentes ad decem prædicamenta, cum modi prædicti sint aliquid inferius ad ens creatum ut sic, sub quo decem prædicamenta immediatè collocantur: ergò non est intelligibile ens completum sine modis decem prædicamentorum.

Confirmatur: ens completum idem est quod ens directè in prædicamento ponibile; sed non potest intelligi ens directè ponibile in prædicamento sine modo prædicamentali, cum per modos ipsos prædicamentales constituatur ens directè in prædicamento ponibile: ergò non potest intelligi ens completum sine modis decem prædicamentorum; consequenterque nequit ab illis præscindere.

Sed instabis: quod in ente completo comparativè ad decem prædicamenta nulla reperitur causa analogiæ non quidem inæqualis participatio siquidem omnia sunt simpliciter entia completa, nec etiam dependentia, eo quod in ratione entis completi unum non pendet ab alio. Et insuper defficit transcendentia, quia ens completum non potest includi in modis prædicamentorum, cum tales modi sint aliquid incompletum, & rationem entis completi non participent: ergò ens completum non est analogum ad decem prædicamenta.

Confirmatur: quia substantia completa non est analoga, sed univoca ad ea, quæ collocantur directè in prædicamento substantiæ, vèl ad omnes substantias completas: ergò idem de ente completo comparativè ad decem prædicamenta.

Respondetur tamen ad argumentum non reperiri in ente completo inæqualem participationem, nec dependentiam, nec transcendentiam passivam, quia ut bene probat argumentum ens completum non potest includi in modis in completis decem prædicamentorum; reperiri tamen in entè completo transcendentiam activam, eo quod includit necessario modos prædicamentales, & non potest intelligi saltim implicitè sine illis, sicut non potest intelligi calor ut octo, quin calor ut quatuor saltim implicitè intelligatur.

Dices: Ens non redditur completum per inclusionem modorum: ergò deficit etiam activa transcendentia. Prob. ant. ens in communi continet omnes modos; & tamen non redditur completum per illos: ergò ens completum non redditur completum per inclusionem modorum.

Resp.

Respondetur: ens in communi per se primo, & immediatè continere substantiam, & accidens, aut ens completum, & incompletum, & solum mediatè continere modos complectentes, & propterea ratione continentiæ quæ solum est mediata non reddi completum, ens verò completum per se primo, & mediatè continere modos complectentes, & ideò per illos reddi completum formaliter.

Ad confirmationem autem principalis argumenti respondetur substantiam completam priori ad differentias cujuscumq; substantiæ intelligi completam per subsistentiam communem ad omnem substantiam completam, cujus proprium est complete subsistere, & independenter ab alio, sicut etiam qualitas completa intelligitur completa per specialem inhærentiam priori ad differentias inferiorum qualitatum; ens tamen completum non posse completum intelligi; nisi per modos decem prædicamentorum, & ita illos includere, vèl activè transcendere, & consequenter esse analogum ad decem prædicamenta.

Ex his habes: Accidens etiam completum esse analogum ad novem prædicamenta accidentis, quia non potest intelligi completum sine modis prædicamentalibus pertinentibus ad novem prædicamenta, & insuper quia si non esset analogum, esset genus proindeque novem prædicamenta genera suprema non essent.

Et si dicas: accidens completum posse intelligi tale ut constitutum per inhærentiam communem ad omnia accidentia completa, sicut substantia prædicamentalis intelligitur completa per communem subsistentiam, qua redditur subsistens independenter ab alio.

Respondetur: inhærentiam ut sic esse communem ad inhærentiam cujuscumque accidentis tàm completi, quàm incompleti, & ita constituere non posse ens completum; inhærentiam verò completam esse quidem completam, sed non intelligi completam nisi per modos inferiores ad inhærentiam ut sic, quiquidem necessario debent esse specialis inhærentiæ pertinentes ad prædicamenta diversa; & propterea illas includere, & activè transcendere, & ad illas analogam esse.

ARTIC. IV.

Vtrùm detur conceptus entis perfectè præcisus ab inferioribus suis?

§. I.

Quibusdam præsuppositis statuitur negativa conclusio.

AD pleniorem articuli intelligentiam aliqua supponenda sunt, quorum primum est duplicem dari con-

ceptum; alterum quidem formalem, qui eſt actus intellectus, vèl conceptus, aut ſpecies, quæ rem cognitam repræſentat; & alterum objectivum, rem videlicèt repræſentatam, & cognitam per actionem intellectus, & nos in præſenti non loqui de conceptu formali, ſed tantum de conceptu objectivo, & ſolum inquirere utrùm quando intellectus cognoſcit rationem communem entis, ratio entis cognita, ita præſcindat ab inferioribus ſuis, ut illa actu etiam implicitè non includat, ſed ea tantum in potentia contineat, ſicut animal ſolum in potentia continet differentias, & propterea perfectè præſcindit.

Secundo ſupponendum eſt: præciſionem duplicem eſſe: aliam perfectam: & alteram imperfectam: perfecta præciſio eſt qua ratio communis abſtracta, nec explicitè, nec implicitè actu continet inferiora; ſicut ratio communis animalis ſemel abſtracta nec explicat rationale, vèl irrationale, nec actu implicitè continet illa. Imperfecta præciſio tunc contingit, quando ratio communis abſtracta non explicat inferiora; actu tamen implicitè continet illa, & cum ipſa cognoſcuntur etiam inferiora actu implicitè cognoſcuntur.

Tandem ſupponendum eſt: rationem communem entis imperfectè præſcindere ab inferioribus ſuis; quia ità præſcindere, nihil aliud eſt, quam inferiora non explicare; ſed quando ratio communis entis cognoſcitur ſecundum conceptum expreſſum non explicat inferiora: ergò imperfectè præſcindit. Prob. minam illa ratio communis cognita tantum explicat illud, quod explicitè ſignificatur per nomen; ſed hoc nomen ens non ſignificat explicitè Deum, vèl creaturam, ſubſtantiam, aut accidens; ſed ſolum explicitè ſignificat eſſe in quo inferiora conveniunt: ergò dum ratio communis entis cognoſcitur non explicat inferiora.

Quod etiam confirmari poterat ex eo: quod viſo aliquo à longè cognoſcimus de illo, quod ſit ens; non tamen cognoſcimus, an ſit ſubſtantia, vèl accidens, homo, vèl equus, uſque dum appropinquamus: & antiqui erant certi, animam, & lucem eſſe entia, dubitant tamen, utrùm eſſent ſubſtantia, vèl accidens? Et hæreticus certus eſt illud, quòd apparet in Sacramento Euchariſtiæ eſſe ens, dubitat autem an ſit ſubſtantia, vèl accidens? Quod quidem ſignum eſt rationem entis non explicare inferiora, ſed ab illis imperfectè præſcindere.

Modo autem difficultas eſt: an etiam ratio entis perfectè præſcindat ab inferioribus ſuis? Partem affirmativam defendit

Scotus, quem Suarez, & Hurtado cum alijs, & ex noſtris Soto, & Hortiz ex toto corde ſequuntur.

Negativam vero docet Ang. Præcep. 8. Metaph. *lect.* 7. dicens: *Quod ens ſecundum ſe; non ſpectat aliquid ad hoc, ut ſit ſubſtantia, quantitas, &c.* & Ariſt. in eodem lib. *text*, 6. ubi affirmat: ens immediatè ſignificare decem prædicamenta, ſi tamen perfectè præſcinderet ſolum immediatè ſignificaret ipſum eſſe, prædicamenta vero, & alia inferiora mediatè ſignificaret. Angelicum Præcept. fideles ſeduuntur diſcipuli, quibus præter morem adhæret Vazquez, & alij extra Scolam D. Th. tum quibus.

§. II.

Noſtra Concluſio.

Ens non præſcindit perfectè ab inferioribus ſuis.

PRobatur primo concluſio noſtra ratione: quia prædicatum perfectè præciſſum ab inferioribus ſuis, non manet incluſum, aut contentum in illis: ſed ens, quamvis omnimodo poſsibili præſcindatur, ſemper manet incluſum in inferioribus ſuis: ergò numquam perfectè præſcindit. Maj. ex eo conſtat, quod perfecta præciſsio conſiſtit in eo, quod prædicatum præciſſum, neque actu contineat inferiora, neque actu includatur in illis, & propterea ratio animalis perfectè præſcindit à differentijs, quia nec actu continet illas, nec actu continetur in illis.

Min. autem probatur: quamvis ens omni modo poſsibili præſcindatur, adhuc ejus inferiora manent eſſentialitèr entia: ergò ſemper manet ens incluſum in infetioribus ſuis. Probatur antecedens. Quamvis modo poſsibili præſcindatur, manent inferiora illius oppoſita nihilo: ergò manent eſſentialitèr entia. Probatur antec. Quamvis modo poſsibili præſcindatur, manent inferiora, in quibus antea continebatur ipſum ens: ſed inferiora prædicta ſunt oppoſita nihilo, quia ens non poteſt formalitèr in nihilo contineri: ergò inferiora entis manent oppoſita nihilo.

Reſpondebis: quod licèt inferiora entis præciſsione facta non maneant entia ſecundum rationem communem entis, in qua omnia entia conveniunt; manent tamen entia ſecundum rationem particularem, in qua unum alio diſtinguitur, & ideò nihilo oppoſita manent.

Sed contra: quia implicat inferiora manere entia ſecundum rationem particularem, & non manere entia ſecundum rationem communem entis: ergò ſolutio contradictionem in

nvolvit. Probatur antecedens. Ratio communis entis est de essentia rationis particularis; nam hæc prædicatio entitas particularis, & differentia cujuscumque entis est ens; est prædicatio essentialis: ergò implicat inferiora manere entia secundum rationem particularem, & non manere entia secundum rationem comunem, quia illud, quod est de essentia alicujus non potest etiam per intellectum separari, manente alterius essentia: undè ablato prædicato animalis, quod est de essentia hominis, non manet ulterius homo.

Secundo reijcitur solutio data: implicat substantiam manere secundum propriam differentiam, & non manere secundum rationem communem entis: ergò implicat, rationem communem entis perfectè præscindi à differentia substantiæ, & idem de quacumque alia dicendum. Probatur antec. Substantia secundum rationem particularem, per quam ab accidenti distinguitur, habet aliquod esse; sed in habendo esse omnia entia conveniunt: ergò implicat substantiam manere secundum propriam differentiam, & non manere secundum rationem communem entis, in qua omnia entia conveniunt.

Respondebis: Substantiam secundum differentiam particularem, manere ens, non quidem formaliter, sed solum exactive, quatenus exigit rationem entis.

Sed contra: Num illud, quod est de alicujus essentia non potest ab illo etiam per intellectum separari quantum ad convenientiam actualem; sicut animal quantum ad actualem convenientiam ab homine separari non potest, homine manente; sed ut probatum relinquimus ratio communis entis est de essentia substantiæ secundum differentiam peculiarem: ergò non solum quoad exigentiam, sed etiam quantum ad actualem convenientiam ab ea separari non potest.

Respondent iterum adversarij rationem entis non esse de essentia differentiæ propriæ substantiæ, & propriæ differentiæ accidentis, quia inhærentia accidentis est id, per quod accidens totaliter à substantia distinguitur, & ideo non importat essentialiter rationem entis, in qua possit cum substantia convenire.

Sed contra: Quia inhærentia formaliter considerata, & ut ab omni alio distincta est formaliter possibilis: ergò est essentialiter ens nam esse possibile, & esse verum ens, vetè potens existere; idem sunt. Probatur anteced. Possibile illud est, quod excludit suum contradictorium,

rium, nam poſsibile eſt quod poteſt exiſtere ſine ulla contradictione, & exiſtere ſine ulla contradictione eſt proprium contradictorium excludere, nam exiſtere cum ſuo contradictorio contradictionem involvit, & conſequenter exiſtere non excluſo contradictorio non eſt exiſtere ſine ulla contradictione; ſed inhærentia formaliter ſuum contradictorium, videlicèt non inhærentiam excludit: ergò inhærentia formaliter conſiderata, & ut diſtincta à differentia ſubſtantiæ eſt formaliter poſsibilis.

Dices: Inhærentiam formaliter conſiderata non eſſe formaliter poſsibilem, nec formaliter impoſsibilem; ſed ab utroque præſcindere, & formaliter non excludere ſuum contradictorium: quia inhærentia ſumpta formaliter præſcindit à prædicatis, per quæ ipſa non diffinitur, & non diffinitur ipſa per poſsibile, vèl impoſsibile, nec per oppoſitionem cum ſuo contradictorio; aut excluſionem illius, ſed tantum per determinationem entis ad accidens.

Sed contra: ergò inhærentia ſumpta formaliter importat id, per quod ens determinatur ad accidens, ut ſolutio data concedit; ſed id, per quod ens determinatur ad accidens, eſt formaliter poſsibile, & ſuum contradictorium excludit: ergò inhærentia excludit formaliter ſuum contradictorium, & formaliter poſsibilis eſt Probatur min. id per quod ens determinatur ad accidens excludit non inhærentiam, quia dum non excluditur non inhærentia, manet ens indifferens ad inhærendum, vèl non, & conſequenter cum indifferentia manet ut ſit ſubſtantia, vèl accidens: ergò id, per quod ens determinatur ad accidens, excludit ſuum contradictorium, & formaliter eſt poſsibile.

Secundo reijcitur: Quia inhærentia ſumpta formaliter non præſcindit à poſsibili, & impoſsibili: ergò eſt determinatè poſsibilis. Probatur antec. formalitate præſcindenti à poſsibili, & impoſsibili non repugnat cum utroque conjungi; nam quando alicui repugnat cum duplici extremo conjungi neceſſario unum illorum excludit; ſed inhærentiæ ſumptæ formaliter repugnat conjungi cum impoſsibili: ergò non præſcindit à poſsibili, & impoſsibili. Probatur min. Inhærentia impoſsibilis non eſt determinatio entis realis ad accidens; ſed inhærentia ſumpta formaliter eſt determinatio entis realis ad accidens: ergò inhærentiæ ſumptæ formaliter cum impoſsibili conjungi repugnat.

Tertio reijcitur: Forma conſtitutiva entis poſsibilis eſt determinatè poſsibilis, ſicut dif-

differentia constitutiva entis impossibilis determinatè impossibilis est; sed inhærentia sumpta formaliter est constitutiva entis possibilis, videlicèt entis realis in ratione accidentis: ergò inhærentia sumpta formaliter est determinatè possibilis, & determinatè suum contradictorium excludit.

Quarto differentia verè, & realiter distintiva unius ab alio vere, & realiter est possibilis; sed inhærentia sumpta formaliter verè, & realiter distinguit accidens reale à substantia: ergò inhærentia sic sumpta determinatè possibilis est.

Quinto: inhærentia sumpta formaliter excludit suum contradictorium: ergò determinatè possibilis est. Probatur anteced. primò. Inhærentia sumpta formaliter est vera inhærentia: ergò suum contradictorium excludit. Probatur antecedens. Est potius inhærentia, quam non inhærentia: ergò vera inhærentia est, nam si abstraeret à vera, & falsa non esset potius inhærentia, quam non inhærentia, siquidem inhærentia falsa potius est non inhærentia.

Secundo probatur anteced. in diffinitione inhærentiæ includitur exclusio proprij contradictorij: ergò quamvis inhærentia non diffiniatur expræsse per exclusionem contradictorij, non indè infertur, ut intendunt *Mag. Frayland* adversarij, non excludere proprium contradictorium. Probatur anteced. inhærentia diffinitur, quod sit determinatio entis realis ad accidens; sed in hac diffinitione includitur exclusio proprij contradictorij: ergò verum est antec. Probatur min. In determinatione entis realis ad accidens includitur exclusio non determinationis; sed non determinatio entis realis ad accidens est non inhærentia: ergò in determinatione entis realis ad accidens includitur exclusio contradictorij inhærentiæ, siquidem non inhærentia, & non determinatio ad accidens inhærentiæ contradicit: ad eum modum quo in ratione viventis sensibilis clauditur exclusio non animalis, & in ratione potentis existere, quæ est diffinitio entis clauditur exclusio nihil, quamvis non importetur expresse, quia posse existere repugnat nihilo, & habere vitam sensitivam non animali repugnat.

Sed instabis contra doctrinam prædictam: quia differentia accidentis non potest rationem entis includere: ergò ratio entis non est de essentia propriæ differentiæ accidentis, sed ab illa potest per intellectum præscindere. Probatur antecedens primò. Propria differentia accidentis per se ipsam, & non per aliam superadditam

differentiam distinguit accidens à substantia, sed si rationem entis includeret, non distingueret per se ipsam: ergò non potest rationem entis includere. Probatur min. Si rationem entis includeret, accidens in propria differentia conveniret cum substantia, siquidem convenit cum substantia in ratione entis, & hæc claudere tur in propria accidentis differentia: ergò differentia prædicta non distingueret per se ipsam, sicut ratio viventis non per se, sed per differentiam superadditam hominem ab æquo distinguit quia homo, & equus in ratione viventis convenientiam habent.

Secundo probatur antec. Propria differentia accidentis non potest componi ex conceptu communi, & conceptu differentiali, alias non esset adæquata differentia, sed esset ratio conveniendi, & distinguendi: ergò propria differentia accidentis non potest rationem entis includere.

Tertio probatur antec. Ratio communis non includitur in ratione determinante, sicut animal non includitur in differentia rationalis; sed ratio communis entis determinatur per differentias proprias accidentis, & substantiæ: ergò differentia propria accidentis non potest rationem entis includere.

Respondetur ad argumentum: negand. antec. & ad primam probationem negatur min. & ad ejus probationem distinguo antec. conveniret analogicè concedo antec. univocè, nego antec. & conseq. Quia accidens in propria differentia solum convenit analogicè cum substantia propter rationem entis, quam includit; cumque convenientia analoga sit convenientia cum diversitate, inde fit, quod licèt accidens in propria differentia cum substantia conveniat, non infertur inde, quod talis differentia per se ipsam non distinguat: cujus oppositum in exemplo contingit, quia homo, & equus in ratione viventis conveniunt univocè, & cum convenientia univoca excludat diversitatem; ex quo homo, & equus conveniant in ratione viventis, bene infertur, rationem viventis non distinguere per se ipsam, sed per superadditam differentiam.

Ad secundam probationem: negatur conseq. Quia propria differentia accidentis includit rationem entis tanquam prædicatum analogum, & prædicatum analogum non facit veram compositionem cum conceptu differentiali; sed est de illius essentia, nequit esse extra illum, & ideo ex quo propria differentia accidentis non componat cum ratione communi entis, non sequitur, quod non

non posſit illam includere.

Ad tertiam probationem distinguo maj. ratio communis univoca, concedo maj. analoga, nego maj. Quia ratio communis univoca vere contrahitur, verèque determinatur per differentiam extraneam; & superadditam Metaphisicè ipsi rationi communi, & ita non potest includi in ratione determinante, sed extra essentiam illius est; ratio verò analoga non vere contrahitur; sed solum quoad explicitum determinatur per inferiorem differentiam explicantem, quod in ratione communi implicitè continetur: unde ratio analoga in ipsa differentia determinante implicitè claudituir, quamvis non exprimatur in ipsa.

Et si dicas: ergò accidens, & substantia in propria differentia conveniunt, propter rationem entis inclusam: ergò ita assimilantur sicut Petrus, & Paulus, qui in ultima differentia conveniunt, consequenterque non erit major convenientia, & similitudo inter Petrum, & Paulum, quam inter substantiam, & accidens, quod falsissimum est.

Respondetur: distinguendo consequens primum. Conveniunt analogicè, & secundum quid, concedo conseq. Simpliciter, & univocè, nego conseq. Quia accidens in propria differentia analogicè convenit cum substantia: Petrus verò in propria differentia univocè cum Paulo convenit, & ideo æqualiter materialiter, & extensivè conveniunt, quatenus convenientia in omnibus extenditur ad ultimas differentias, sed formaliter intensivè inæqualis, & minor est similitudo, quia inter accidens, & substantiam est analoga, & inter Petrum, & Paulum univoca est.

Secundo poterat arguì quia perfectas, quæ est differentia propria substantiæ non est formaliter ens: ergò idem dicendum de differentia propria accidentis, ac proinde differentiæ entis non erunt entia, & posſibilia formaliter. Probatur antecedens. Modus non est ipsa res, sed determinatio, vel modificatio illius, sed perfectas est modus entis: ergò formaliter non est ens.

Confirmatur: Perfectas non diffinitur per solum ens, sed etiam per aliquid aliud; sed illud aliud est differentia entis: ergò differentia entis non est essentialiter ens. Et maximè cum perfectas connotet existentiam per se; ens verò non dicat ordinem ad existentiam per se, ac proindè debent distingui distinctione excludentis, & excluſi, sicut rationale, & animal, quia rationale dicit ordinem ad discursum, quem ordinem animal non importat.

Respondetur negando antecedens, & ad probationem distinguo maj. modus, quantum ad implicitum, & explicitum, concedo maj. quantum ad expræssum tantum, nego maj. & sub eadem distinctionem. negatur conseq. Quia perfectas non est modus, nisi quantum ad explicitum, eo quod exprimit aliquid, quod non exprimit ens, & ideo essentialitèr est ens, & ab illo realitèr, & formalitèr distincta.

Ad confirmationem distinguo maj. aliud quoad explicitum, concedo maj. quoad implicitum, nego maj. Quæ solutio constat ex dictis. Et ex eadem doctrina manifestum fit, habitudinem ad connotata diversa, non sufficere ad distinctionem excludentis, & excluſi, nisi quando habitudo ad unum connotatum non est de conceptu habitudinis ad aliud; sicut contingit intèr animal, & rationale; sed habitudo ad existentiam est de conceptu habitudinis ad existentiam per se, quæ essentialitèr est vera, possibilis, & consequentèr essentialitèr est ens, & ordinem ad existentiam importat.

¶ ¶ ¶

¶ ¶

¶

§. III.

Assignatur alia conclusionis ratio.

SEcundo vero conclusionem nostram probamus: quia inferiora entis sunt de essentia entis: ergò numquam poterit ens ab inferioribus præscindi. Probatur antecedens primo. Quia de essentia entis est omne esse, nam de essentia entis est omne illud, quod per nomen significatur, & per nomen ens significatur omne esse; sed inferiora secundum omnem rationem, & modum habent aliquod esse: ergò inferiora sunt de essentia entis.

Secundo probatur anteced. Ens in quantum ens est de essentia entis, quia nihil magis intrinsecum, & essentiale enti, quam ipsum ens; sed omnia inferiora sub quacumque ratione sunt verè entia: ergò sunt de essentia entis.

Tertiò probatur antec. Inferiora entis non sunt extraneæ naturæ à natura entis: ergò sunt de essentia illius, quia prædicatum quod non est extraneum, sed intraneum in natura est prædicatum essentiale. Probatur antecedens, Nullum inferius

constituit ens in alia specie, & natura ab specie, & natura entis. Sicut docuit Doct. S. *quæst.* 3. de Potent. & 8. Metaph. *lect.* 7. & Aristot. *textu* 6. dicens; ens significare immediatè substantiam, quantitatem, & alia: ergò nullum inferius est extraneæ naturæ à natura entis, alias constitueret ens in illa specie distincta, sicut rationale constituit animal in alia specie à ratione communi essentialitèr distincta.

Addimus fundamentum perfectæ præcisionis esse convenientiam perfectam in ratione communi, quam convenientiam non habent accidens, & substantia in ratione entis; eo quod substantia est simplicitèr ens; accidens verò solum est secundum quid.

Tertiò probatur conclusio: Si ens perfectè præscinderet ab inferioribus suis, esset univocum ad illa, consequenterque haberet rationem generis, & daretur genus supremum ad omnia prædicamenta; sed hoc implicat: ergò non potest ens perfectè præscindere ab inferioribus suis. Probatur major. Si ens perfectè præscinderet, nullam diceret diversitatem in actu, sed potius ratio entis esset omnino eadem, siquidem actu non includeret differentias à quibus diversitas provenit: ergò ipsum ens esset univocum ad omnia sua inferiora.

Respondet quidam Thomista: Rationem entis non habere actu diversitatem, exigere tamen inæqualitèr descendere ad inferiora, & inæqualitèr ab illis participari, & ideò est radicalitèr, & exactivè diversa, quod satis est, ut univoca non sit.

Sed contra: quia implicat rationem entis esse omnino eandem in actu, & non includere diversitatem, & quod univoca non sit: ergò solutio nulla est. Probatur antecedens. Si semel talis ratio est eadem omnino actu, iam convenit illi diffinitio univocorum, in quibus ratio significata per nomen est omnino eadem: ergò implicat quod univoca non sit.

Secundo rejicitur: exigentia in ratione communi ut inæqualitèr participetur, non tollit univocationem entis: ergò. Probatur antecedens. Etiam ratio animalis exigit inæqualitèr participari; siquidem petit differentias essentialitèr inæquales; & tamen ratio animalis univoca est: ergò prædicta exigentia non potest tollere univocationem entis.

Respondetur prædictus Magist. Rationem entis exigere inæ-

inæqualitèr participari, inæqualitate ſe tenente ex parte rationis communis, & exiſtente in ipſo prædicato communi, quod ſatis eſt, ut talis ratio analoga ſit, quia inæqualitas in ipſa ratione communi ſemper cauſat analogiam, inæqualitatem vero quam exigit ratio animalis, eſſe tantum in rationibus particularibus, & ideo diſparem eſſe rationem.

Sed contra: Implicat rationem entis eſſe tantum diverſam virtualitèr, & exactivè, & talem diverſitatem eſſe in ratione communi: non enim alia ratione diverſitas non eſt in ratione communi animalis, ſed ſolum in rationibus particularibus, niſi quia ratio animalis ſolum eſt radicalitèr, & exactivè diverſa: ergò nulla eſt data ſolutio.

Secundo impugnatur ſolutio: Nam diverſitas, quæ eſt in ipſa ratione communi ſemper convenit rationi communi actualitèr, eo quod talis diverſitas provenit ab ipſa ratione communi, & prædicata, quæ à ratione communi proveniunt, ſemper, & actualitèr conveniunt illi; ſed ſupradicta diverſitas, quam ratio communis exigit, eſt in ipſa ratione communi entis, juxta ſolutionem datam: ergò nedum radicalitèr, ſed etiam actualitèr comperit rationi communi, quod negat ſupradictus Mag. conſequenterque ſolutionis doctrina, pluſquam ille intendit probatur.

Tertio impugnatur ſolutio: quia implicat rationem entis eſſe tantum radicalitèr diverſam, & talem diverſitatem non eſſe in ratione particulari: ergò implicat eſſe in ratione communi. Probatur antecedens. Diverſitas, quæ tantum provenit à differentijs, & non à ratione communi, ſolum eſt diverſitas in ratione particulari, ſicut diverſitas, quæ provenit à ratione individuali, & non à ratione hominis ſolum eſt individualis diverſitas; ſed quando ratio communis eſt tantum radicalitèr diverſa ſolum provenit diverſitas illa à differentijs, & non à ratione communi, quia rationem communem eſſe diverſam radicalitèr, eſt eſſe diverſam, quatenus continet radicaliter, & exigit inæquales differentias: ergò implicat, rationem communem entis eſſe tantum radicalitèr diverſam, & talem diverſitatem non eſſe unicè in ratione particulari, ſed in prædicato communi.

¶L¶ ¶L¶ ¶¶¶

¶L¶ ¶L¶

¶L¶

§. IV.

§. IV.

Argumentis contra conclusionem occurritur.

COntra conclusionem poterat in primis argui: quod sicut diversitas opponitur unitati ita identitas opponitur distinctioni; sed potest intellectus inter prædicata identificata adæquatè distinguere ut facit inter animal, & rationale: ergò poterit etiam plura entia quantumvis distincta in ratione entis communi adunare, & rationem entis perfectè ab illis præscindere.

Respondetur: distinguendo maj: Ita identitas opponitur distinctioni juxta propriam conditionem, concedo maj. contra illam, nego mai. & distinguo min. Eo modo quo eadem, nego min. alio modo, quo saltim fundamentalitèr differunt, concedo min. & negatur conseq. Quia intellectus identificata realitèr non potest facere realitèr distincta, & identificata formalitèr, tàm actualitèr, quàm fundamentalitèr non potest formalitèr distinguere, sed solum potest intellectus ponere distinctionem non oppositam identitati, sicut facit inter animal, & rationale, quæ actualitèr distinguit distinctione rationis non oppositâ cum identitate reali, quo quidem modo etiam potest entia quantumvis distincta secundum propias differentias adunare in ratione entis secundum conceptum explicitum quod non opponitur cum eorum diversitate secundum expræsiones proprias; non tamen potest ea intellectus adunare secundum explicitum, & implicitum, eo quod ens à conceptu proprio, & formali nequit excludere differentias; sed semper includit illas.

Secundo poterat argui: Nam propterea ens non posset perfectè prescindere ab inferioribus suis, quia essentialitèr in illis includitur; sed inclusio prædicta non obstat præcisioni perfectæ; ergò potest perfectè præscindere. Prob. min. Quia animal essentialitèr includitur in homine, & equo, & cæteris animalibus; & tamen animal perfectè præscindit ab illis: ergò.

Respondetur: negando min. & ad probationem distinguo maj. inclusione compositionis, concedo mai. inclusione simplicitatis, nego maj. & concessa min. negatur conseq. sub eadem distinctione: quia animal solum includitur in inferioribus suis inclusione compositionis, vèl per modum partis metaphisicæ cujuscumque speciei, & ita perfectè præscindit ab inferioribus suis, nam licèt totum non possit à partibus perfectè præscin-

cindere, pars tamen à toto præscindere potest; ens verò includitur in inferioribus suis inclusione simplicitatis, constituendo videlicèt unum simplicissimum conceptum cum qualibet differentia, & ideo si talis conceptus perfectè præscinditur; nihil in inferioribus manet, nec inferiora manebunt.

Addo: Animal tantum præscindere ab homine inadæquatè sumpto, & secundum differentiam essentialem, in qua animal non includitur, sed potius cum illa componit, non tamen præscindit animal ab homine adæquatè accepto, nam secluso prædicato animalis non manet homo.

Tertio poterat argui: à convenientibus in aliqua ratione communi, præscindibilis est perfectè prædicta ratio communis, sicut ratio hominis perfectè præscinditur ab omnibus individuis humanis, quæ in ratione prædicta conveniunt; sed omnia inferiora entis habent convenientiam in ratione communi entis: ergò poterit ratio entis perfectè ab illis præscindere.

Respondetur distinguendo maj. convenientibus perfectè, & univocè, concedo maj. imperfectè, & analogicè, nego maj. & sub eadem distinctione min. negatur conseq. Quia inferiora entis partim conveniunt in ratione entis, & partim differunt; unde talis convenientia imperfecta, & analoga est, & insufficiens ad perfectam præcisionem, nam convenientia requisita ad præcisionem perfectam debet esse convenientia omnimoda in ratione communi, qualis reperitur inter humana individua comparativè ad hominem, vèl rationem animalis.

Sed instabis: Convenientia, quam habent inferiora entis, quamvis analoga sit, est tamen analoga analogia proportionalitatis; sed ab analogis proportionalitatis potest perfectè præscindere ratio communis, quia analoga proportionalitatis sunt analoga unius conceptus ad differentiam analogorum attributionis, quæ sunt analoga plurium conceptuum: ergò ratio communis entis potest perfectè præscindere ab inferioribus suis.

Respondetur analoga proportionalitatis esse analoga unius conceptus solum quantum ad explicitum, & in hoc differre ab analogis attributionis, quibus plures conceptus etiam quoad explicitum correspondent, & ideo non datur in illis unicus conceptus adhuc imperfectè præcissus.

Quarto poterat argui: quidquid est medium in syllogismo demonstrativo debet esse unum perfectè, & simpli-

plicitèr ; nàm ex identitate cum illo infertur identitas extremorum inter ſe, ſi autem non eſſet unum perfectè, & ſimpliciter, ſed ſolum ſecundum quid, ex identitate cum illo ſolum poſſet inferri identitas ſecundumquid, & imperfecta inter extrema ipſa ; non vero identitas ſimplicitèr talis ; ſed conceptus objectivus entis eſt medium in ſyllogiſmo demonſtrativo, ut patet in ſequenti ſyllogiſmo : *Omne ens eſt intelligible ; ſubſtantia eſt ens : ergo eſt intelligibilis* : ergò conceptus objectivus entis eſt unus ſimplicitèr, & perfectè præſcindit ab inferioribus ſuis.

Confirmat. per nomen *ens* ſignificatur ratio communis entis ut perfectè præciſſa : ergò ſic perfectè præſcindit. Probatur antecedens. Si per nomen *ens* non ſignificaretur ratio entis perfectè præciſſa, tale nomen eſſe æquivocum, quia ſignificaret omnia inferiora entis, & conſequenter plura ut plura ſignificaret ; ſed nomen *ens* univocum, & non æquivocum eſt : ergò per tale nomen ſignificatur ratio entis, ut perfectæ præciſſa.

Facile tamen reſpondetur : diverſitatem inferiorum inclusam implicitè in ratione entis materialitèr ſe habere ad rationem medij, quia ens non aſſumitur ut medium niſi reduplicativè ſecundum explicitum conceptum, in quo nulla diverſitas explicatur ; & ideò licèt talis conceptus objectivus in eſſe rei non ſit ſimplicitèr unus ; formalitèr tamen in ratione medij, ſimplicitèr unus : & univocus eſt.

Addimus : Ad rationem medij ſufficere unitatem proportionalem, & quod ens ſecundum explicitum nullam exprimat diverſitatem, ſicut plures contrarij aſſerunt, rationem communem individui non præſcindere perfectè ab inferioribus ; & tamen individuum poteſt eſſe medium in ſyllogiſmo ſequenti : *Omne individuum eſt unum unitate numerica ; Petrus eſt individuum : ergò unum eſt unitate numerica.*

Ad confirm. argumenti reſpondetur : nomen *ens* ſignificare plura implicitè, non tamen ſignificare illa ut omnino diverſa, ſed quatenus proportionabiliter conveniunt in ratione communi entis, & ita eſſe terminum univocum univocatione dialectica, ad cujus rationem ſatis eſt ſignificare plura ut proportionabilitèr convenientia in aliqua ratione communi.

Quinto arguitur. Objectum habitus Metaphiſicæ eſt unum ſimplicitèr, & univocum ; nam ha-

habitus Metaphiſicæ ſummit unitatem ſuam ab objecto, & habitus eſt unus ſimplicitèr ; ſed objectum Metaphiſicæ eſt ens in communi : ergò ens eſt univocum, & perfectè preciſſum.

Confirmatur : quia conceptus formalis accipit unitatem à concepto objectivo repræſentato per impſum ; ſed conceptus formalis eſt omnino unus, & univocus, ſiquidem in mente non poteſt dari aliqua æquivocatio : ergò conceptus objectivus entis eſt omnino unus, & perfectè præciſus ab inferioribus ſuis.

Ad argumentum reſpondent aliqui : objectum eſſe cauſam æquivocam habitus, & ideo poſſe objectum non habere unitatem univocam, ſed ſolùm analogam, & cómunicare unitatem univocam habitui, vèl ſcientiæ, quia cauſa æquivoca non oportet, quod habeat in ſe omne prædicatum, quod effectui communicat : Imo forma univoca præſtat aliquando effectum, quem formalitèr in ſe ipſa non habet, nam albedo facit formalitèr album, & tamen in ſe ipſa alba non eſt.

Sed hæc ſolutio vera eſſe non poteſt : quia objectum in modo terminandi, & immutandi potentiam debet habere omnimodam unitatem ; ſed ſub hac ratione ſpecificat potentiam : ergò in ratione ſpecificantis debet eſſe unum ſimplicitèr. Probatur maj. Nam ſi objectum in ratione immutandi, & terminandi potentiam, vèl habitum, non haberet omnimodam unitatem, ſed ſolam unitatem analogam, diverſo modo immutaret & terminaret etiam cum diverſitate habitum, vèl potentiam, conſequenterque potentia, vel habitus non haberent unitatem ſimplicitèr, quia diſtinctio potentiæ, vèl habitus ſummitur ex diverſitate objecti in ratione immutantis, vèl terminantis : ergò objectum in modo terminandi, & immutandi potentiam, debet habere omnimodam unitatem. Undè probant omnes Thomiſtæ, Logicam eſſe unam ſpecificè athome, quia objectum illius eſt formalitèr, & ſpecificè idem. Ex quo evidentèr infertur objectum habere in ratione objecti eandem unitatem univocam, quam ſcientiæ communicat ; & ideo illa ſolutione relicta.

Reſpondetur ad argumentum diſtinguendo major. unum ſimplicitèr in ſpecificando, concedo maj. in eſſendo, & prædicando, nego maj. & conceſſa min. negatur conſeq. ſub eadem diſtinctione. Quia objectum Metaphiſicæ in ſpecificando habitum, & in eſſe objecti formalitèr eſt unum ſimplicitèr, quamvis in eſſe rei, & in prædicando ſit ſolum analogicè unum, quæ duo nullam contra-

dic-

dictionem involvunt, sicut in probabili sententia asserente objectum Philosophiæ abstrahere ab ente mobili substantiali, & accidentali, tale objectum in essendo, & prædicando est analogum ad substantiam, & accidens, & tamen in esse objecti formaliter univocum est, & objectum potentiæ visivæ est unum genericè in ordine ad coloratum album, & ad coloratum nigrum, & tamen comparativè ad potentiam specificè unum est.

Dices: ens in specificando habitum Metaphisicæ est unum simpliciter: ergò etiam in essendo, & prædicando, quia non videtur assignabilis ratio discriminis.

Sed negatur conseq. Quia ad specificandum actum Metaphisicæ solum se habet de formali conceptus explicitus entis, conceptus verò implicitus de materiali se habet; & cum in concepto explicito nulla importetur diversitas; indè fit, conceptum entis in specificando esse simpliciter unum in essendo verò, & prædicando conceptus implicitus de formali se habet.

Dices, in specificando habitum conceptus implicitus de materiali se habet: ergò etiam in essendo, & prædicando.

Sed negatur conseq. Quia habitus Metaphisicæ solum respicit ens in communi secundum conceptum explicitum entis radicantis unitatem, veritatem, & bonitatem, quæ sunt passiones, quas Metaphisica demonstrat, ad quas de materiali se habet, quod principium radicandi sit substantia, vèl accidens, & ideo ad specificandam Metaphisicam de materiali se habet conceptus implicitus entis; ratio verò entis in essendo est transcendens, & intimè inclusa in quacumque differentia inferiori, & constituit cum illa unum simplicissimum conceptum, & propterea non potest ab illa pro implicito separari, sed potius illam formaliter importat implicitè, consequenterque conceptus implicitus de formali se habet in essendo, & prædicando.

Ad confirmat. autem argumenti ex eadem doctrina dicimus: conceptum objectivum entis esse analogum in essendo, & prædicando; in specificando tamen, vèl comparativè ad conceptum formalem esse simpliciter unum quia in ordine ad conceptum formalem, solum de formali se habet conceptus explicitus entis, in quo nulla diversitas explicatur; sicut objectum potentiæ visivæ in essendo, & prædicando habet tantum unitatem genericam; & tamen in esse objecti, & comparativè ad potentiam visivam unitatem specificam habet.

Sed instabis: Quia conce-

ceptus objectivus entis etiam comparativè ad conceptum formalem debet eſſe unus ſecundumquid, & analogus: ergò ſolutio nulla eſt. Probatur antec. Conceptus formalis quiditativus entis non ſolum repræſentat ens ſecundum explicitum, ſed etiam ſecundum implicitum, ſi quidem ipſum implicitum eſt etiam de eſſentia entis: ergò conceptus objectivus entis etiam comparativè ad conceptum formalem importat diverſitatem quam implicitè continet, & conſequenter analogus eſt.

Reſpondetur diſtinguendo ſecundum anteced. ſecundum implicitum ex parte rationis *quæ*, concedo ant. ex parte rationis *ſub qua*, nego ant. Quia conceptus formalis repreſentat omnia, quæ reperiuntur in ente, omnia tamen illa repræſentat ſub expreſſa ratione entis, & quatenus in illa conveniunt.

Dices: ergò intellectus per conceptum formalem non attingit diverſitatem repertam in ente. Reſpondetur ex parte rationis *ſub qua*, concedo conſeq. rationis *quæ* nego conſeq. Quia intellectus per conceptum prædictum etiam attingit prædicata implicita entis, ut inter ſe diverſa ex parte rationis *quæ*; omnia tamen illa attingit, ut convenientia in eadem ratione ſub qua, videlicèt in expreſſo entis, ſub quo repræſentantur per conceptum illum formalem, ſicut Angelus cognoſcit, ut inter ſe diſtincta ex parte rationis *quæ* extrema hujus impoſitionis: *homo eſt lapis*: ea tamen attingitur convenientia in eadem ratione ſub qua per ſpeciem Angeli repræſentantur.

Et ſi tamen inferas: ergò intellectus per conceptum ſupra dictum non cognoſcit ens ut analogum.

Reſpondetur ex parte rationis ſub qua, & per ordinem ad conceptum, concedo conſeq. ex parte rei, & per ordinem ad inferiora, nego conſeq. Quia intellectus per conceptum ſupradictum totum cognoſcit ſub ratione entis, & veri ex parte rationis *ſub qua*, verum ex parte rationis *quæ* cognoſcit ens ut analogum per ordinem ad inferiora ſua, ſicut Angelus cognoſcit extrema huius propoſitionis: *homo non eſt lapis*: ut convenientia ex parte rationis *ſub qua*, & per ordinem ad ſpeciem, & etiam cognoſcit ea ut inter ſe diſtincta, & ſecundum ultimas differentias ex parte rationis *quæ*.

Sexto arguitur: inferiora entis non ſunt illius eſſentiæ: ergò poteſt ens perfectè præſcindere ab inferioribus ſuis. Probatur antecedens primo. Poſterius non eſt de eſſentia prioris, quia nulla res eſt prior prædicatis conſtituentibus ipſam; ſed ens eſt prius omnibus inferioribus;

bus : ergo inferiora entis non sunt de illius essentia. Probatur min. Illud est prius altero, à quo ad alterum non valet subsistendi consequentia ; sed ab ente ad inferiora non valet conseq. non enim valet : est ens : ergo substantia : ergo ens est prius inferioribus suis.

Secundo probatur antecedens. Membra dividentia non sunt de essentia divisi, sicut rationale, & irrationale non sunt de essentia animalis, sed inferiora entis essentialiter dividunt eus : ergo non sunt de illius essentia.

Tertio probatur anteced. Nulla res constitui potest per oppositas differentias ; sed inferiora entis v. g. substantia, & accidens sunt opposita : ergo non possunt esse de essentia entis, & constituere ipsum.

Quarto probatur : Nulla res constitui potest per essentias adæquatè distinctas, alias esset ens per accidens, quia ens per accidens illud est, quod componitur ex pluribus essentijs; sed substantia, & accidens sunt essentiæ adæquatè distinctæ : ergo non possunt constituere ens, nec esse de essentia illius.

Respondetur ad argumentum : negando antecedens, & ad primam probationem distinguo min. prius idadæquatè acceptum, & quantum ad explicitum tantum, concedo min. adæquatè quantum ad implicitum, & explicitum, nego min. & conseq. Quia ens solum quantum ad explicitum est prius inferioribus suis, & hoc sufficit, ut non valeat conseq. ab ente ad inferiora sua ; non tamen ens est prius quoad implicitum inferioribus suis ; sed semper illa, & pro omni priori involvit implicitè.

Ad secundam probationem respondetur : Inferiora entis solum dividere ens secundum conceptum explicitum ; cumque con sint de essentia illius secundum explicitum, consequenter fit membra dividentia reduplicativè, ut talia numquam esse de essentia divisi.

Ad tertiam probationem dicimus : essentiam analogam bene posse constitui per differentias oppositas ut proportionabilitèr convenientes, cum eo ipso quod essentia analoga sit, debeat esse partim eadem, & partim diversa, & secundum rationem istam constituitur ens per substantiam, & accidens, & alias oppositas differentias.

Ad quartam probationem respondetur. Nullam essentiam posse constitui per essentias adæquatè, & omnino diversas, alias essent ens per accidens ; benè tamen posse constitui rem analogam per essentias distinctas ut proportionabilitèr convenientes in aliqua ratione communi se-

cundum explicitum illius, quo modo constituitur ens per interiora sua.

§. V.

Solvitur argumentum difficile.

TAndem contra conclusionem arguitur: Si ens includeret essentialitèr accidens non posset ipsum ens de substantia prædicari; sed hoc dicendum non est, siquidem hæc prædicatio substantia est, ens est verissima prædicatio: ergo accidens non continetur essentialitèr in ente. Probatur mai. Prædicatum essentialitèr includens id, quod repugnat subiecto, non potest de subiecto prædicari: unde hæc est falsa equus est homo, quia homo includit rationalitatem, quæ equo repugnat; sed accidens non potest convenire substantiæ per modum prædicati proprij, nec substantia potest habere rationem accidentis: ergo si ens includeret essentialitèr accidens, non posset ens de substantia prædicari.

Confirmatur: Si accidens esset verè de essentia entis, quando ens prædicatur de substantia, etiam accidens de substantia affirmaretur; sed accidens non potest de substantia prædicari: ergo accidens nequit esse de essentia entis. Prob. mai. Nam quidquid est de essentia alicuius prædicati, dicitur de omni illo, de quo dicitur prædicatum, iuxta regulam ante prædicamentalem, *cum quidpiam de quopiam prædicatur, &c.* ergo si accidens esset de entis essentia, quando ens affirmatur de substantia, etiam accidens de substantia affirmaretur.

Respondetur ad argumentum: negando mai. & ad eius probationem distinguo mai. Si tale prædicatum affirmatur de subiecto secundem implicitum, & explicitum, concedo mai. secundum explicitum, neg. mai. & conceffa min. negatur conseq. Quia ens non affirmatur de substantia secundum explicitum, & implicitum adæquatè sumptum: sed solum secundum explicitum, & implicitum entis per se: ex quo non infertur, quod etiam accidens affirmetur de substantia. In propositione vero in argumento relata, prædicatum enunciatur de subiecto secundum implicitum, & explicitum, & propterea falsa est. Præterquam quod etiam explicitum hominis repugnat equo: & ita dispar est ratio, & exemplum doctrinæ nostræ adest in essentia Divina, quæ verè affirmatur de Patre, de quo non prædicatur filiatio contenta in essentia, quia non prædicatur essentia de Patre secundum omnia, quæ continet, sed solum secun-

cundum explicitum, & absolutum essentiæ.

Sed instavis: quando animal prædicatur de homine, etiam de homine prædicantur ratio corporis, & viventis, & omnia alia, quæ implicitè continentur in animali: ergo quando ens affirmatur de substantia, etiam debent prædicari de substantia ratio accidentis, & omnia ea, quæ implicitè continentur in ente.

Respondetur negando consequent. Quia prædicata univoca adæquatè ad inferiora descendunt, & ideò descendunt etiam ea prædicata, quæ implicitè continentur in illis. Prædicata verò aealoga inadæquatæ ad inferiora descendunt, & propterea non descendunt omnia ea, quæ implicitè continentur in illis. Si autem rationem inquiras, ea est, quia ratio univoca est eadem omnino, & nullam actualitèr includit diversitatem, & propterea adæquatè ad inferiora descendit ratio autem analoga non est omninò eadem, sed partim eadem, & partim diversa, & actualitèr includit oppositas differentias, propterea que non cum omnibus illis, sed solum inadæquatè descendit, sicut essentia divina adæquate non descendit ad Patrem, & cum omni relatione, sed tantum inadæquatè, & cum sola relatione paternitatis, quæ Patri compete

te potest, ut 1. *p. quæst. 33. & 8. de Potent. art. 2.* docet Ang. Doct.

Ad confirmationem verò argumenti secundum eadem doctrinam respondemus, quod quidquid est de de essentia prædicari dicitur de omni eo, de quo dicitur prædicatum quando tale prædicatum ennuntiatur adæquatè, & adæquatè ad inferiora descendit, in quo sensu regula ante prædicamentalis intelligenda est; cæterum ens non adæquatè descendit, sed tantum inadæquatè, videlicèt secundum explicitum entis, & etiam secundum implicitum entis per se; unde non oportet, quod quando ens prædicatur de substantia, etiam accidens de substantia prædicetur.

Sed instabis primo: si doctrina tradita veta est in prædicatione ista substantia est ens, non prædicabitur de substantia ens superius ad substantiam, & accidens, sed sola pars entis, videlicèt esse per se, vel substantia, & consequenter propositio prædicta erit æqualis de æquali, siquidem erit idem ac dicere, substantia est substantia; hoc admittendum non est: ergo nulla est data solutio.

Secundo instabis: Si ens tantum inadæquatè prædicatur de substantia, tantum prædicabitur de illa secundum esse per se: sed esse per se est univocum ad

omnem substantiam saltim completam : ergo ens univocè prædicabitur de substantia.

Respondetur : distinguendo mai. ens superius pro implicito, concedo mai. pro expresso, nego mai. Quia dum ens prædicatur de substantia in propositione prædicta, prædicatur de substantia ens quantum ad explicitum commune substantiæ, & accidenti, & ideò quantum ad explicitum prædicatur ens superius, nam in conceptu explicito solum importatur esse substantiæ, & accidenti commune.

Ad secundam instantiam distinguo mai. secundum esse per se, ut significatur nomine proprio, nego mai. ut significatur nomine entis, concedo maj. & distinguo min. ut significatur nomine proprio, concedo min. nomine entis, nego min. & conseq. Quia licèt esse per se ut significatur per tale nomen sit univocum ad omnem substantiam saltim completam ; non tamen univocum est, ut significatur per hoc nomen *ens* ; eo quod in ente solum continetur, & significatur esse quatenus in eo conveniant proportionabiliter esse per se, & esse in alio, non tamen aliquid proprium substantiæ, vel accidentis, & sub hac expressione entis descendit esse per se ad substantiam, proindeque analogicè descendit, sicut animal ut significatur nomine entis implicitè, analogicè descendit quamvis ut significatur nomine proprio animalis descendit univocè.

Sed instabis : quamvis esse per se solum descendat, ut implicitè significatur nomine entis, ipsum tamen esse in ratione descendentis univocum est : ergo utrumque descendit univocè. Probatur antecedens. In ratione descendentis non importat actu aliquam diversitatem : ergo univocum est in ratione descendentis. Probatur antecedens. Ipsum ens in ratione descendentis non continet actu implicitè esse in alio, vèl accidens, sed solum esse per se, alias etiam accidens descenderet, & si non descendit, non continebitur in actu in ipso ente reduplicativè ; in ratione descendentis pro expresso etiam non dicit diversitatem : ergo ens in ratione descendentis non importat actu aliquam diversitatem, sed omnino unum, & univocum est.

Respondetur : negando duo antecedentia prima : & ad probationem distinguo antecedens : non continet ex parte rei, concedo antecedens : ex modo concipiendi, & significandi, nego antecedens. Quia licèt ens in ratione descendentis non contineat actu esse in aliquo ex parte rei, & per modum descendentis

tis; actu tamen continet ipsum ex modo concipiendi, & ex modo significandi; nam solum concipitur, & significatur sub expressione entis, in quo substantia, & accidens continentur actu implicitè, ut proportionabilitèr conveniantia, & ut talia per nomen significantur.

Sed instabis: ergò ens in ratione descendentis non continet actu accidens ex parte rei, aut rationis *quæ* descendentis ad substantiam: ergò ens in ratione descendentis non continet actu accidens ex modo concipiendi; vèl modus concipiendi erit falsus, quia concipietur in ente in ratione descendentis accidens, quod revera non descendit ad substantiam.

Respondetur, distinguendo secundum consequens. Accidens ut descendat, concedo conseq. ut in eo sit, nego conseq. Quia ens in ratione descendentis continet actu ex modo concipiendi ipsum accidens, non quidem ut descendat, quod implicat sed solum ut in ente sit, in quo accidens, & substantia proportionabilitèr actu conveniunt; & ideo modus concipiendi verus est, quia concipit accidens quod actu continetur in ente, & ita est in re, non tamen concipit accidens ut descendat in ente, in quo modus concipiendi esset falsus.

Post hæc omnia vero pos-

terat in præsenti disputare; utrum ens reale creatum per se, univocum, completum, & incomplexum adæquate dividatur in decem prædicamenta? Sed materia facilis est Logicæ notitiam habenti, & in ea nedum Philosophi, verum etiam Patres Ecclesiæ conveniunt.

Ratione autem satis probabili suaderur: quia prædicamenta sunt prædicata, quæ de prima substantia dicuntur, ad invicem ordinata, ut superius, & inferius, sed hæc prædicata sunt decem; ergò decem dantur prædicamenta. Probatur min. Nam quidquid dicitur de prima substantia, vèl prædicatur essentialitèr, vèl accidentalitèr; si primum est substantia quæ sola de se ipsa essentialitèr prædicatur; si secundum, vèl est intrinsecum substantiæ, vèl ab extrinseco sumptum, si intrinsecum, vèl respectivum est, & erit relatio, vèl absolutum est radicaliter à materia desumptum, & ita erit quantitas, vel radicalitèr consecutum ad formam, & sic erit qualitas. Si autem ab extrinseco desumatur, vèl se habet per modum principij, & sic erit habitus, vèl per modum actualitatis, & erit actio vèl per modum termini, aut receptionis in alio, & erit passio, vèl per modum mensuræ durationis, & erit quando vèl per modum mensuræ quantus

ad existendum loco absolutè, & sic est ubi aut per modum mensuræ ordinantis partes in loco, & ita erit situs. Præter quæ nulla alia poterunt assignari prædicata, quæ sint talia modo supra dicto: ergò decem; & non plura debent dari prædicata, quæ de prima substantia dicuntur ad invicem ordinata ut superius, & infetius.

LIBER SEPTIMUS.

DE PRÆDICAMENTIS, ET IN EO Quæstio prima.

DE PRÆDICAMENTO *Substantiæ.*

ARTIC. I.

Quid sit constitutivum substantiæ?

§. I.

Conditiones, ut res in prædicamento ponatur.

ARtificiosa illa dispositio, qua prædicabilia per modum superioris, & inferioris ad invicem ordinantur, dicitur prædicamentum quod propterea prædicabilium ordinatio nominatur; sicut in prædicamento substantiæ de Petro dicitur essentialiter homo, & de homine essentialiter dicitur animal, de animali vivens, de vivente corpus, de corpore substantia, & hoc idem de omni alio prædicamento, in quo omnia prædicata superiora, & inferiora actione secundæ intentio-

tionis pertinent ad Logicum, & ex illis genus ſuperiorliſimum ſupræmum inter omnia appellatur.

Aliqua tandem prædicata ponuntur directæ in prædicamento, ſicut genera, ſpecies, & individua, quæ in recta linea prædicamenti collocantur; alia verò prædicata ſolum ponuntur indirectè, vèl ad latus prædicamenti, ut differentiæ contractivæ generis, qualia ſunt rationale, & irrationale; ut autem aliquid directè in prædicamento ponatur, aliqua requiruntur.

Primum eſt: quod ſi ens creatum, limitatum, & finitum, & propterea Deus non ponitur in prædicamento ſubſtantiæ. Secundum eſt: quod ſit ens reale, nam hoc ſolum dividitur in decem prædicamenta, eo quod tractatus de prædicamentis ab Ariſt. inductus eſt, ut diſtinctè poſſimus cognoſcere entia realia, & eorum diffinitiones aſſignare.

3. Requiritur: eſſe ens per ſe, quia ens per accidens pertinet ad plura prædicamenta; ſicut corpus album, ea parte qua corpus pertinet ad prædicamentum ſubſtantiæ, & ratione albedinis ad prædicamentum qualitatis; ſi tamen accipiatur ut ſignificatur incomplexè per iſtum terminum *album* pertinet directè ad prædicamentum qualitatis, quia album de formali ſolam qualitatem ſignificat, ſubjectum verò de materiali importatur, & ſolum in obliquo, pertinet ad idem prædicamentum.

4. Requiritur: eſſe ens completum: unde entia incompleta ſicut materia, anima rationalis, punctum, & hujuſmodi, alia ſolum ponuntur ad latus prædicamenti: & tandem requiritur eſſe ens incomplexum, quia ens complexum non unam determinatam quidditatem, ſed plures quidditates ſignificat. Præterquamquod ſi complexa directè in prædicamento ponerentur, V. gr. animal rationale, bis homo poneretur in prædicamento ſubſtantiæ, una quidem ratione ſui; & ſecundo ratione diffinitionis. Ex quibus habetur ſola prædicata univoca ad prædicamentum pertinere: non autem analoga, & æquivoca; illa quidem quia non habent unitatem talem ſimpliciter, alia verò quia plures naturas important.

Inter omnia tamen prædicamenta ſola ſubſtantia, quæ perfectior eſt, principalem obtinet locum; ſubſtantia verò aliquando ſummitur pro quidditate, in quo ſenſu eſſentia cujuſcumque rei dicitur illius ſubſtantia. Aliquando autem accipitur pro entitate ſubſtantiali ab accidenti diſtincta, in quo ſenſu importat eſſe per ſe, & ab alio non dependere tanquam à ſub-

jecto inhæſionis, & etiam ſubſtentare accidentia, quæ ſoli convenit ſubſtantiæ creatæ.

Hæc tamen ſubſtantia alia eſt completa, vèl perfecta ſubſtantialitèr, ſicut homo corpus, &c. alia completa, & imperfecta, ſicut materia, vèl forma, aut modus unionis in ſententia talem modum admitente, & de utraque poterat inquiri, per quid conſtituatur in ſuo eſſe, & ab accidenti diſtincta.

Sed in hac parte primo debet eſſe certum non conſtitui per negationem eſſendi in alio, quia forma dare non poteſt eſſe ſibi oppoſitum; conſequenterque non poterit negatio dare eſſe poſitivum, vèl conſtituere ſubſtantiam, cujus eſſe poſitivum eſt.

Secundo certum eſt: Subſtantiam non conſtituit per ſubſtentare accidentia, quia prius debet eſſe ſubſtantiam eſſe in ſe ipſa, quam accidentia ſubſtentare, ſicut prius eſt rem eſſe in ſe, quam eſſe in ordine ad aliud. Inſuper etiam ſicut ſubſtantia non dependet in eſſe ab accidentibus, ità non pendet ab illis in ſui diffinitione; dependeret autem ſi conſtitueretur per ſubſtentare accidentia.

Dices: Subſtantiam dici à ſubſtando, & propterea Philoſophus ait, primam ſubſtantiam eſſe magis ſubſtantiam, quam ſecundam, eo quod prima ſubſtantia ſubſtat ſecundis ſubſtantijs, & etiam accidentia ſubſtentat; ergò ſubſtantia conſtituitur per ſubſtentare accidentia.

Sed facile reſpondetur, quod regularitèr illud, à quo nomen imponitur, non conſtituit rem ſignificatam per nomen ſicut lapis dicitur à lædendo pedem, & tamen non conſtituitur per læſionem pedis. Quapropter licet ſubſtantia dicatur à ſubſtando, non tamen per hoc conſtituenda eſt, Philoſophus vero ſolum intendit primam ſubſtantiam eſſe magis ſubſtantiam quantum ad originem nominis; non autem quantum ad rem ſignificatam per nomen.

Viteriùs habemus non recte diffiniri ſubſtantiam per eſſe *quidditatem rei, qua durante, res durat, & qua deficiente, res formalitèr deficit.* Et ratio eſt, quia ſi ſic bene diffinitur, quæcumque res erit ſubſtantia, nam durante eſſentia rei, durat quæcumque res, & deficiente, deficit formalitèr.

Deinde habetur non rectè diffiniri ſubſtantiam per eſſe *ens primo intentum à natura.* Alias individua non eſſent vetè ſubſtantiæ, nam per ſe primo

non

non sunt à natura intenta. Præterquam quod causa efficiens per se primò intendit, quod per se primo intenta prius supponitur constituta.

Tandem constat: Non benè diffiniri substantiam per *ens non distinctum adæquatè à supposito*, alias compositum accidentale esset substantia, quia suppositum necessario includit, & consequentèr ab eo non distinguitur adæquatè, & ideò his omnibus omissis cum communi doctrina defendimus substantiam constitui debere per esse, per se, vèl per se subsistere independentèr ab alio ut à subjecto substentante, non quidem formalitèr, sed exactivè, id est, per illud prædicatum, cui debetur esse per se, & hæc est.

§. II.

Nostra Conclusio.

ET probatur. Quia substantialitèr existere est existere per se, & independenter ab alio ut à subjecto substentante; sed constitutivum substantiæ debet esse substantialitèr existere: ergò debet esse existere per se. Probatur minor. Constitutivum substantiæ debet esse per existere exactivè; nam omne ens constituitur per ordinem ad existentiam; sed constitutivum substantiæ non potest esse existere indeterminatè, vèl accidentalitèr existere: ergò debet esse existere substantialitèr.

Confirmatur, & explicatur: quia constitutivum accidentis, est exigentia existendi dependentèr ab alio: ergò constitutivum substantiæ debet esse exigentia existendi per se, nam hæc duo oppositò modo constituenda sunt.

Urgetur: Quia constitutivum substantiæ debet illam per se primo ab accidenti distinguere; sed non potest dari aliud per se primo distinctivum substantiæ ab accidenti, quam exigentia existendi per se, ut constat ex supradictis: ergò exigentia prædicta debet esse constitutiva substantiæ.

Sed instabis: quia suppositum est formalitèr substantia; & tamen non debetur illi existentia per se; sed illam habet formalitèr, & per eam constituitur: ergò.

Respondetur: suppositò deberi existentiam per se, non quidem debito Physico fundato in carentia existentiæ, sed debito Logico fundato in necessitate existendi, quam necessario habet suppositum, sicut propter simi-

lem

lem necessitatem Deus dicitur substantia, quamvis existentia carere non possit.

Dices secundo: formam substantialem esse in alio, videlicèt in materia; & tamen esse substantiam: ergò non bene diffinitur substantia per existere per se.

Sed facile dicitur: formam esse in materia tanquam in subjecto informationis, & per modum partis constituentis cum materia ens per se, constitutivum vero substantiæ non esse per se existere independenter ab alio, ut à subjecto informationis, sed solum ut à subjecto inhæsionis.

Addo: Formam per se existere ut quo, quatenus constituit exactivè rem per se existentem, quamvis non existat ut quod.

Et si dicas: Materia neque ut quo existere posse, siquidem non est forma etiam constitutiva rei, cui debetur existentia.

Facile respondetur: Materiam etiam constituere rem per modum partis materialis, & ideo existere ut quo per existentiam compositi, per quam mediatè, & ex consequenti, compositi partes existunt. In quo similiter sensu modus unionis, subsistentia, & existentia existunt ut quò, quatenus per omnia hæc constituitur compositum substantialitèr constitutum in esse.

Dices: ergò in diffinitione substantiæ existere per se debet intelligi, vèl ut quo, vel ut quod, hoc autem potius erit divisio substantiæ, quam illius diffinitio.

Respondetur: quod cum in præsenti diffiniatur substantia abstrahens à completa, & incompleta, non est inconveniens quod in diffinitione communi ad utramque virtualitèr includatur divisio per modos diversos existendi, sicut ens in communi bene diffinitur per ordinem ad existentiam, in qua diffinitione virtualitèr includitur divisio per existentiam à se, vèl ab alio, quia etiam ipsum ens in communi dividitur in ens à se, vèl ab alio.

Dices: Tandem contra conclusionem prædictam, quod existere per se convenit accidenti, siquidem accidentia in Sacramento Eucharistiæ per se existunt sine aliquo subjecto: ergò nequit esse constitutivum substantiæ.

Respondetur: Accidentia posse existere per se præternaturalitèr, & ab extrinseco, quatenus Deus potest illa sine subjecto conservare, supplendo concursum conservativum substantiæ in genere causæ efficientis, vèl communicando modum intrinsecum, non per se ab illis exac-

exactum, sed ab extrinseco provenientem; substantiam vero per se, & ab intrinseco exigere modum existendi per se.

ARTIC. II.

De Divisione, & Proprietate substantiæ.

§. I.

Substantiæ divisiones explicantur.

SUbstantia prædicamentalis completa directè in prædicamento ponibilis in primam, & secundam dividitur: prima substantia ea est, quæ nec de subjecto dicitur, nec in subjecto est, sicut Petrus, aut hic homo: qui nec est in subjecto, nec de subjecto per modum superioris prædicatur. Secunda vero substantia dicuntur genera, & species, sicut corpus, & animal: undè divisum hujus divisionis non est substantia completa, quatenus genus est, aut secundo intentionaliter sumpta, sed solum primo intentionaliter accepta, & quatenus communis est ad genera, species, & individua; est tamen divisio prædicta accidentalis, & subjecti in accidentia rationis, videlicèt in substantiam universalem, & singularem, sed a sequela est divisio, eo quod nulla est dabilis substantia, quæ singularis, vel universalis non sit.

Et si dicas: quod secunda substantia prædicatur de Prima ut in hac propositione Petrus est homo: ergò membra divisionis oppositionem non habent.

Respondetur: Secundam substantiam materialiter, & primo intentionaliter sumptam prædicari de prima, ut in propositione prædicta; non tamen secundo intentionaliter acceptam, vel considerata pro formali, nam hæc propositio, prima substantia est secunda, falsa est, undè membra sumpta formaliter ad invicem opponuntur.

Secundo instabis: Divisum hujus divisionis esse substantiam completam in communi, sed hæc, cum sit genus, est secunda substantia: ergò divisum prædictæ divisionis continetur sub aliquo ex membris dividentibus, & consequenter divisio bona non est.

Sed facile respondetur; Divisum essentialiter considerata abstrahere à prima, & à secunda substantia, & solum accidentaliter, aut denominativè ob secundam substantiam, quatenus denominatur ab intentione universalis, ita solum accidentaliter contineri sub aliquo membro dividente, quod non implicat, sicut terminos in univocum, & equivocum dividitur

&

& tamen terminus sic divisus univocè dividitur, & univocus denominatur, & denominativè sub membro dividente continetur.

§. II.

Substantiæ proprietates assignantur.

SUbstantia: ergò suas habet proprietates, quarum prima est, quod prima substantia significat hoc aliquid, quamvis hoc non sit proprium quarto modo, nam etiam individua accidentali hoc aliquid significant, licèt non per modum entis simpliciter, ut prima substantia. Secunda verò substantia significat quale quid, eo quod prædicatur de prima per modum superioris, & de ratione prædicati est esse formam subjecti, de ratione vero formæ est subjectum qualificare, quod utique non est proprium quarto modo, quia etiam prædicata superiora accidentis significant quale quid.

Secunda proprietas est, nihil esse contrarium substantiæ, nam contraria sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subjecto mutuo se expellunt, & una substantia non expellit aliam à subjecto, siquidem substantia in subjecto non est. Et insuper substantia est subjectum contrariorum; unum verò contrarium non est subjectum alterius; debet tamen intelligi de contrarietate vera non de lata comprehendente quamlibet oppositionem, quia substantiæ v. gr. formæ substantiali privativè opponitur formæ carentia: hæc autem contrarietas explicata non est propria quarto modo, quia etiam quantitati determinativè; v. gr. vicubitæ nulla alia contrariatur.

Dices: Elementa esse substantias, & tamen ignem, & aquam contrari: ergò.

Respondetur: Contrariari ratione qualitatum, & quia qualitates contrarias habent.

Tertia proprietas est substantiam non suscipere magis, & minus, quia non est in subjecto; in quo possit intendi, & remitti, quod etiam quantitati convenit, quæ potest augeri, & diminui, sed non potest remiti, & intendi.

Dices: Unam substantiam esse altera perfectiorem. Sed revera hoc solum probat suscipere magis, & minus in essentiali perfectione; non tamen in intensione graduali, de qua loquimur in præsenti.

Quæ-

Quarta proprietas est, solam substantiam esse receptivam contrariorum, quia sola potest recipere accidentia contraria, quod utique verum est de substantia corruptibili, quæ semper, & sola hoc habet, non tamen de Deo, Cœlo, & Angelis, quamvis etiam possit dici, Cœlum habere motum naturalem, & motum aliquo modo violentum, & Angelum etiam habere scientiam, & errorem, quæ contraria sunt, & si non disponant ad subiecti corruptionem.

Dices: Recipere contraria, per se primo solum competere primæ substantiæ, non verò secundæ, nam ideò homo est albus, quia Petrus est albus: ergo prædicta proprietas non competit omni substantiæ etiam corruptibili.

Respondetur tamen recipere in exercitio, per se primo convenire individuis, in quibus exercentur contraria; aptitudinem tamen ad recipiendum contraria primo convenire speciebus, nam ideò Petrus potest contraria recipere, quia homo illa recipere potest. Verum proprietas substantiæ abstrahentis est recipere contraria per se primo, vel secundo.

Dices iterum: eamdem propositionem transire posse de vera in falsam, nam hæc oratio, Petrus currit, est vera, Petro currente, & illo non currente, falsa; sed verum, & falsum sunt contraria: ergo convenit alijs à substantia contraria recipere.

Respondetur tamen: substantiam recipere contraria cum intrinseca mutatione amittendo aliquid intrinsecum, & aliud de novo adquirendo, quo modo non convenit propositioni, quæ tantum recipit verum, & falsum absque intrinseca mutatione per solam extrinsecam mutationem objecti. Sed verius est in doctrina Div. Thom. prædictam propositionem non posse esse eamdem entitativè, sicut eadem entitativè substantia recipit prædicata contraria.

Tandem instabis: Virtutes, & vitia contrariari; & tamen non recipiuntur immediatè in substantia, sed solum in potentijs animæ. Et quantitas in Sacramento Eucharistiæ recipit calorem, & frigus: ergo contraria recipere, convenit alijs à substantia.

Respondetur tamen: Virtutes, & vitia solum recipi in potentijs tanquam in subiecto *quo*; subiectum verò quod esse solum substantiam, & hoc esse proprium illius. Quantitas autem in Sacramento solum ab extrinseco, & ex suppositione miraculi habet contraria recipere, sed substantia hoc ab im-

intrinseco: & ex propria natura habent.

ARTIC. III.

Utrùm Deus ponatur in prædicamento substantiæ.

§. I.

Quibusdam suppositis statuitur nostra conclusio.

AD intelligentiam istius difficultatis primò supponendum est. Omnes substantias completas finitas, & limitatas in prædicamento substantiæ collocari, quia genus generalissimum videlicèt substantia completa, finita, & limitata de omnibus prædicatur, etiam de Cœlo, & de Angelica substantia, & consequentèr omnia hæc sub tali generenti conentur, & in eius prædicamento ponuntur.

Et si dicas: Corpora Cœlestia non convenire genericè cum substantia sublunari, ficut 11. Metaph. *text.* 26. docuit Aristot. & consequentèr in prædicamento non poni, nam omnia, quæ in prædicamento ponuntur debent convenire genericè.

Respondetur: Omnes substantias completas convenire in eodem genere Logico, id. est, in ratione communi substantiæ completæ, quod satis est, ut in prædicamento ponantur. Philosophum autem solum intendere corpora cœlestia differre genere Physico à substantia sublunari, quatenus in illis materia est diversæ conditionis, & specificè distincta, & materia se habet ut genus physicum, qua ratione etiam Angeli materia carentes genere Physico à rebus materialibus distinguuntur.

Secundo præmittendum est contra Scotum, & Durandum Christum D. absolutè in prædicamento substantiæ collocari, siquidem componitur ex genere, & differentia, & univocè convenit cum cæteris hominibus, & ita sicut omnia alia individua humana ponitur Christus in prædicamento substantiæ

Sed instabis: Genus generalissimum prædicti prædicamenti, videlicèt substantiam completam creatam, non prædicari absolutè de Christo, nam hæc propositio Christus est creatura absolutè prolata est falsa: ergo Christus absolutè non ponitur in prædicamento substantiæ.

Sed negatur conseq. Quia ut Christus absolutè ponatur in prædicamento, necessarium non est genus generalissimum absolutè prædicari de Christo, sed satis est cum addito prædicari, & ratione alicuius formæ, sicut prædi-

dicatur de Christo ratione humanitatis.

Sed instabis : Quia sicut Christus non est creatura in quantum Deus, sed in quantum Homo; ita non in quantum Deus, sed in quantum homo ponitur in prædicamento substantiæ, sed quia non est creatura in quantum Deus, hæc propositio, Christus est creatura, absolutè est falsa: ergo quia non ponitur in prædicamento in quantum Deus erit absolutè falsa propositio affirmans Christum poni in prædicamento substantiæ.

Respondetur distinguendo minor, & quia prædicatum creaturæ indifferens est ad naturam, & suppositum, concedo minor. Ideò præcisè, nego min. & conseq. Quia prædicatum creaturæ indifferens est ad suppositò, & naturam, & quia suppositio Christi convenire non potest, propositio est falsa absolutè; sed poni in prædicamento est verbum appellativum, & applicat suum significatum supra formam, vèl naturam ratione cuius convenire potest, & ideò appellat naturam humanam ratione cuius Christus capax est, ut in prædicamento ponatur, propterea-que illa propositio, Christus ponitur in prædicamento substantiæ absolutè vera est.

Tandem supponimus, Deum non posse poni in prædicamento accidentis, quia Deus non est accidens, neque accidentia substentat, & etiam non esse genus generalissimum prædicamenti substantiæ, quia non prædicatur in recto de omni substantia completa; an verò contineatur sub tali genere, & ut sic in prædicamento ponatur? Præsens difficultas est; in qua affirmant plurimi extra Scolam D. Th. sed negant omnes Thomistæ cum Angelic. Doct. Cum quibus sit.

§. II.

Nostra conclusio.

COnclusionem istam Magister Vazquez sic persuadere connatur: quidquid ponitur in prædicamento, ut contentum sub genere generalissimo, debet genericè convenire cum omnibus alijs ejusdem prædicamenti; sed Deus non potest genericè convenire cum alijs rebus prædicamenti substantiæ, eo quod propter excessum, quem habet supra substantias creatas non potest genericè convenire cum illis: ergo non poterit collocari in prædicamento substantiæ. Qua ratione affirmat Vazquez conclu-

cluſionem eſſe probandam, rationem verò Div. Thom. repugnare, videlicèt, Deo compoſitionem ex genere, & differentia aſſerit eſſe falſam, & hoc idem de aliis rationibus Sanctiſſimi Præceptoris affirmat.

Intrepide tamen procedit, & vera non loquitur; quia ut ratio prædicti Magiſt. vera ſit, debet eſſe vera ratio Angelic. Præceptoris: ergo vèl ratio Div. Thom. vera eſt, vèl ratio Vazquetij vera eſſe non poteſt. Probatur antecedens. Ut Deus non poſsit convenire in genere cum alijs (quæ eſt ratio Vazquetij) neceſſum eſt quod Deo repugnet compoſitio ex genere, & differentia vèl quod Deus non poſsit ex genere, & differentia componi (quæ eſt ratio Div. Thom.) nam ſi Deus poſſet habere genus conveniret cum alijs in genere: ergo vèl ratio D. Thom. vera eſt, vèl ratio Vazquetij vera eſſe non poteſt. Sed quidquid de hoc ſit.

Probatur efficacitèr concluſio noſtra ratione: Nam quidquid ponitur in prædicamento debet eſſe compoſitum ex genere, & differentia præter genus generaliſsimum, quod ſupra ſe non habet alterum genus; ſed Deus componi non poteſt ex genere, & differentia: ergo non poteſt poni in prædicamento ſubſtantiæ. Probatur min. Prædicta compoſitio requirit unum nonceptum eſſe in potentia ad alterum; ſed potentialitas, & determinabilitas omni divino prædicato repugnat, ſiquidem potentialitas opponitur cum ratione actus puri, quæ omni Divino prædicato communis eſt: ergo Deus componi non poteſt ex genere, & differentia. Minor. cum conſeq. conſtat. Et maj. probatur primo. Quia genus ex concepto proprio eſt in potentia ad differentias, & per illas determinatur: ergo prædicta compoſitio ex genere, & differentia requirit unum conceptum eſſe ad alterum in potentia, & per illum determinari.

Secundo probatur maj. Vera compoſitio eſſentialitèr requirit veram, & rigoroſam potentiam, & verum actum potentiam determinantem; ſed compoſitio ex genere, & differentia vera compoſitio eſt: ergo requirit unum conceptum eſſe ad alterum in potentia, & per illum determinari.

Tertio probatur maior. Compoſitio ex genere, & differentia requirit neceſſario unum conceptum non continere etiam implicitè alium, quia genus eſt extra conceptum differentiæ, alias non præſcinderet perfectè ab illa, & differentia ſimi-

militèr est extra conceptum generis, in doctrina Arist. ita: ergo prædicta compositio necessario requirit unum conceptum esse in potentia ad alterum, & per alium determinari.

Respondebis: Ad rationem generis satis esse, quod sit potentiale ex parte modi concipiendi, aut ex parte nostri intellectus; non tamen requiri, potentiale esse ex parte objecti, vèl ex parte rei conceptæ; potentialitas autem ex parte nostri intellectus cum summa actualitate ex parte objecti, Deo repugnare non potest.

Sed contra est: Quia genus debet esse Metaphysicè, & essentialitèr potentiale, siquidem ex genere, & differentia, resultat Methaphysica compositio, quæ necessario requirit, genus esse Metaphysicè potentiale, & differentiam Methaphysicè actualem, & determinantem genus: sed prædicatum Metaphysicè, & essentialitèr potentiale non est tale solum ex parte nostri intellectus, sed etiam ex parte objecti: ergo genus etiam ex parte objecti verè potentiale est.

Secundo reijcitur: Prædicatum potentiale solum ex parte intellectus, non tamen ex parte objecti, præscindit à differentia, sed genus non solum ex parte intellectus, sed etiam ex parte objecti à differentia præscindit; ergo non solum est potentiale ex parte intellectus, sed etiam ex parte objecti.

Dices: Præscindere ex parte objecti solum quantum ad explicitum; implicitè tamen includere differentias, & ideo ex parte objecti vere potentiale non est.

Sed contra: Quia si genus pro implicito includeret differentias, actu contineret illas, & consequenter non esset prædicatum univocum, qua ratione ens non est prædicatum univocum, quia licèt non exprimat differentias, illas tamen includit implicitè: ergo genus non erit genus, quia ut genus sit, debet, esse prædicatum univocum.

Secundo prob. conclusio. Quia quidquid ponitur in prædicamento debet esse limitatum, & finitum, siquidem claudituir terminis, eo quod omne prædicamentum determinatis terminis comprehenditur: ergo Dus infinitus non potest in prædicamento poni.

Respondet Vazquez: Quod ut aliqua res in prædicamento ponatur necessarium non est, quod limitata sit, sed sufficit genus generalissimum de illa prædicari.

Sed contra: quia quod continet perfectionem unius generis & excludit à proprio conceptu perfectiones aliorum generum, finitum, & limitatum est; sed

sed quod ponitur sub genere determinati prædicamenti, solum continet perfectiones illius prædicamenti, aliorum tamen prædicamentorum perfectiones excludit à proprio conceptu: ergo debet esse limitatum, & finitum. Probatur minor. Nam genus generalissimum prædicari non potest de illo, quod continet perfectiones aliorum generum: ergo quod ponitur sub genere generalissimo alicuius prædicamenti, solum continet perfectiones talis generis Probatur antecedens. Quidquid continet prædicatum inferius, continetur etiam in potentia generis suprèmi; sed genus suprèmum minimè potest perfectiones aliorum generum continere, alias prædicaretur de omni alio prædicamento, ac proinde substantia prædicaretur de quantitate, & relatione: ergo genus generalissimum prædicari non potest de illo, quod continet aliorum generum perfectiones.

§. III.

Solvuntur argumenta.

COntra conclusionem poterat in primis argui ex August. 5. de Trinit. *cap.* 9. afferente: quædam prædicamenta substantiam, videlicèt; relationem, & actionem propriè dici de Deo: ergo Deus ponitur in illis prædicamentis.

Respondetur tamen: Talia prædicamenta propriè dici de Deo per analogam convenientiam, quia ratio significata per hæc prædicamenta propriè, quamvis analogicè de Deo prædicatur, nam Deus propriè est substantia, & relatio, divina propriè est relatio, & propriè convenit cum creata analogicè analogia proportionalitatis: alia autem prædicamenta impropriè, & metaphoricè de Deo dicuntur; Deus namque solum impropriè est quantus, & qualis, sicut amenitas prati impropriè dicitur risus.

Secundo arguitur: quia Christus ponitur in prædicamento substantiæ, sed Christus est Deus: ergo Deus ponitur in prædicamento substantiæ.

Sed negatur conseq. Quia variatur appellatio, nam in minori verificatur esse Deum de Christo ratione suppositi, in maiori vero poni in prædicamento ratione naturæ humanæ, nam poni in prædicamento est prædicatum secundæ intentionis, & appellat supra naturam humanam, ratione cuius Christus est capax ut in

prę-

prædicamento po natur. In consequenti vero, poni in prædicamento appellat supra naturam Diuinam.

Tertio arguitur : Sicut Deus est purus actus, ita materia est pura potentia ; & tamen materia componitur ex genere, & differentia : ergo etiam Deus: & consequenter erit in prædicamento.

Confirmatur : sicut Deus non est Physicè compositus, ita nec materia ; & tamen illa componitur Metaphysicè ex genere, & differentia : ergo.

Respondetur : negando mai. ly *sicut* in omnibus parificante; quia Deus non solum Physicè, sed etiam Logicè est purus actus, & omnem Logicam potentialitatem excludit ; materia vero solum Physicè pura potentia est.

Ad confirmationem negatur etiam mai. Quia materia Physicè, quamvis non sit composita ut quod, & ex partibus præcedentibus ; est tamen composita ut quo, vel extremum Physicæ compositionis, sicut subsistentia, & subsistentia, & hujusmodi alia : Deus autem, nec ut quo compositus est.

Dices : Deum etiam esse extremum compositionis resultantis ex natura humana, & personalitate Divini verbi ; nam Christus est persona composita est Civina subsistentia ; & humana natura : ergo Deus etiam est compositus ut quo.

Respondetur : Deum esse extremum compositionis eminenter continens quidquid in alio extremo reperitur, & non recipit, nec recipitur in alio sed purè terminat ipsum, & ideò non est potentiale, & ad compositionem per se ordinatum, sed actus purissimus est; quod quidem de alia parte Physica non est verum.

Quarto arguitur : Voluntas Divina pro priori ad Divinam volitionem concipitur in potentia ad illam, & per ipsam determinabilis, nam quæcumque potentia per actum determinatur ergo non repugnat, unum prædicatum Divinum concipi in potentia ad alterum; consequenterque non repugnabit, Deum esse compositum ex prædicato determinabili, & alio determinatè; ac proinde in prædicamento poni.

Respondetur : distinguendo anteced. In potentia dialectica, concedo antecedens: Logica, nego antec. Quia licet pro illo priori non exprimat volitionem, illam tamen includit implicitè, cum qua inclusione non compatitur Logica potentialitas.

Sed instabis primo : Quia ens solum quantum ad explicitum concipitur ut potentiale in ordine ad differentias ; & tamen

verè potentiale eſt: ergo inclusio implicita actus non tollit veram potentialitatem ad ipsum.

Secundo inſtabis: prædicatum aliquod intelligi potentiale eſt intelligi ſine actu, & cum capacitate ad illum habendum; ſic intelligitur divina voluntas propriori ad volitionem: ergo verè potentialis eſt.

Reſpondetur ad primam diſtinguendo conſequens: inclusio implicita in potentialitate fundata, concedo conſeq. in ſumma actualitate, nego conſeq. Quia ens includere implicitè differentias, provenit ex illius universalitate, & generali transcendentia, & ideò provenit ex maxima potentialitate entis; proindeque talis inclusio veram potentialitatem non tollit; voluntas verò Divina, quia actus purus eſt, & ſummè actualis, volitionem includit, & ideò diſpar eſt actio.

Ad ſecundam diſtinguo maj. ſine actu quoad implicitum, concedit maj. quoad explicitum ſolum, nego maj. & ſic intelligitur Divina voluntas propriori ad volitionem divinam, quam tamen includit in ſuſione proveniente ex perfectione voluntatis; non verò ex illius imperfectione, ſicut contingit inclusione modorum in ipſo conceptu entis.

Dices: ergo Divina voluntas concipitur ut potentialis ſaltim quantum ad explicitum, ſicut conciperetur, ut potentialis quantum ad implicitum, ſi pro implicito non includeret volitionem.

Reſpondetur: Nullum eſſe inconveniens, voluntatem concipi, ut potentialem ſolum quantum ad explicitum quia hæc potentialitas dialectica eſt, quæ ſummam actualitatem non tollit.

Secundo dicimus: Conſequentiam non eſſe bonam, ſi de vera potentialitate intelligatur, quia potentialitas vera conſiſtit in carentia actus cum debito habendi illum, & explicare volitionem non debetur voluntati; eo quod Divina voluntas propter ſuam eminentiam non poteſt ab intellectu noſtro per unum conceptum exprimi ſecundum omnia, quæ habent; continere verò pro implicito volitionem debetur voluntati Divinæ ex conceptu actus puri, & ideò ſi non contineret illam implicitè, eſſet verè potentialis ad illam.

Quinto arguitur: Non repugnat Deo compoſitio ex genere, & differentia: ergo non repugnat illi in prædicamento collocari. Probatur antecedens primo. Non repugnat Deo univoca convenientia cum creaturis in aliquo prædi-

dicato, siquidem scibilitas univocè prædicatur de creata, & increata, nam utraque simplicitèr talis est: ergo non repugnat Deo cōpositio ex genere, & differentia.

Secundo probatur antecedens. Sicut Deus est summè unus; ita est summæ simplex sed summæ illius simplicitati non repugnat distinctio rationis, quæ verè reperitur inter attributa Divina: ergo nec unitati Divinæ repugnavit compositio rationis ex genere, & differentia.

Ad argumentum respondent aliqui: Scibilitatem esse univocam ad creatam, & increatam, & Deum esse compositum ex genere, & differentia in ratione scibilis, quod satis non est, ut Deus in prædicamento ponatur; eo quod prædicamenta sunt modi entis, & ita ut aliquid in prædicamento ponatur, debet esse compositum non solum in genere scibilis, sed etiam in genere entis.

Sed contra: Nam ideò Deus non est compositus in genere entis, quia in tali genere est actus purus, & omnem veram potentialitatem excludit; sed etiam in genere scibilis est actus purus, ut per se manifestum est, cum esse actum purum sit proprium omnis prædicati Divini: ergo etiam in genere scibilis non poterit ex genere, & differentia componi. Quapropter,

Respondetur aliter: Scibilitatem esse analogam ad creatam, & increatam, eo quodquamvis scibilitas creata sit talis simplicitèr absolutè, comparativè tamen ad Divinam est talis secundum quid, sicut substantia creata est talis secundum quid comparativè ad divinam, & propterea sicut substantia inæqualitèr participatur à creata, & à Divina, ita scibilitas inæqualitèr participatur à Divina, & à creata, inæqualis autem participatio rationis communis sufficit ad analogiam.

Et si dicas: Deum, & creaturam univocè convenire in ratione scibilis per habitum Metaphysicæ, & consequenter scibilitatem esse univocam ad Deum, & creaturam.

Respondetur: Univocè convenire in specificando, & comparativè ad habitum; non tamen in essendo, & prædicando, quod erat necessarium, ut Deus componeretur ex genere, & differentia; nam ratio generica debet esse talis in essendo, & prædicando, vèl in ordine ad inferiora: qua ratione ens non est genus ad omnia prædicamenta, quia licèt in specificando, comparativè ad intellectum sit univocum; in ordine tamen ad inferiora analogum est.

Ad secundam probationem principalis antecedentis respon-

detur : diſtinguendo min. Diſtinctio pennès implicitum, & explicitum, concedo min. excludentis, & excluſi, nego min. & conſeq. Quia nos balbutiendo ut poſſumus, excelſa Dei reſonamus, & ideò per unum conceptum exprimimus miſericordiam, & per alium conceptum explicitè concipimus Divinam Juſtitiam; eo quod per unum conceptum non poſſumus exprimere omnia Divina : undè diſtinctio pennès implicitum, & explicitum, quam formamus, provenit ab eminentia Dei, & illius unitate, per quam unitiſsimè continet omnem perfectionem poſsibilem. Propterea que diſtinctio prædicta non opponitur cum ſumma Dei unitate; ſed diſtinctio excludentis, & excluſi, quæ requiritur ad compoſitionem ex genere, & differentia fundatur in vera, potentialitate objecti, & ideò tollit ſummam eius ſimplicitatem.

Sed inſtabis primo : Quia diſtinctio reperta inter attributa Divina eſt diſtinctio excludentis, & excluſi : ergo ſufficit, ut Deus componatur ex genere, & differentia. Probatur antecedens. Dictio prædictæ ſupponit fundamentum in re : ergo eſt diſtinctio excludentis, & excluſi, quia ſi eſſet ſolum pennès explicitum ſolum, ſe haberet ex parte noſtri intellectus.

Secundo inſtabis : Quia animal eſt verum genus ad hominem, & equum : & tamen ſolum pro explicito diſtinguitur ab illorum differentijs, ſiquidem realiter identificatur cum illis : ergo diſtinctio pennès implicitum, & explicitum ſufficit etiam, ut Deus componatur ex genere, & differentia.

Tertio inſtabis : quia compoſitio eſt diſtinctorum unio, & conſequenter unio diſtinctorum per rationem erit compoſitio rationis; ſed inter prædicata Divina datur unio diſtinctorum per rationem, ſiquidem attributa Divina diſtinguuntur ab eſſentia, & inter ſe, & aliundè ſunt ad invicem unita: ergo in Deo dabitur vera compoſitio rationis, quæ alia eſſe non poteſt, quam ex genere, & differentia.

Reſpondetur ad primam negando antecedens, & ad eius probationem diſtinguo antecedens. Fundamentum eminentiæ, & exceſſus, concedo antecedens: exclusionis virtualis, nego antecedens. Quia fundamentum prædictæ diſtinctionis nō eſt excluſio unius conceptus ab alio, quæ repugnat cum ratione actus puri, ſed ſolum eſt Divina eminentia, quæ unico concepto non poteſt à viatoribus adæquari, & hoc fundamentum ſufficit ut diſtinctio prædicta, unicè non ſe habeat ex parte noſtri intellectus.

Ad

Ad ſecundam inſtantiam reſpondetur: Animal realiter identificari cum differentijs, & ita eſſe idem cum illis in eſſe rei; non tamen in eſſe obiecti, quia nulla differentia eſt de eſſentia animalis, nec implicitè continetur in illo.

Ad tertiam replicam reſpondetur diſtinguendo mai. erit compoſitio juxta conditionem diſtinctionis, concedo mai. ultra illam, nego mai. Quia iuxta qualitatem diſtinctionis debet eſſe compoſitio, & cum prædicata Divina ſolum differant pennès implicitum, & explicitum, ſolum poterit inter illa reperiri compoſitio rationis dialectica; non tamen compoſitio Metaphyſica, & rigoroſa, quæ ſola eſt talis ſimpliciter, & ad quam neceſſaria eſt vera diſtinctio excludentis, & excluſi.

Et ſi dicas: veram diſtinctionem unitorum eſſe compoſitionem veram; ſed diſtinctio pennès implicitum, & explicitum inter Divina attributa eſt vera diſtinctio rationis: ergo ſufficit hæc ad veram compoſitionem.

Reſpondetur: negando maiorem univerſaliter intellectam. Quia ad veram compoſitionem non ſufficit quæcumque diſtinctio, ſed ultra requiritur diſtinctio, ratione cuius unus conceptus ſe habeat ut vera potentia ad alterum, & ad hoc diſtinctio vera excludentis, & excluſi neceſſaria eſt.

§. Ultimus.

Corollarium ex dictis.

EX dictis in articuli diſcurſu colligitur: Deum reque reductivè poni in prædicamento ſubſtantiæ, quia quod ponitur reductivè in aliquo prædicamento debet pertinere ad ipſum, ſicut motus ad prædicamentum ſui termini, quod repugnat Deo, qui non poteſt eſſe aliquid viale, qualis eſt motus: vèl pertinere debet, ſicut privatio ad prædicamentum habitus; aut ſicut potentia ad prædicamentum actus: vèl ſicut actus ad prædicamentum potentiæ, qualiter exiſtentia reducitur ad prædicamentum eſſentiæ: vèl ſicut principium ad principiatum, qualiter unitas pertinet ad quantitatem diſcretam, & punctum indiviſibile ad quantitatem continuam, quæ omnia Deo repugnant.

Urgetur: Nam quod reductivè pertinet ad aliquod prædicamentum reducitur ad aliud, quod directè in prædicamento ponitur, & indiget illius conſortio, conſequenterque debet eſſe aliquid in completum, quod etiam Deo repugnat.

Dices: Deum eſſe principium cuiuſcumque ſubſtantiæ, ac proinde pertinere ad prædicamentum ſubſtantiæ, tanquam illius principium.

Sed contra: quia quod pertinet ad aliquod prædicamentum non ſe extendit ultra ipſum, nec eſt principium alterius; ſed Deus ad nullum prædicamentum coartatur: ergo pertinere non poteſt ad prædicamentum ſubſtantiæ, tanquam illius principium.

Inſtabis: D. Thom. *quæſt.* 7. de Potent. *artic.* 3. affirmare, Deum eſſe in genere ſubſtantiæ per reductionem, ſicut principium, & ſicut punctum eſt in genere quantitatis continuæ: ergo Deus reductivè pertinet ad ſubſtantiæ prædicamentum.

Reſpondent aliqui Div. Th. 1. *p. q.* 3. *art.* 5. retractaſſe talem ſententiam: verum quia Div. Thom. ibi mentionem non facit prædictæ retractationis, ſicut facere conſuevit; ubi aliquam ſententiam retractat, propterea.

Reſpondetur aliter: Div. Thom. non ſentire Deum poni reductivè in prædicamento aliquo, ſed ſolum impropriè, & ſe habere ſicut punctum quantum ad rationem principij, quatenus Deus eſt principium cuiuſcumque prædicamenti, & ut tale licèt impropriè, & extrinſecè pertinet ad omnia prædicamenta, ad nullum tamen verè pertinet, qui ad nullum coartatur. Quam ſolutionem expreſsis verbis in 1. *diſt.* 8. *quæſt.* 9. *art.* 2. *ad* 3. habet Angel. Doct.

Secundo inſtabis: Subſiſtentia Chriſti D. pettinet reductivè ad prædicamentum ſubſtantiæ: ergo etiam ipſe Deus, quia ſubſiſtentia Chriſti eſt verè prædicatum divinum. Probatur antecedens. Quia ſubſiſtentia Chriſti facit quidquid faceret ſubſiſtentia creata, & hæc verè pertinet ad prædicamentum ſubſtantiæ. Inſuper etiam ſubſiſtentia reducitur ad prædicamentum naturæ, quam terminat, & natura humana Chriſti pertinet ad prædicamentum ſubſtantiæ: ergo ant. verum eſt.

Reſpondetur tamen: Subſiſtentiam Divinam facere, quidquid faceret creata, ſublatis imperfectionibus, ex quibus una eſt ad prædicamentum coarctari, & ideò hoc negamus Divinæ ſubſiſtentiæ. Et ultra ſubſiſtentia creata eſt modus incompletus per ſe ordinatus ad naturam, quam terminat, quod tamen non habet divina ſubſiſtentia, & ideò non reducitur ad prædicamentum naturæ, quam terminat.

QUÆST. II.

De Prædicamento Quantitatis.

ARTICULUS I.

Quodnam sit constitutivum quantitatis?

§. I.

Quibusdam præsuppositis statuitur conclusio.

PRÆMITTENDUM est primo ad articuli intelligentiam duplicem dari quantitatem, alteram quidem molis, & aliam quantitatem virtutis: hæc secunda est gradus perfectionis, vel activitatis in quacumque re repertus, qua Deus dicitur magnus, & laudabilis nimis, quantitas verò molis est accidens materiale, & corporeum ratione cuius partes substantiæ corporeæ extenduntur, & magnitudinem faciunt, & de hac in præsenti disputamus.

Hanc verò inconcreto, 5. Metaph. *text.* 19. Arist. diffinivit, dicens: *Quantum est divisibile in ea, quæ insunt, quorum utrumque, vel unumquodque, unum quid aptum est esse.* In qua descriptione quantum dicitur divisibile ad excludendas res simplices, & ie ea quæ insunt, quia constat ex partibus formaliter existentibus in toto ad differentiam elementorum, quæ non sunt formaliter, sed solum virtualiter in mixto; per ultimam denique particulam denotatur quamcumque partem quantitatis separatam ab alia existere posse, ad differentiam totius Physici substantialis, cujus partes separatæ non existunt.

Dices: Cœlum, & minimum naturale esse quanta; & tamen divisibilia non esse: ergo descriptio prædicta bona non est.

Respondetur: Cœlum, & minimum naturale non esse divisibilia per realem separationem unius partis ab alia; esse tamen divisibilia Mathematicè, & per intellectum, quatenus in omni quanto potest intellectus unam, & aliam partem concipere, & unam extra, alteram designare.

Secundo notandum est: Quantitatem plures effectus habere, quia quantitas communicat substantiæ extensionem partium in ordine ad se, constituendo unam partem extra aliam, ita ut non uniantur secundum se totas, sed solum se-

ſecundum extremitates. Rurſus communicat ſubſtantiæ extenſionem in ordine ad locum, vel capacitatem eſſendi in loco modo diviſibili, & extenſo. Præſtat etiam illi impenetrabilitatem, id eſt eſſe incompatibilem cum altero corpore in eodem loco. Et tandem præſtat diviſibilitatem, vel aptitudinem, ut ſubſtantia dividatur in partes, & inſuper habet quantitas eſſe menſuram, per quam cognoſcimus magnitudinem rerum, & illarum parvitatem. Si tamen quantitas comparetur ad alias res exteriores, dicitur extrinſeca menſura, ſicut per ulnam telam extrinſecè menſuramus. Quiſnam verò inter effectus prædictos primarius ſit, & in quo eſſentia quantitatis conſiſtat, inquirimus in præſenti, & omiſſa ſententiarum varietate, cum communi doctrina reſpondemus, eſſentiam quantitatis ſitam eſſe in extenſione partium in ordine ad ſe, & hæc ſit.

§. II.

Noſtra Concluſio.

DOcuit ſententiam noſtram Doct. Angel. 1. *p. quæſt. 14. art. 12. & opuſc. 70. quæſt. 5. art. 3. ad 3.* per ea verba: *Ordo partium in toto includitur in ratione eſſentiali quantitatis tanquam à differentia conſtitutiva ipſius.*

Ratione vero probatur concluſio noſtra: quia omnes effectus quantitatis ſupponunt extenſionem in ordine ad ſe: ergo extenſio in ordine ad ſe, primo in quantitate intelligitur, & conſequenter eſt differentia illius conſtitutiva, nam differentia, quæ primo intelligitur in re, eſt conſtitutiva rei. Probatur antecedens. Nam ideò quantitas eſt impenetrabilis, quia eſt extenſa in ordine ad locum, & modo diviſibili occupat ipſum, & ideò eſt menſura, quia habet determinatam extenſionem, & ideò diviſibis eſt, quia partes habet extenſas; & tandem prius eſt eſſe extenſam in ordine ad ſe, quan in ordine ad locum, quia res prius intelligitur in ſe, quam in ordine ad illud: ergo omnes effectus quantitatis ſupponunt extenſionem in ordine ad ſe.

Addo: Differentiam eſſentialem rei eſſe inſeparabilem ab ipſa etiam de potentia abſoluta, quod ſola extenſio in ordine ad ſe habere poteſt; nam impenetrabilitas ſeparatur à corpore quanto, ut conſtat in Corpore Chriſti, quod quidem penetratum eſt cum lapide ſepulchri, & cum utero virginali: & etiam ipſa extenſio in ordine ad locum ſeparatur à Corpore Chriſti in Sacramento, quod idem de

aliis effectibus verius est: ergo sola extensio in ordine ad se potest constituere quantitatem.

Sed instabis: Doct. Sanct. opusc. 52. affirmare, propriam rationem quantitatis convenientem illi, quatenus quantitas est, esse rationem mensuræ: ergo ratio mensuræ est differentialis quantitatis. Respondent aliqui, opusculum non esse Div. Thom. cuius rationem assignant, quod imprimitur caracteribus diversis; sed nos dicimus Divum Thom. loqui de quantitate non secundum Metaphysicam essentiam; sed quatenus consideratur à Logico, à quo solum attenditur secundum rationem mensuræ.

Secundo instabis: quantitas diffinitur per divisibilitatem, sicut constat ex diffinitione prius data; sed diffinitio explicat essentiam rei: ergo divisibilitas est differentia essentialis quantitatis.

Facile respondetur, diffinitionem supra datam non esse essentialem, sed solum descriptivam, & dari per passionem magis notam quantitatis: diffinitionem verò essentialem solum esse sequentem: quantitas est, *accidens completum habens partes extensas in ordine ad se.* Quod utique de extensione actuali intelligendum est inter partes quantitatis: sed comparativè ad substantiam solum de extensione habituali, & exactiva, quatenus quantitas essentialiter est apta, ut sit in substantia, & actualiter partes illius extendat.

Sed instabis contra solutionem datam: quia prædicta diffinitio explicat, illud, in quo diversæ quantitates essentialiter distinguuntur, nam linea, superficies, & corpus eo differunt, quia linea est divisibilis secundum longitudinem, & superficies secundum latitudinem, corpus verò secundum profunditatem. ergo diffinitio supra tradita essentialis est.

Sed facile respondetur: Omnia prædicta solum essentialiter differre per diversam extensionem in ordine ad se, quæ à posteriori explicatur per divisibilitatem, ut passionem magis notam: verum hæc divisibilitas distincta, ex diversa extensione, tanquam à radice dimanat.

§. Ultimus.

Corollorium ex dictis.

EX dictis colligitur: quantitatem realiter entitativè à re quanta distingui. Quæ doctrina constat ex Sacramento Eucharistiæ, in quo substantia panis conversa in Corpus Christi, manet quantitas realiter à substantia separata, ut docet Trident. Sed quæ realiter separantur, realiter distinguntur: ergo.

Dices: etiam quantitatem converti in quantitatem Corporis Christi, & consequenter non manere ibi separatam à substantia.

Sed contra: quia Concilium asserit ibi manere accidentia, nulla facta exclusione quantitatis: ergo quantitas ibi manet, & insuper conversio illa dicitur transsubstantiatio, non verò transaccidentatio: ergo nullum accidens convertitur. Et ultra si quantitas non maneret, alia accidentia non manerent in subjecto, & aliunde non esset unum potentia, & alterum actus, cum non sit maior ratio unius, quam alterius: ergo non manerent unita.

Quod poterat confirmari: quia si materia suam haberet quantitatem, & etiam forma non posset utraque simul existere in eodem loco.

Instabis: Quia si quantitas separaretur à substantia, partes substantiæ reducerentur ad punctum, quod tamen implicat, quia non possunt ad punctum reduci, nisi per motum localem, & talis motus sine quantitate impossibilis est.

Respondetur: quod quantitate separata partes substantiæ non reducerentur ad punctum, sed potius manerent entitativè diversæ, licèt indivisibilitèr existentes.

ARTICULUS II.

De divisionibus quantitatis.

§. I.

Varia diffinitiones explicantur.

DIviditur quidem quantitas in continuam, & discretam: Quantitas continua est: *cuius partes copulantur aliquo termino communi*, id est uniuntur medio indivisibili, quod dicitur terminus communis, quia est terminus unius partis, & principium alterius, & præter hoc datur aliud indivisibile, in quo incipit pars, & initiativum appellatur, & aliud in quo pars finitur, quod terminativum dicitur.

Quantitas verò discreta est: *cuius partes non copulantur termino communi.* Sicut numerus, cuius partes non uniuntur per indivisibile, sed ordine primæ, & secundæ se habent ad numerum componendum.

Quantitas continua dividitur in lineam, superficiem, corpus locum, notum, & tempus: Linea est, divisibilis secundum longitudinem, & partes ejus copulantur punctis: Superficies est, divisibilis secundum latitudinem, & partes eius copulantur lineis: Corpus verò est, divisibile se-

cundum profunditatem: Locus est ultima superficies corporis continentis locatum: motus est actus entis in potentia secundumquod in potentia: tempus est numerus motus secundum prius, & posterius. Nam motus mensuratur per tempus, & illi dicitur brevis, qui brevi tempore fit: ille vero spatiosus, qui longo tempore mensuratur.

Ex prædictis speciebus, linea superficies, & corpus essentialiter distinguuntur in ratione quantitatis, siquidem habent extensionem diversam, videlicet secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem: undè oritur, quod habeant distinctas proprietates, sic linea est brevis, vel longa, superficies stricta, vel lata, quadrata, vel circulatis, linea curva, vel recta, corpus verò piramidale, vel sphæricum.

De alijs autem speciebus asserimus locum non esse speciem diversam à superficie, eo quod locus, & superficies eandem extensionem habent, cum distinctione in ratione mensuræ, nam superficies est mensura intrinseca corporis, cuius superficies est; locus vero est mensura extrinseca corporis locati, quod continet. Motus autem, & tempus non habent extensionem diversam à quantitate permanente, quia tempus non habent nisi extensionem motus, & motus non habet nisi extensionem spacij, & ita non differunt in extensione à quantitate permanente; sed tantum accidentaliter ab ea differant, quatenus partes motus, & temporis sunt transeuntes, & partes spacij permanentes sunt.

Nec valet dicere: Aristotelem numerare locum, & tempus tanquam species quantitatis distinctas. Quia Arist. solum intendit differre in ratione mensuræ, quatenus locus mensurat secundum distantiam ad pollos mundi, & tempus secundum prius, & posterius.

Sed contra doctrinam instabis: quia linea secundum quod unit partes superficiei est indivisibilis secundum latitudinem, & superficies ut unit partes corporis est indivisibilis secundum profunditatem, & consequenter sunt aliquid incompletum; sed species contentæ sub genere debent esse aliquid completum: ergo linea, & superficies non sunt species contentæ sub genere quantitatis.

Confirmatur: Quia linea, & superficies includuntur in corpore; sed una species non potest in altera contineri; ergo non sunt species essentialiter à corpore diversæ.

Respondetur ad argumentum: Lineam, & superficies consideratas quatenus unit, esse indis-

indiviſibiles, & incompletas; abſolutè tamen propriam habere extenſionem, & eſſe diviſibiles, & completas.

Dices: ergo ſub ea ratione, quia indiviſibiles ſunt, non ſunt, ſpecies quantitatis, ſicut punctum non eſt ſpecies quantitatis, quia indiviſibile eſt.

Reſpondetur; ita eſſe nec nos oppoſitum affirmare, ſed ſolum aſſerimus eſſe ſpecies quantitatis ea ratione, qua extenſæ, & diviſibiles ſunt.

Ad confirmationem argumenti reſpondetur: diſtinguendo mai. includuntur præſuppoſitivè, & materialitèr, & quia corpus ſupponit utramque, vèl utriuſque extenſionem, concedo maj. incladuntur formalitèr, nego mai. Quia corpus formalitèr acceptum non eſt diviſibile ſecundum longitudinem, aut latitudinem, ſed ſolum ſecundum profunditatem. Exemplum adeſt in numero binario, qui materialitèr includitur in ternario, nam duæ unitates ſupponuntur ad tres & tamen ternarius non includit formalitèr binarium, quia ternarius de formali dicit tres unitates, & non plures, neque pauciores importat.

Sed inſtabis: Superficies formalitèr copulat partes corporis: ergo formalitèr in corpore continetur.

Reſpondetur: Superficiem ut indiviſibilem copulare partes corporis, & ſub conſideratione prædicta formalitèr in corpore contineri; non tamen conſtituere ſpeciem diverſam quantitatis, ſed ad ſpeciem corporis reduci, ſicut punctum ad ſpeciem lineæ; cæterum quatenus ſuperficies diviſibilis eſt ſecundum latitudinem non copulat partes corporis, nec in illo formalitèr continetur, ſed conſtituit ſpeciem eſſentialitèr diſtinctam à corpore.

Dices: Superficies continuat partes corporis quatenus eſt ſuperficies: ergo quatenus diviſibilis eſt.

Sed diſtinguo antecedens: Superficies inadæquatè ſumpta, & ut caret extenſione ſecundum profunditatem, concedo antec. adæquatè accepta, & ſub omni conceptu, nego anteced. & conſeq.

Et ſi dicas: eandem rem non poſſe eſſe diviſibilem, & indiviſibilem; ſed ſuperficies ſub aliquo conceptu eſt diviſibilis: ergo ſub omni conceptu diviſibilis eſt.

Reſpondetur: diſtinguendo maj. eandem re: & ratione, concedo maj. eandem re, ratione tamen diverſam; negò maj. Quia eandem ſuperficies ut diſtincta per rationem poteſt eſſe diviſibilis, & indiviſibilis, ſicut Idem punctum ſola diſtinctione rationis habet eſſe principium, & finis; principium, ſiquidem qua-

quatenus initiat partem, & finis, quatenus terminat illam.

§. II.

Statuitur divisio quantitatis discretæ.

Discreta quantitas in numerum, & orationem dividitur: numerus est multitudo numerata per unum: v. g. quatuor homines numerati per numerum quaternarium, aut ultimam unitatem illius. Est autem numerus duplex: alius numerans, & alter numeratus. numerus numerans ille est quo aliqua numerantur: v. g. duo, tres, vèl quatuor numerus autem numeratus sunt res ipsæ numeratæ, & de hoc solo numero numerato loquimur in præsenti; sed non de numero transcendentali composito ex rebus spiritualibus, sed de numero prædicamentali qui ex quantis rebus componitur.

Oratio vero est mensura entis successivi discreti secundum longitudinem, aut brevitatem, ut si quis proferat tres syllabas, vèl tres sonos, aut psaltus, ex quibus resultat oratio à numero distincta in ratione mensuræ, eo quod oratio mensurat multitudinem rerum secundum longitudinem, vèl brevitatem: sicut *temporis, & sermonis* differunt in ratione rationis, quia penultima primi brevis est, & alterius est longa; quæ tamen non differunt in ratione numeri, quia numerus tantum mensurat secundum multitudinem; in ratione tamen quantitatis non distinguitur oratio à numero, sed potius habent eandem extensionem, nam tres syllabæ ordinatè prolatæ habent extensionem numeri, & extensionem orationis, & rationem utriusque.

Dices: numerum esse ens per accidens, quia constat ex pluribus rebus completis: ergo non est vera species quantitatis.

Respondetur facile: Numerum constare ex pluribus rebus completis, ut ad invicem ordinatis, & ideò non esse ens per accidens, sed per se, sicut domus est ens per se, quia partes illius ad invicem ordinantur.

§. III.

Proprietates quantitatis assignantur.

Certum est, quantitatem suas proprietates habere, quarum prima est: quantitati nihil esse contrarium, quæ proprietas etiam convenit substantiæ.

Di-

Dices: Magnum, & parvum contrariari: ergo quantitati aliquid est contrarium. Sed negatur entecedens: Nam idem homo respectu parvuli magnus est, & parvulus respectu gigantis, unde hæc duo non se expellunt ab eodem subiecto, nec verè contraria sunt.

Secundo convenit quantitati non suscipere magis, & minus, quia quantitas non radicatur magis, & minus in eadem parte subjecti.

Et si dicas: quod quando quantitas rare fit, redditur major ergo suscipit magis, & minus. Respondetur, quantitatem per rarefactionem non fieri maiorem intensivè, sed solum extendi ad novas partes subiecti, vel loci; non vero radicati in eadem parte subjecti, quod requiritur ad suscipiendum magis, & minus. Hæc tamen proprietas etiam substantiæ, & relationi convenit.

Tertio competit quantirati, quod secundum illam dicantur res æquales, vel inæquales: & hæc proprietas omni soli, & semper convincit quantitati, & ita est proprietas quarto modo.

Dices: Duos Angelos esse etiam inæquales; & tamen non habere quantitatem: ergo non est proprium quantitatis, quod secundum illam dicantur aliqua æqualia, vel inæqualia.

Respondetur tamen: Angelos esse inæquales in perfectione; non tamen in extensione partium, de qua inæqualitate solum in præsenti disputamus.

Ex dictis colligitur: Quod quando partes quantitatis separantur, punctum indivisibile non manet identificatum cum utraque separata, ut per se patet, nec cum hac, vel alia determinatè; cum non sit maior ratio unius, quam alterius: ergo realiter separatur ab utraque, & consequenter realitèr ab utraque distinguitur.

Secundo colligitur: unitatem, quæ est principium numeri non distingui realitèr à quantitate continua, sed duntaxat per rationem; quatenus eadem quantitas continua considerari potest, ut divisibilis continuè, & ut in divisibilis discretè, & secundum multitudinem, qua ratione numeri principium est.

Tandem colligitur: Numerum esse ens reale, quia habet extensionem realem, & ex partibus realitèr componentibus, & ultima unitas, quæ est forma numeri, & dat speciem illi ternarij, vel quaternarij, etiam realis est. Et insuper infertur, numerum esse ens per se, eo quod ens per accidens nequit esse per se scibile ab aliqua scientia, & numerus est ob-

jec-

ectum ariſmethicæ, quæ verè de illo proprietates demonſtrat.

ARTIC. III.

Vtrum ſubſtantia corporea pro priori ad quantitatem habeat partes actualitèr diſtinctas?

§. I.

Difficultas apperitur.

IN præſenti difficultate ſermo non eſt de partibus Phyſicis eſſentialibus ſubſtantiæ, quas certum eſt, realitèr entitativè diſtingui; nam materia, & forma, quæ ſunt partes eſſentiales, & formales ſubſtantiæ independenter à quantitate realitèr diſtinguuntur.

Vnde ſolum eſt difficultas de partibus integralibus ſubſtantiæ corporeæ: an videlicet ſubſtantia prædicta habeat partes materiales integrales actualitèr diſtinctas independenter à quantitate, ita quod ſi quantitatem non habeat, ſicut poteſt fieri de potentia abſoluta, adhuc tamen partes actualitèr diſtinctæ in ſubſtantiæ perſeverarent.

Verum pro maiori luce præmittendum eſt: diſtinctionem dupliciter ſummi poſſe, primo ut oppoſitam confuſioni, qua ratione dicuntur eſſe diſtincta, quæ ſunt debitè ordinata: ſecundo ut oppoſitam identitati, ſecundum quam rationem ea, quorum unum non eſt alterum dicuntur eſſe diſtincta.

In hac parte plurimi negant, & hi ſunt veneranti Complutenſes *diſp.* 13. Logicæ *quæſt.* 3. Flandria, & Ioannes à Sancto Thoma cum alijs. Plurimi verò affirmant, cuius modi ſunt Mag. Lerma, Lince, Prado, Ortiz, cum alijs, & cum his,

§. II.

Noſtra Concluſio.

COnclusionem iſtam docuit Angelicus Doct. 1. 2. *qnæſt.* 17. *art.* 4. incorpore per ea verba: *Totum ingenere ſubſtantiæ compoſitum ex ſuis partibus, vel integralibus, vèl eſſentialibus, eſt unum ſimpliciter.* Ex quo clariſsimè conſtat, ſicut in genere ſubſtantiæ datur totum comdoſitum, ex partibus eſſentialibus, etiam dari totum integrale compoſitum ex partibus integralibus; ſed totum eſſentiale ſubſtantiale componitur ex partibus ſubſtantialitèr diſtinctis independenter à quantitate: ergo totum integrale componitur etiàm ex

partibus integralibus actualitèr, independenter à quantitate diſtinctis.

Hoc utrique confirmamus ex eo quod totum integrale conceſſum à Div. Thom. eſt totum ſubſtantiale, nam ipſe aſſerit eſſe in genere ſubſtantiæ: ergo debet eſſe compoſitum ex partibus ſubſtantialibus actualitèr diſtinctis, quia compoſitio eſt diſtinctorum unio, ac proinde totum compoſitum ſubſtantiale debet eſſe ex partibus ſubſtantialitèr diſtinctis, ſicut totum reale reſultat ex partibus realibus, & realitèr diſtinctis.

Ratione tamen probatur concluſio noſtra: quia diſtinctio ſubſtantialis entitativa non poteſt à quantitate provenire, ſiquidem effectus ſubſtantialis ab accidenti provenire non poteſt; ſed ſubſtantia habet partes ſubſtantialitèr entitativè diſtinctas: ergò habet illas diſtinctas independenter à quantitate. Probatur min. Quæ realitèr ſeparantur, realitèr diſtinguuntur, nam idem entitativè non poteſt à ſe ipſo ſeparari; ſed partes ſubſtantiæ realitèr entitativè ſeparantur, ſiquidem quando ab homine abſcinditur manus ſeparatur à ſubſtantia capitis: ergo ſubſtantia habet partes ſubſtantialitèr entitativa diſtinctas.

Reſpondebis: quando manus abſcinditur, non ſeparari ſubſtantiam manus à ſubſtantia capitis, ſed ſolam quantitatem manus à quantitate capitis ſeparari.

Sed contra eſt; quia quando manus abſcinditur, ipſa manus à capite ſeparata eſt verè ens ſubſtantiale; ſed ſi tale non eſſet ſimul cum quantitate manus non ſepararetur ſubſtantia, nam quantitas ſine ſubſtantia ſolum eſt ens accidentale: ergo ſubſtantia ſimùl cum quantitate ſeparatur.

Secundo reijcitur: quia quantitas de lege ordinaria non poteſt ſine ſubſtantia manere; ſed ſeparatio manus à capite de lege ordinaria fit: ergo ſimul cum quantitate ſit ſeparatio ſubſtantiæ, in qua quantitas exiſtat.

Urgetur: Si Sacerdos conſecraret dimidiam partem Hoſtiæ alia media non conſecrata, ſubſtantia conſecrata realitèr ſepararetur à parte non conſecrata, ſiquidem pars conſecrata converteretur in Corpus Chriſti, & alia pars ibi maneret; ſed hoc de lege ordinaria fit: ergò partes ſubſtantiæ de lege ordinaria poſſunt realitèr ſeparari, & conſequenter realitèr diſtinguuntur. Quod confirmat exemplum nutritionis, per quam producitur nova pars ſubſtantiæ, ſicut per augmentationem

pro

producitur aliqua pars quantitatis; ſed pars ſubſtantiæ de novo producta non erat realitèr eadem cum precedentibus, ſed ab illis realitèr diſtincta, eo quod antea non erat: ergo.

Reſpondent contrarij ad doctrinam noſtram: quod ex ſeparatione reali ſolum infertur diſtinctio potentialis, ideſt, partes ſubſtantiæ eſſe in potentia, ut facta diviſione, vel ſeparatione ratione quantitatis diſtinguantur; non tamen quod à ſe ipſis, & ratione ſui diſtinguantur actualitèr.

Sed ſolutionem iſtam efficacitèr impugnamus: quia partes, quæ ſunt unum pro priori ad quantitatem, non poſſunt adveniente quantitate entitativè diſtingui: ergo partes ſubſtantiæ, quæ adveniente quantitate diſtinguuntur, etiam ante quantitatem erant, non ſolum in potentia, ſed etiam actualitèr diſtinctæ. Probatur antecedens. Partes, quæ pro priori ad quantitatem ſunt unum, & idem, non poſſunt non eſſe unum, & idem; adveniente quantitate: ergò non poſſunt, adveniente quantitate, entitativè diſtingui. Probatur antecedens. Unitas non poteſt deſtrui entitate non deſtructa, quia eſt paſſio identificata cum ipſa entitate; ſed quantitate adveniente, non deſtruitur entitas, alias non prior ſubſtantia, ſed alia nova ſub quantitate ponere-

tur: ergo nec tollitur unitas conſequenterque, quæ pro priori ad quantitatem ſunt unum, & idem, non poſſunt non eſſe unum adveniente quantitate.

Secundo impugnatur: implicat eſſentialitèr, quod idem entitativè poſsit à ſe ipſo entitative diſtingui, ſicut implicat idem ſpecificè poſſe à ſe ipſo ſpecificè diſtingui: ergo partes, quæ adveniente quantitate actualitèr diſtinguuntur, etiam ante quantitatem, non in potentia, ſed actualitèr erant entitativè diſtinctæ

Tertio impugnatur: quæ actualitèr ſunt idem, non poſſunt realitèr ſeparari: ergò implicat partes ſubſtantiæ eſſe actualitèr idem pro priori ad quantitatem, & quantitate adveniente poſſe realitèr ſeparari. Probatur antecedens. Si ea, quæ actualitèr ſunt idem, poſſent realitèr ſeparari, eadem entitas poſſet realitèr deſtrui, & realitèr conſervari, ſiquidem ex partibus, quæ ſunt idem poteſt una deſtrui, & altera conſervari, ſi ſemèl una ab altera ſeparatur; hoc implicat: ergo quæ actualitèr ſunt idem, non poſſunt realitèr ſeparari.

Tandem impugnari poterat: quia ex ſeparatione reali benè infertur diſtinctio realis actualis pro priori ad ipſam ſeparationem, ſicut ex ſeparatio-

ne reali quantitatis à re quanta, bene infertur actualis diſtinctio inter utramque, pro priori ad ipſam ſeparationem: quod idem contingit inter materiam, & formam: ergò ex ſeparatione reali partium ſubſtantiæ, ad veniente quantitate, infertur actualis diſtinctio, & non ſolum potentialis inter partes ſubſtantiæ ante ipſam quantitatem.

Et ſi dicas: ita eſſe, quando inter ea, quæ ſeparantur, invenitur ſpecifica diſtinctio, qualis datur in materiam, & formam: quantitatem, & rem quantam; non tamen quando talis diſtinctio non datur, ſicut contingit inter partes ſubſtantiales.

Contra eſt: quia ex ſeparationes reali inter partes ipſius quantitatis benè infertur actualis diſtinctio inter illas pro priori ad ſeparationem realem; & tamen partes quantitatis non diſtinguuntur ſpecie: ergò ex ſeparatione reali benè infertur actualis diſtinctio, quamvis ſpecifica diſtinctio non detur.

Secundo probatur concluſio noſtra ratione: ſubſtantia habet partes ſubſtantiales correſpondentes partibus quantitatis; ſed quantitas habet partes realiter entitativè diſtinctas: ergo illis etiam habet ſubſtantia pro priori ad quantitatem. Min. cum conſeq. conſtat. Et maj. probatur: Quia ſi ſubſtantia non haberet partes diverſas correſpondentes diverſis partibus quantitatis, eſſet tota ſub tota quantitate, & tota ſub qualibet parte, ſicut anima rationalis eſt tota in toto corpore, & tota in qualibet parte, quia indiviſibilis eſt, & non habet partes correſpondentes partibus corporis; ſed ſubſtantia non eſt tota ſub tota quantitate, & tota ſub qualibet parte, alias non eſſet extenſa per quantitatem, ſicut anima rationalis non eſt per quantitatem extenſa, quia eſt tota in toto, & tota in qualibet parte: ergo ſubſtantia habet partes ſubſtantiales diverſas correſpondentes diverſis partibus quantitatis.

Reſpondebis ſubſtantiam habere partes diverſas correſpondentes diverſis partibus quantitatis diſtinctionem tamen illarum provenire à quantitate, ut à ratione formali.

Sed contra: quia una pars ſubſtantiæ per ſe ipſam ab alia parte diſtinguitur: ergò diſtinctio inter partes illas provenit ab illarum entitate tanquam à ratione formali, & non ab illarum quantitate. Probatur antecedens primo. Una pars ſubſtantiæ per ſe ipſam eſt una, eo quod unitas eſt prædicatum

tum transcendens ad omnia genera entium : ergo per se ipsam ab alia parte distinguitur, nam quod per se ipsum est unum, per se ipsam à quocumque alio distinguitur, siquidem unum est indivisum in se, & divisum à quolibet alio.

Secundo probatur antecedens. Una pars substantiæ per se ipsam distinguitur à parte quantitatis, quam recipit, & non per ipsam quantitatem, quia nihil ab alio distinguitur per extremum distinctionis : ergo etiam per se ipsam distinguitur ab alia parte substantiæ. Consequentia à paritate nota est.

Tertio probatur antecedens. Substantia totalis unius individui per se ipsam distinguitur actualiter ab alia substantia totali, quia substantia totalis huius individui radicat quantitatem totalem, distinctam à quantitate radicata in altera substantia totali ; sed etiam quacumque pars substantiæ radicat quantitatem partialem distinctam ab omni alia quantitate partiali : ergò quæcumque pars substantiæ per se ipsam ab omni alia parte distinguitur.

Respondebis : quod quamvis una pars substantiæ per se ipsam ab altera distinguatur, non infertur inde, distinctionem prædictam esse substantialem ; sicut forma rationalis Petri per se ipsam distinguitur à forma Pauli ; & tamen prædicta distinctio formarum, non est distinctio formalis.

Sed contra : quia distinctio proveniens à forma substantiali tanquam à causa formali est distinctio substantialis, siquidem effectus formalis formæ nihil aliud est, quam ipsa forma subjecto communicata formaliter ; sed distinctio inter partes substantiæ reperta provenit formaliter ab illarum entitate, ut probatum relinquimus : ergo substantialis est.

Urgetur : Si una forma distingueretur ab alia, per se ipsam ut communicantem gradum specificum, prædicta distinctio esset distinctio formalis : ergo si una pars substantiæ per se ipsam ; quatenus talis substantia est, distinguitur ab altera parte, talis distinctio erit vera substantialis. Per quod patet ad exemplum contrariorum ; quia forma rationalis Petri non distinguitur à forma Pauli per se ipsam ut communicantem gradum specificum, & formalem ; sed solum per se ipsam ut communicantem gradum individualem, & propterea distinctio illa non formalis, sed materialis est ; una verò pars substantiæ per se ipsam ut est

ſubſtantia, ab alia parte diſtinguitur, & ita diſtinctio prædicta debet eſſe ſubſtantialis.

§. III.

Argumentis contrariorum occurritur.

CONtra concluſionem noſtram poterat in primis argui: diſtinctionem repertam inter partes ſubſtantiæ eſſe accidentalem: ergo à quantitate provenit, & non habetur independenter ab illa. Probatur antecedens. Nam compoſitio; vel unio unius partis cum altera accidentalis eſt, nam ſola compoſitio ex actu, & potentia eſt eſſentialis, & partes prædictæ non ſe habent ſicut actus, potentia, ut infra dicemus: ergo etiam diſtinctio inter partes accidentalis eſt alias compoſitio non eſſet accidentalis.

Reſpondetur: Talem diſtinctionem, & compoſitionem eſſe accidentalem prædicabiliter, quia non convenit ſubſtantiæ ſecundum ſe, ſed illi, ut connotanti quantitatem entitativè tamen, & prædicamentaliter eſſe ſubſtantialem.

Secundo arguitur: Quia D. Thom. 1. part. quæſt. 50. art. 2. aſſerit: Materiam divid in partes non convenit, niſi ſecundum quod intelligitur ſub quantitate, qua remota, remanet ſubſtantia indiviſibilis: ergo propriori ad quantitatem, & independenter ab illa, ſubſtantia indiviſibilis eſt, & abſque ulla diſtinctione.

Reſponderi poterat: Angelicum Præcept. loqui de indiviſibilitate ſeparationis, quatenus ablata quantitate, non poteſt pars ſubſtantiæ ab alia parte ſeparari: quod verba D. Thom. indicare videntur, ut conſideranti conſtabit. Sed quia argumentum hoc magnificatur à contrarijs, alitèr.

Reſpondetur: explicando anteced. qua remota radicaliter, concedo antec. actualitèr nego anteced. & conſeq. Quia ſubſtantia remota quantitate radicalitèr, remanet indiviſibilis, nam ſubſtantia ſolum eſt diviſibilis, in quantum radicat diverſas partes quantitatis; eſt tamen diviſibilis, & habet partes diſtinctas ante quantitatem actualem, aut illa remota, & hoc ſolum affirmamus, quod non negat D. v. Thom.

Sed inſtabis: Quia Div. Thom. loquitur de quantitate, quæ poteſt à ſubſtantia ſeparari; ſed ſolum quantitas actualis poteſt ſeparari à ſubſtantia, non tamen quantitas radicalis, quæ eſt ipſa ſubſtantia, ut radicat quantitatem: ergo loquitur D. Th. de remotione quantitatis actualis.

Reſp.

Respondetur : distinguendo min. separatione Physica, concedo min. Logica, nego min. & conseq. Quia etiam quantitas radicalis potest separari à substantia Logicè, & per intellectum ; nam benè potest intelligi substantia, secundum prædicata essentialia, & in ordine ad se, quin intelligatur, ut ex radix quantitatis, & de separatione ista loquitur D. Thom. non tamen de separatione Physica, & materiali, qua sola quantitas actualis potest à substantia separari.

Sed instabis : quod esse radicem quantitatis est de essentia substantiæ : ergo quantitas radicalis etiam per intellectum non potest à substantia separari. Probatur antecedens. Conceptus radicis quantitatis est conceptus naturæ ; sed conceptus naturæ est de essentia substantiæ, nec virtualiter adæquatè ab ea distinguitur, siquidem conceptus naturæ, & essentiæ non differunt adæquate : ergo esse radicem quantitatis est de essentia substantiæ.

Respondetur tamen : Conceptum radicis quantitatis esse de essentia substantiæ, & ideò non posse ab illa pro implicito prescindere ; posse tamen præscindere pro explicito, & hoc intendere Div. Thom. quod, videlicèt, si substantia intelligatur, non intelligendo pro explicito, quod sit radix quantitatis, non intelligetur etiam pro explicito divisibilis in partes, sicut non intelligitur pro explicito cum ordine ad partes quantitati actualiter distinctas.

Tertio arguitur : Substantia corporea est tota sub tota quantitate, & tota sub qualibet parte : ergo indivisibilis est, & absque ulla distinctione partium. Probatur antecedens. Nam ideò Div. Thom. 3. *part. quæst.* 76. *art.* 1. probat Corpus Christi esse totum in tota Hostia, & totum in qualibet parte, quia est ibi admodum substantiæ, vel iuxta modum illum, quo substantia est sub dimensionibus quantitatis : ergo substantia tota est sub tota quantitate, & tota sub qualibet parte, alias consequentia D. Thom. bona non esset.

Respondetur distinguendo antec. tota totalitate naturæ & essentiæ, concedo antec. totalitate integrali, nego antecedens, & conseq. Quia licet substantia tota sit sub qualibet parte quantitatis, totalitate essentiæ, eo quod tota essentia substantiæ salvatur sub qualibet parte quantitatis : non tamen substantia est sub quacumque parte quantitatis totalitate integrali, sed potius una pars substantiæ est sub altera quantitatis, & alia sub alia : unde Div. Thom. in loco citato probat Corpus Christi esse totum sub qualibet parte, quia ibi est admodum substantiæ,

tiæ ideſt, ad eum modum, quo ſubſtantia totalitate eſſentiæ ſalvatur in qualibet parte.

Sed inſtabis primo: D. Th. intelligendum eſſe de totalitate eſſentiali; non autem de integrali, & entitativa nulla ratio ſuadere poteſt: ergo ita intelligendus non eſt.

Secundo inſtabis: Div. Th. probat in loco citato Corpus Chriſti eſſe totum in tota Hoſtia, & totum in qualibet parte totalitate integrali, & non ſolum eſſentiali; ſed hoc probat, quia eſt ibi admodum ſubſtantiç: ergo etiam ſubſtantia debet eſſe tota in toto, & tota in qualibet parte, ut probatio Div. Thom. recta ſit.

Tertio inſtabis: eſſe totam in tota, & totam ſub qualibet parte totalitate eſſentiali etiam convenit quantitati; ſed Div. Thom. probat Corpus Chriſti eſſe totum ſub qualibet parte: non quia ibi ſit admodum quantitatis, ſed ſolum quia ibi eſt admodum ſubſtantiæ: ergo non debet intelligi de totalitate eſſentiali.

Reſpondetur ad primam rationem eſſe: Quia Div. Thomam in eadem *quæſt. art.* 3. aſſerit naturam ſubſtantiæ eſſe totam ſub qualibet parte quantitatis, & entitatem ſubſtantiæ, vel totalitatem integralem in ore non accipit: ſed natura idem eſt quod eſſentia: ergo intelligendus eſt de totalitate eſſentiali, vel naturæ, & eſſentiæ.

Rurſus etiam Div. Thom. exemplum adduci in natura aëris, & natura panis, dicens: quod ſicut tota natura aëris continetur ſub qualibet parte aëris, & tota natura panis ſub quacumque parte panis, &c. Hæc autem verba clare indicant ipſum loqui de totalitate naturæ, aut eſſentiali totalitate.

Ad ſecundam replicam, diſtinguo min. ad modum ſubſtantiæ per ſe primo convenientem, concedo minor. per ſe ſecundo, nego min. & conſeq. Quia in ſubſtantia invenitur totalitas, & compoſitio ex materia, & forma ſubſtantiali, quæ quidem convenit ſubſtantiæ per ſe primo, & independenter à quantitate, ut à ratione formali, & etiam ut à termino extrinſecè connotato. Alia inſuper eſt totalitas integralis ex partibus eiuſdem rationis actualiter entitativè diſtinctis, quæ totalitas per ſe primo ſolum convenit quantitati; ſubſtantiæ verò convenit per ſe ſecundo, & dependenter à quantitate ut à termino extrinſecè connotato, eo quod ſubſtantia non habet partes diſtinctas: niſi quatenus importat ordinem ad diverſas partes quantitatis, quando autem

Div.

Div. Thom. probat Corpus Chriſti eſſe totum ſub quacumque parte, quia ibi eſt ad modum ſubſtantiæ, loquitur de modo proprio per ſe primo convenienti, & idem eſt, ac ſi diceret, Corpus Chriſti quantum ad eſſendum integraliter in Hoſtia, imitari modum proprium ſubſtantiæ, & quod ſicut ſubſtantia eſt tota ſub qualibet parte totalitate eſſentiali; & formali ita Corpus Chriſti eſt totum ſub qualibet parte totalitate integrali.

Et ſi dicas: Ad talem explicationem non eſſe fundamentum in littera D. Thomæ.

Reſpondemus fundamentum eſſe, nam ipſe in eadem quæſt. art. ultimo affirmat: *Totam Corpus Chriſti eſſe totum in qualibet parte Hoſtiæ, in qua erat verum dicere, eſſe ſubſtantiam panis quantum ad eſſentiam.* Sentit: ergo quod ſicut ſubſtantia panis quantum ad eſſentiam eſt tota ſub qualibet parte, ita Corpus Chriſti ſub quacumque parte integraliter exiſtit. Et hoc idem conformari poterat, quia facta diviſione Hoſtiæ non remanet ſubſtantia panis tota totalitate integrali ſub quacumque partæ Hoſtiæ remanet tamen totum Corpus Chriſti ſub quacumque parte diviſa, totalitate integrali: ergo Corpus Chriſti, in modo eſſendi integraliter, non ſervat modum ſubſtantiæ integraliter eſſendi, ſed tantum modum primarium ipſius, quo ſubſtantia eſt tota ſub qualibet parte totalitate formali.

Ad tertiam replicam principalem reſpondetur diſtinguendo maj. quantitate dependenter à ſubſtantia, concedo maj. quantitate per ſe primo, nego maj. & conceſſa min. negatur conſeq. Quia omne accidens in ſua eſſentia, & natura dependet à ſubſtantia, ipſam que ſupponit compoſitam ex materia, & forma: vel ut totam totalitate formali; unde eſſentialis totalitas ſoli ſubſtantiæ convenit per ſe primo propterea que Div. Thom. probat Corpus Chriſti eſſe totum ſub quacumque parte, non quia ibi ſit ad modum quantitatis, ſed quia ibi eſt ad modum ſubſtantiæ, cui eſſe totam ſub qualibet parte totalitate eſſentiali convenit per ſe primo.

Quarto arguitur: Data diſtinctione partium, poterit ſubſtantia motum continuum terminare, quia ſi ſubſtantia partes habet poterit per partem motus produci una pars ſubſtantiæ; & per aliam, alia, & per totum motum tota ſubſtantia; ſed hoc verum non eſt, quia motus continuus ſolum datur ad quantitatem, qua-

lis

litatem, & ubi: ergo ſubſtantia carere debet diſtinctione partium.

Reſpondetur: ad terminandum motum continuum non ſufficere habere partes, ſed requiri, quod ſubſtantia habeat contrarium, eo quod motus continuus exercetur inter terminos contrarios: ſicut inter calidum, & frigidum; nigrum, & album; cumque ſubſtantiæ nihil ſit contrarium, inde ſit, &c.

Dices: Quantitatem non habere contrarium; & tamen terminare motum continuum augmentationis, & diminutionis, quia habet partes diſtinctas: ergo diſtinctio partium ſufficit ad motum prædictum terminandum.

Sed reſpondetur: quod quamvis quantitas non habeat rigoroſum contrarium; habet tamen contrarium poſitivum tale lato modo; nam quantitati maiori contrariatur quantitas minor, & ex minori quantitate ut ex termino à quo, fit quantitas maior, & ideò poteſt motum contrarium terminare, ſubſtantia vero non habet contrarium poſitivum, etiam lato modo tale, & ideò in inſtanti producitur.

Et ſi dicas: quantitatem minorem manere cum termino ad quem, videlicet, cum maiori, & ita non poſſe eſſe terminum à quo.

Reſpondetur: Quantitatem minorem eſſe terminum à quo formaliter, ut minor eſt; poſtea autem non manere, ut minorem, ſed potius ut maiorem, & augmentatam; & ita ut terminum à quo numquam formaliter manere. Verum quam vis hæc probabilia ſint, aliter.

Reſpondetur ad argumentum principale: ſubſtantiam terminare motum continuum, quia ſubſtantia etiam per nutritionem producitur, & nutritio motus ſucceſſivus eſt, cuius rationem aſſigno, quia quantitas per augmentationem producta incipit in tempore, ſicut omnis motus ſucceſſivus, & ſi nutritio, quæ augmentationem committatur, non eſſet motus ſucceſſivus, ſed inſtantaneus, daretur quantitas ſine ſubſtantia, vel ſubſtantia ſine quantitate, eo quod vel nutritio inciperet in inſtanti ante tempus, in quo incipit augmentatio, & ita ſubſtantia producta per nutritionem, pro illo inſtanti eſſet ſine quantitate: vel nutritio inciperet in inſtanti ſecuto ad tempus augmentationis, & ita daretur quantitas tempore præcedenti producta ſine ulla ſubſtantia; quando verò Philoſophus aſſerit, ſolum dari motum continuum ad quantitatem, qualitatem, & ubi, intelligitur per ſe; motus autem nutritionis eſt ſucceſſivus per accidens, & ratione aug-

augmentationis, quia partes quantitatis per augmentationem producuntur successivè, & ideò ne, detur quantitas sine substantia debet etiam substantia successivè per nutritionem produci.

Quinto arguitur: Si substantia haberet partes distinctas independenter à quantitate, esset etiam individua pro priori ad quantitatem; sed pro tali priori individua non est: ergo.

Respondetur substantiam esse individuam ante quantitatem actualem, per hoc præcisè quod sit radix quantitatis unde: argumentum solum convincit substantiam entitatem radicalem non habere partes, quod nos etiam affirmamus.

Dices: Ideò quantitas ratione sui individua est: quia habet partes distinctas, & propterea quantitas in Sacramento Eucharistiæ est individua, etiam à substantia separata: ergo si substantia habet partes distinctas, erit etiam individua ratione sui, & independenter à quantitate radicali.

Sed respondetur: quantitatem non esse individuam independenter à substantia, quia habeat partes distinctas, sed quia ratione sui habet partes distinctas, & ordinatas in toto; quam tamen ordinationem partium non habet substantia, nisi ratione quantitatis, & ideò substantia ratione sui, & independenter à quantitate intellecta, & radicata, individua non est.

Sexto arguitur: Materia prima non potest habere partes distinctas independenter à quantitate actuali: ergo idem dicendum de quacumque alia substantia corporea, de qua quidem eadem ratio est. Probatur antec. Omnis distinctio provenit ab aliquo actu, nam actus est qui distinguit, sicut dicitur in 7. Metaph. Sed materia prima non habet aliquem actum Physicum: ergo nequit habere partes Physicè entitativè distinctas ante ipsam quantitatem.

Secundo probatur antecedens. Materia per modum partis per se, ordinatur ad totum substantiale componendum: ergo nequit habere partes in linea substantiæ actualiter distinctas, qua ratione oratio, quia habet partes in linea dialectica non potest per modum partis per se ordinari ad totum dialecticum componendum.

Tertio probatur antecedens. Materiæ primæ omnis compositio repugnat tàm ex accidenti, & substantia, quia materia ante formam nequit accidentia recipere, quàm compositio ex actu, & potentia: nam materia ante formam nullum actum Physicum habet: ergo materia

non poteſt habere partes, alias compoſita eſſet.

Reſpondetur ad argumentum negando antecedens, & ad primam probationem dicimus omnem diſtinctionem provenire ab aliquo actu extrinſecè terminante, vèl intrinſecè recepto, & quamvis materia in genere Phyſico, non habeat actum intrinſecè receptum, dicit tamen ordinem ad actum, videlicèt ad formam, & quantitatem, quod ſufficit ut habeat partes actualitèr diſtinctas. Inſtantia eſt in duplici ſubſtantia torali, quarum una ab alia entitativè diſtinguitur propter ordinem ad diverſam quantitatem totalem. Sicut etiam materia cœleſtis, & materia ſublunaris ſpecificè differunt per ordinem ad formas, ſpecificè diſtinctas.

Et ſi dicas: Diſtinctionem intrinſecam non poſſe à forma extrinſeca provenire, qualis eſt quantitas, dum terminat habitudinem ſubſtantiæ.

Reſpondetur: Non poſſe à forma extrinſeca provenire tanquam à ratione formali, in quo ſenſu diſtinctio inter partes ſubſtantiæ provenit ab illarum entitatibus, ut dicentibus habitudinem ad diverſam quantitatem; poſſe tamen provenire à forma extrinſeca, ut à termino extrinſecè connotato, ſicut diſtinctio actus liberi à neceſſario provenit à creatura ut à termino extrinſecè connotato.

Ad ſecundam probationem reſpondemus: Materiam poſſe ordinari per modum partis per ſe ad totum ſubſtantiale formalitèr componendum, eo, quod ipſa ſolum eſt compoſita compoſitione integrali; totum verò, ad quod ordinatur per ſe, eſt compoſitum compoſitione formali: oratio verò eſt compoſita formalitèr in linea dialectica, & propterea per modum partis per ſe ordinari non poteſt ad totum dialecticum componendum, de quo alibi alia dicemus.

Ad tertiam probationem dicemus: Materiæ primæ repugnare omnem compoſitionem formalem factam ex actu, & potentia; non tamen repugnare compoſitionem integralem, de qua loquimur in præſenti. Inſtantia eſt in ipſa quantitate, quæ non eſt compoſita compoſitione formali; & tamen integralitèr compoſita eſt.

Dices primo: Cui prima compoſitio repugnat, etiam repugnat ſecunda; ſed in rebus materialibus prima compoſitio eſt compoſitio formalis, quæ repugnat materiæ: ergo etiam illi repugnabit integralis compoſitio.

Se-

Secundo instabis: Si materia esset integraliter composita, non posset ex illa, & forma resultare unum per se, quia ex duobus totis non potest unum per se resultare; sed ex materia, & forma resultat unum per se: ergo materia integraliter composita non est.

Dices 3. Materiam sine quantitate actuali non per se dividi in partes, nam divisibilitas est proprius quantitatis effectus: ergo sine quantitate actuali non habet partes distinctas, alias posset saltim à Deo dividi in illas, nam Deus potest, unam partem ab alia distinctam ab altera separari.

Respondetur ad primam replicam: primam compositionem in rebus materialibus esse compositionem integralem, quia priusquam forma introducatur in materia, intelligitur materia signillata quantitate, & cum ordine ad quantitatem, alias non posset materia recipere hanc numero formam; proindeque intelligitur materia composita ex partibus integralibus correspondentibus diversis partibus quantitatis; unde compositio hæc est prima, sicut in ipsa quantitate prima compositio integrali est.

Ad secundam replicam respondetur: Materiam esse totum integrale, incompletum tamen, & per modum puræ potentiæ, & ideò ex materia, & forma posse resultare unum per se quod quidem quamvis non possit resultare ex duobus totis completis; potest tamen ex duobus incompletis resultare, sicut ex composito substantiali, & ipso subsistentia resultat unum per se, quia subsistentia intra lineam substantiæ incompleta est.

Ad tertiam instantiam respondetur: Divisibilitatem esse separationem partium habentium extensionem, & ita separatio formæ à materia non est propriè divisio cumque materia non habeat partes extensas, quamvis habeat illas distinctas, inde fit, posse Deum unam partem ab altera separare; non tamen hæc separatio esset propriè divisio.

Septimo arguitur: ex quo substantia radicet diversas partes quantitatis, non infertur, quod habeat partes actualiter distinctas: ergo illas non habet. Probatur antecedens. Substantia radicat partes extensas quantitatis; & tamen ante quantitatem actualem non habet partes extensas: ergo ex quo radicet partes distinctas quantitatis non infertur habere partes distinctas.

Sed negatur hæc ultima con-

ònſeq. Quia omnis extenſio debet eſſe longitudo, latitudo, ut profunditas, quæ omnia ſunt pecies quantitatis, & cum effectus formalis quantitatis non poſsit reperiri ſine quantitate actuali inde fit, non poſſe ſubſtantiam ſine quantitate actuali habere partes extenſas; diſtinctio verò non eſt proprius quantitatis effectus, ſed eſt prædicatum tranſcendens ad omnia genera entis, nam qualitas per ſe ipſam ab alia qualitate diſtinguitur, & relatio ab altera relatione, & propterea ſine quantitate actuali poteſt haberi diſtinctio. Inſtancia argumenti reperitur in duplici ſubſtancia totali, quantum una ab alia diſtinguitur, quia radicat quantitatem diverſam; & tamen quamvis utraque radicet quantitatem extenſam, nulla illarum extenſa eſt.

Dices: Ideò extenſio eſt effectus proprius quantitatis, quia primo, & per ſe convenit quantitati; ſed etiam diſtinctio integralis per ſe primo convenit quantitati: ergo erit etiam proprius effectus quantitatis, & ſine illa impoſsibilis.

Ruſpondetur: negando cauſalem majoris, quæ adæquata non eſt, eo quod extenſio debet eſſe longitudo, latitudo, vel profunditas, quæ omnia non poſſunt ab alijs à quantitate provenire, & ideò extenſio eſt effectus proprius quantitatis, & alijs convenire non poteſt, non quia per ſe primo competat quantitati, ſed quia illi convenit privativè, & ea ſola facere poteſt longum, latum, vel profundum.

Sed inſtabis: ſicut extenſio eſt effectus accidentalis, ita diſtinctio: ergo ſi non datur extenſio in linea ſubſtantiæ, ſed eſt propria, & privativa, quantitatis, ita nulla erit diſtinctio. Probatur antecedens. Diſtinctio eſſentialis ſolum reperitur inter partes eſſentiales, videlicèt, inter materiam, & formam; ſed partes integrales non ſunt partes eſſentiales: ergo diſtinctio inter partes integrales: ſicut, & extenſio, accidentalis eſt.

Reſpondetur negando antecedens, & ad probationem negatur min. Quia ſicut materia, & forma reſpectu totius Phyſici ſubſtantialis, & formalis ſunt partes eſſentiales, ita partes integrales in ordine ad totum integrale eſſentiales ſunt, & ſine ipſis reperiri non poteſt, & ideò diſtinctio inter illas non accidentalis, ſed eſſentialis eſt.

§. Ultimus.

Solvitur argumentum difficile.

TAndem arguitur: quia ſi ſubſtantia ex ſe, & indepenſdenter à quantitate actuali ha-

à quantitate actuali haberet partes distinctas, illas etiam unitas haberet; nam si partes non essent unitæ, facerent unum per accidens, sicut acervus lapidum, quod tamen implicat, quia omne totum in linea substantiæ est totum per se: sed substantia non potest habere partes unitas: ergò illas distinctas non habet. Probatur minor. Partes prædictæ non possunt uniri medio aliquo indivisibili, alias essent extremæ; nam propterea partes quantitatis extensæ sunt, quia per indivisibilia, & non se ipsius uniuntur; nec possunt prædictæ partes uniri se ipsis: ergò substantia non potest partes unitas habere. Probatur minor. ea, quæ se ipsis uniuntur ad invicem comparantur, sicut actus, & potentia, qualitèr comparantur materia, & forma: natura, & subsistentia, quæ se ipsis uniuntur; sed substantiæ partes non possunt ad invicem comparari, sicut actus, & potentia, quia omnes sunt eiusdem rationis, & non est ratio, quare una determinate sit actus, & altera potentia, & non contingat è contra: ergò partes prædictæ se ipsis uniri non possunt.

Respondent aliqui: Partes prædictas uniri mediante aliquo modo indivisibili entitativè, & ut quod, virtualitèr tamen, & ut quo divisibili, & tangente partes secundum se totas ad eum modum quo anima rationalis entitativè spiritualis, virtualitèr, & ut quo corporea est, & totam materiam tangit; ad differentiam indivisibilis unientis partes quantitatis, quod quidem tàm ut quod, quàm ut quo indivisibile est, & non potest propterea tangere partes secundum se totas, sed solum secundum extremitates, ex quo provenit extensio.

Sed hæc solutio vera non est. Nam in primis, ideò modus ille esset ut quo, & virtualiter divisibilis, quia unit partes divisibiles; sed ex hoc non sequitur, si semel ille modus entitativè, & ut quod indivisibilis est, ergò modus ille in prædicta solutione contentus; nullo modo est divisibilis. Probatur minor. Indivisibile quantitatis unit partes divisibiles; & tamen virtualitèr divisibile non est, ut concedunt prædicta solutione utentes; ergo quamvis modus substantiæ uniat partes divisibiles, non bene infertur, quod ipse virtualitèr divisibilis sit,

Se-

Secundo rejcitur : Quia ſi modus uniens partes ſubſtantiæ entitativè indiviſibilis eſt, partes unitæ debent habere extenſionem : ergò implicat tale modum eſſe entitativè indiviſibilem , & partes unitas nullam extenſionem habere. Probatur antecedens. Modus indiviſibilis entitativè non poteſt tangere partes ſecundum ſe totas , nam modus ſecundum ſuam entitatem tangit partes , & entitas indiviſibilis non poteſt adæquari cum entitate diviſibili , nec illam ſecundum ſe totam tangere ; ſed ſolum ſecundum extremitatem : ergo ſi modus uniens entitativè indiviſibilis eſt , partes unitæ debens habere extenſionem.

Secundo reſpondent alij: Partes ſubſtantiæ uniri mediante modo ſubſtantiali diviſibili formalitèr , & conſequenter tangente partes ſecundum ſe totas , & non ſolum ſecundum extremitates; & propterea que partes unitas extenſionem non habere.

Et ſi dicas : Talem modum diviſibilem formalitèr habere etiam ſuas partes , & conſequenter ad illarum unionem requiri alterum modum , & ad illum alium uſque in infinitum.

Reſpondetur : Talem modum habere etiam ſuas partes : non tamen indigere alio modo , quia modus ille eſt ratio formalis uniendi partes ſubſtantiæ , & conſequenter eſt ratio formalis reſpectu ſui ipſius , quia unius rationis formalis non datur alia , ſicut ad videndam lucem , non requiritur alia lux. Qui modus diſcurrendi probabilitatem non caret ; & ideò illum probabilitèr defenſamus.

Sed inſtabis contra illum : quia modus uniens partes quantitatis indiviſibilis eſt: ergo modus etiam uniens partes ſubſtantiæ eſt indiviſibilis , vel non erit admittendus.

Secundo inſtabis : quamvis linea ſit ratio formalis uniendi partes ſuperficiei , indiget tamen ipſa indiget indiviſibilibus , propriè partes uniantur: ergo pariter , quamvis modus uniens partes ſubſtantiæ ſit ratio formalis uniendi , indigebit altero modo , quo propriæ partes uniantur , & ita neceſſarium erit procedere in infinitum.

Tertio : modus prædictus requititur ad recipienda indiviſibilia quantitatis ; ſed ad hunc effectum debet eſſe indiviſibilis, alias non erit ſubjectum proportionatum indiviſibilis quantitatis : ergo modus ille indiviſibilis eſt.

Quar-

Quarto: Si daretur ille modus, adveniente quantitate præstaret proprium effectum, nam quantitas effectum illius impedire non potest; sed adveniente quantitate modus ille non præstat proprium effectum, quia non unit partes secundum se totas, alias substantia non esset extensa adveniente quantitate: ergo modus ille impossibilis est.

Quinto: Modus iste divisibilis est, sicut aliæ partes substantiæ: ergo non est assignabilis ratio, quare potius si ratio uniendi, quam aliæ partes substantiæ, & idem quod prius.

Sed ad primam replicam: negatur conseq. Quia unio partium quantitatis ab intrinseco, & ex natura propria ordinatur ad faciendum magnitudinem, & ut partes habeant ordinem, & situationem in loco, ad quod requiritur partes uniri secundum extremitates, & unam esse extra aliam, alias non facerent magnitudinem, quod tamen fieri non potest, nisi modus uniens indivisibilis sit; unio vero partium substantiæ non ordinatur ad faciendum magnitudinem, sed ad faciendum unum per se in linea substantiali, & ideo necessarium non est, modum unientem esse indivisibilem formaliter.

Ad secundam replicam: negatur paritèr conseq. Quia modus prædictus sub omni consideratione est ratio formalis uniendi, & ideo sub nulla consideratione indiget altero modo: linea vero quatenus est divisibilis secundum longitudinem, non est ratio formalis uniendi partes superficiei, & ita sub hac consideratione potest indigere aliquo modo indivisibili, quo propriè partes uniantur.

Ad tertiam respondetur: Indivisibilia quantitatis inadæquatè tangere partes, & in illis esse propterea que recipi in partibus substantiæ, in quibus partes quantitatis recipiuntur, & ideo modus uniendi necessarius non est, ut substantia recipiat indivisibilia quantitatis; sed solum ut partes substantiæ uniantur, & faciant unum per se.

Ad quartam respondetur: modum unientem partes substantiæ, adveniente quantitate, præstare primarium effectum, constituentem in unire partes substantiæ; non tamen præstare secundarium effectum uniendi, videlicèt, illas secundum se totas; nam hic effectus secundarius non est proprius quarto modo, sed dumtaxat tertio modo, quatenus solum convenit tempore determinato; unde modus ille non impedit extensionem quantitatis.

Ad 3. respondetur: quod licèt considerata propria divisibilitate non sit major ratio in modo illo, quam in alijs substantiæ partibus; adest tamen major ratio attenta dispositione conditoris naturæ, qui disposuit illum modum specialitèr esse rationem uniendi. Verum quamvis hæc probabilia sint alitèr, & verius in doctrina Div. Th:

Respondetur ad argumentum: Partes substantiæ ut uniantur, non indigere modo aliquo divisibili, vèl indivisibili; sed se ipsis immediatè uniri tanquam partes ejusdem rationis, per se ordinatas ad constituendum idem totum, nec necessarium est, unam esse potentiam, & alteram actum, sed satis esse omnes, esse in potentia in ordine ad idem totum. Quam solutionem 1. *p quæst. 3. art. 7.* traddit Ang. Doct. ubi affirmat in omni composito esse potentiam, & actum, vèl quia una pars est in potentia respectu alterius, vèl quia omnes partes se habent, ut potentia respectu totius: ex quo infert, Deum esse omnino simplicem, quia in Deo non est una pars in potentia ad aliam, nec plures partes in ordine ad idem totum.

Sed instabis primo: quod sicut partes substantiæ sunt ejusdem rationis ita etiam sunt ejusdem rationis partes ipsæ quantitatis; sed partes quantitatis non uniuntur per se ipsas: ergo nec partes substantiæ.

Secundo instabis: Majorem proportionem habent materia, & forma, ut se ipsis uniantur, quam partes substantiæ; sed materia, & forma non per se ipsas uniuntur; sed mediante aliquo modo, ut fert communis opinio: ergo nec partes substantiæ.

Respondetur ad primam replicam: Unionem partium quantitatis ex natura sua ordinari ad faciendam magnitudinem; & ita necessario uniri mediante aliquo indivisibili, per quod se tangant secundum extremitates, & magnitudinem faciant; unionem vero inter partes substantiæ non ad hoc ordinari, & ita non fieri per indivisibilem modum, sed se ipsis uniri, & sic unitas manere tanquam partes universi sine ordine, & cum quadam confusione, quæ tamen confusio tollitur adveniente quantitate, per quam partes prædictæ formalitèr ordinantur.

Ad secundam replicam respondetur; negando maj. Quia materia, & forma sunt partes diversæ rationis, & propterea indigent medio unitivo, & utramque proportionante; partes vero integrales substantiæ sunt ejusdem rationis sine ulla diversitate specifica,

&

& omnes comparantur ut potentia in ordine ad idem totum. Si tamen diceremus, sententiam concedentem modum unionis, non esse probabilem in sensu composito sententiæ nostræ, nihil inde poterit contra sententiam nostram inferri.

Ex dictis colliges primo: distinctionem substantialem esse prædicatum substantiale, & à quantitate ut à conditione dependere, sicut individuatio substantialis, tanquam à conditione, & termino connotato à quantitate dependet: & sicut influxus realis, quo demonstratio causat scientiam, tanquam à conditione dependet ab ipsa forma rationis.

Secundo colliges: Illa, quæ sunt unum per unionem posse esse plura in potentia, sicut partes ulnæ, quæ antea erant unitæ, possunt separari, & fieri plura: & similitèr, quæ sunt plura actu, posse fieri unum per unionem, sicut duo vasa aquæ distincta possunt continuari, & per unionem fieri unum: in quo sensu intelligendi sunt Doct. Aug. & Philosophus, qui quandoque asserunt, ea quæ sunt actu unum, posse fieri plura in potentia, & è contra, ea, quæ sunt plura in actu esse unum in potentia, quatenus possunt uniri, qualitèr explicari debent authoritates aliquæ, quibus adversarij utuntur. Verum tamen quæ sunt unum per identitatem, & simplicitatem, non possunt esse plura in potentia, nisi sint unum per solam identitatem in genere inteligibili, quia talis unitas secundum quid talis est.

QUÆST. III.

De Prædicamento Relationis.

ARTICULUS I.

Quid sit relatio prædicamentalis, & quas habeat proprietates.

§. I.

Quibusdam suppositis statuitur relationis diffinitio.

AD intelligentiam totius prædicamenti notandum est primo, contra Gilbertum Porretanum damnatum in Concilio Remensi sub Eugenio III. dari relationes reales, quod est doctrina fidei, & etiam ratio convincit, quia Personæ Divinæ formaliter aliquid reale sunt: sed Personæ Divinæ constituuntur, & distinguuntur per divinas relationes, nam in prædicatis absolutis distinctionem non habent: ergo relationes Divinæ aliquid reale sunt.

De creatis autem relationibus id ipſum ratio convincit, quia unum album dicit à parte rei relationem ad alterum album ſimile, & Pater ad Filium, & Magiſter ad Diſcipulos ſuos; ſed relatio, quæ à parte rei reperitur, realis eſt: ergo etiam in creaturis dantur relationes reales.

Secundo ſuppponendum eſt: Relationem eſſe formam intrinſecam ſubjecto quod per ipſam relationem refertur ad alterum, quia unum ſimile intrinſecè refertur ad aliud; ſed non refertur intrinſecè per extrinſecam formam: ergo relatio intrinſeca non eſt.

Rurſus etiam probatur: quia denominatio relati provenit à forma intrinſeca alicui ſubjecto: nam omnis denominatio eſt in aliquo intrinſeca entitativè: ſicut denominatio viſi provenit à viſione, quæ quamvis ſit intrinſeca objecto, eſt tamen intrinſeca videnti; ſed denominatio relati provenit à relatione, & non à forma abſoluta, cum forma abſoluta non poſſit unum ad alterum referre: ergo relatio intrinſeca debet eſſe in aliquo ſubjecto; relatio vero dividitur ſecundum eſſe, & relationem ſecundum dici; relatio ſecundum dici eſt relatio tranſcendentalis; quæ non refert terminum ut unum terminum ſed ut cauſam, vel effectum, ſicut relatio, quam ſcientia dicit ad objectum ſpecificativum, ut cauſam: undè relativa tranſcendentalia, vèl ſecundum dici primario ſignificat aliquid abſolutum, & ex conſequenti ſignificant reſpectum dependentiæ cauſæ ab effectu, vel effectus à cauſa. Relativa ſecundum eſſe: primario ſignificant ipſam habitudinem relativam, ſicut Pater, & Filius: Dominus, & ſervus; & ita tantum ſuum eſſe habent in ordine ad terminum, quem reſpiciunt.

Relatio autem tranſcendentalis poteſt eſſe realis, qualis eſt illa, quam effectus realis dicit ad cauſam realem. Poteſt etiam eſſe rationis, qualis eſt illa, quam omnia entia rationis dicunt ad intellectum, ut ad cauſam efficientem. Relatio quidem ſecundum eſſe alia etiam eſt realis, ſicut illa, qua unum album refertur ad aliud, & Pater ad ſuum Filium. Poteſt inſuper eſſe rationis: ut relatio ſpeciei ad individua, & generis ad ſpecies: ex quibus ſola relatio realis ſecundum eſſe ſpeciale prædicamentum conſtituit.

§. II.

Diffinitio relationis prædicamentalis explicatur.

HÆc autem relatio prædicamentalis realis eſt *forma accidentalis realis, cujus totum*

tum esse est in ordine ad terminum, per esse formam convenit cum omni forma, tàm reali, quàm rationis per esse accidentalem, distinguuntur à relatione Divina, quæ est substantia: per esse realem distinguitur à relatione rationis: per ultimam denique particulam distinguitur à relatione secundum dici, quæ non habet totum suum esse in ordine ad terminum, nec ipsum respicit, ut purus terminus est.

Dividitur tamen relatio prædicta in relationem mutuam, cui videlicèt in altero extremo alia correspondet relatio, quales sunt relatio Patris, & Filij: *Domini, & servi*, & in relationem non mutuam, eam scilicèt, cui in altero extremo relatio non correspondet realis, sicut relatio potentiæ ad objectum, & scientia ad scibile.

Ultra: relatio mutua alia est æquiparantiæ, quæ videlicèt, est ejusdem denominationis in utroque extremo, sicut relatio inter duo alba, utrumque denominat simile. Alia vero est relatio disquiparantiæ, quę diversam denominationem habet in utroque extremo, sicut relatio Domini, & servi, vèl Patris, & Filij, quæ diversam denominationem in utroque extremo habet.

*** *** ***

Aug. Vindel.

§. III.

Fundamenta hujus relationis assignantur.

HAbet etiam relatio ista triplex fundamentum: primum est *unitas*, & *numerus*: Secundum est *actio*, & *passio*. Tertium est *mensura*, & *mensurabile*. Ex quibus supra unitatem, & numerum fundatur relatio primi generis, quia unitas convenientiam importat, quæ convenientia si est in quantitate fundat relationem æqualitatis; si autem in qualitate, vèl substantia, fundat relationes similitudinis, & identitatis: & si fuerit unitas proportionis fundat relationem numeri ad numerum, sicut relatio, qua numerus binarius refertur ad quaternarium, est relatio proportionis, nam sicut numerus quaternarius se habet ad quatuor unitates, ita numerus binarius ad duas unitates se habet.

Præoculis tamen habendum est: quod in unitate secundum diversas formalitates fundantur relationes diversæ, sicut in albedine fundatur relatio similitudinis ad alterum album, & similitudinis ad nigrum, & in quantitate palmari fundatur relatio æqualitatis ad alteram quantitatem

palmi, & relatio inæqualitatis ad majorem, vèl minorem quantitatem.

Supra actionem vero, & paſsionem fundatur relatio ſecundi generis, ſicut relatio Patris, & Filij, nam relatio Patris fundatur ſupra generationem, quæ actio eſt. Relatio vero Filij fundatur ſupra eſſe genitum, quod paſsionem ſignificat.

Supra menſuram autem, & menſurabile fundatur relatio tertij generis, ſicut relatio ſcientiæ ad ſcibile, vèl relatio creaturæ ad creatorem: ex quibus relatio menſurabilis eſt realis, quia ſcientia realitèr ab objecto menſuratur, & creatura realitèr menſuratur à Deo: eo parte tamen menſuræ non correſpondet altera relatio realis, ſed ſola relatio rationis, nam objectum ad ſcientiam, & Deus ad creaturam ſolum dicunt relationem rationis, & hæc tria genera ſunt in qua relatio præ fundamentalis dividitur, ſicut genus in ſpecies. Verum ſolum fundamentalitèr, & cauſalitèr diſtinguuntur relationes per diverſa fundamenta, quatenus unitas, vèl diſtinctio fundamenti redundat in terminum relationis: formalitèr vero ſolum per diverſos terminos diſtinguuntur, eo quod relatio rectum ſuum eſſe habet in ordine ad terminum, & ab illo ſpecificatur formalitèr.

§. IV.

Proprietates relationis ponuntur.

PRædicta relatio ſuas habet proprietates, quia relationi nihil eſt contrarium, nam ad formas contrarias datur per ſe motus, qui tamen non datur ad relationem: ipſi tamen relationi ratione fundamenti aliquid eſt contrarium, & propterea relatio, quæ fundatur in albedine ratione fundamenti contrariatur cũ relatione in nigredine fundata, quia nigredo, & albedo contrariè opponuntur.

Secunda proprietas eſt: Relationem ratione ſui non ſuſcipere magis, & minus, eo quod non habet contrarium, & ſuſcipere magis, & minus fit per admixtionem majorem, vèl minorem formæ contrariæ. Poteſt tamen relatio ratione fundamenti ſuſcipere magis, & minus, quatenus fundatur in albedine, aut alia forma, quæ ſuſcipit magis, & minus, quæ duæ proprietates non ſunt proprie quarto modo; nam etiam ſubſtantiæ conveniunt, & hæc ſcientiæ convenit etiam quantitati.

Et ſi dicas: quod diminuta albedine, minuitur etiam relatio unius albi ad alterum album, vèl augetur, & non eadem perſeverat

rat: ergo relatio ſuſcipit magis, & minus.

Reſponderur: hoc probare, quod ratione fundamenti ſuſcipiat magis, & minus; non tamen formaliter ratione ſui, vèl diminuta albedine, vèl variato formaliter fundamento non perſeverat eadem relatio, ſed alia diſtincta reſultat.

Tertia proprietas eſt: relativa prædicamentalia dici ad convertentiam, quod idem eſt, atque mutuo ſe inferre: nam bene valet: eſt Pater: ergo Filius: eſt Dominus: ergo ſervus: & è contra: quæ proprietas etiam convenit relativis tranſcendentalibus, ſiquidem valet etiam: eſt ſcibile: ergo ſcientia, & è contra.

Quarta proprietas eſt: Relativa prædicamentalia eſſe ſimul natura, & cognitio, quia ad invicem ſe inferunt, ut probatum relinquimus, & unum non eſt cauſa, vèl effectus alterius, in quo conſiſtit eſſe ſimul natura, & cum aliundè unum ſit in ordine ad aliud, & non poſſit ſine altero cognoſci, ſunt etiam ſimul in cognitione, quod etiam habent relativa tranſcendentalia; ſed eſſe ſimul natura ſolis relativis prædicamentalibus convenit, & eſt primum quarto modo.

§. Ultimus.

De conditionibus relationis.

QUatuor quidem conditiones ad relationem prædicamentalem requiruntur, quarum prima eſt, quod ſubjectum ſit reale, & realiter exiſtat, quia relatio accidentalis realis non poteſt eſſe in ente rationis, nec in ente poſſibili, ſed tantum recipi poteſt in ente realiter exiſtente.

Secundo requiritur: Fundamentum eſſe reale, quia relatio prædicta dimanat à fundamento per naturalem reſultantiam, & à fundamento rationis accidens reale dimanare non poteſt.

Tertiò requiritur: Terminum eſſe realem, & realiter exiſtentem, quia inter ſubjectum, & terminum datur oppoſitio realis relativa, quę neceſſario debet eſſe inter extrema realia, & inſuper mutuo ſe inferunt: ergo cum ſubjectum relativum exiſtat à parte rei, etiam terminus realiter exiſtere debet, alias non mutuo ſe inferent, nec erunt ſimul natura. Et hoc utique conſtat ex eo, quod in uno, & eodem albo darentur infinitæ relationis ad infinita alba poſſibilia, ſi exiſtentia rea-

lis terminis necessaria non esset.

Quarto requiritur : Rationem fundandi debere esse in utroque extremo distinctam realitèr, qua ratione 1. *p. q.* 4. *art.* 1. negat Ang. Doct. relationem realem similitudinis inter Divinas Personas, eo quod natura Divina, quæ est ratio fundandi relationem prædictam, in tribus Divinis Personis est eadem realitèr. Et insuper quia nihil est realitèr sibi simile, nec realitèr convenit cum se ipso, & consequenter albedo, quæ fundat relationem simil itudinis non est eadem realiter cum albedine, quæ in termino reperitur. Quod utique in relatione dissimilitudinis magis urget.

Ex dictis colliges : Relationem individuari à subjecto, sicut cœtera accidentia, & ideo relatio albi, quæ reperitur in Petro numericè distincta est ab ea, quæ in altero homine reperitur.

Secundo colliges, unam relationem prædicamentalem non posse supra alteram fundari, quia fundamentum reale habet aliquam efficientiam in formam fundatam, quam efficientiam nequit habere relatio, quia est minimæ entitatis, & ens purè respectivum. Quod utique confirmamus ex eo quod si ita contingeret, darentur infinitæ relationes, nam ad unam relationem Paternitatis resultaret relatio similitudinis ad alteram relationem Paternitatis, & ad istam altera usque in infinitum, & ideò relationes infinitæ darentur.

RTICULUS II.

Vtrùm relatio realitèr entitativè à fundamento distinguatur.

§. I.

Præmittuntur aliqua certa.

IN præsenti sermo non est de distinctione reali entitativa relationis à fundamento, qua differant, tanquam res à te determinatè, vèl tanquam modus, & res: hæc enim quæstio est purè de nomine, nec tollit intentum nostrum, qui in præsenti solum intendimus, an realitèr distinguantur, sivè sit illa distinctio inter utrumque tanquam res à re, vèl tanquam modus, & res, Pro quo.

Supponendum est primo: Fundamentum relationis aliquando distingui à subjecto relationis, sicut fundamentum relationis similitudinis inter duos homines albos est albedo, quæ tamen realitèr entitativè distinguitur ab ipsis hominibus, qui sunt relationis subjecta. Aliquando verò fundamentum non distingoitur à subjecto, sicut patet in relatione identitatis formalis inter

tèr duos homines reperta, quæ fundatur inconvenientia ſpecifica utriuſque, & hæc inconvenientia non eſt diſtincta ab eorum ſubſtantia quæ eſt ſubjectum relationis.

Secundo notandum eſt: quod quando fundamentum diſtinguitur entitativè à ſubjecto relationis, etiam ipſa relatio realitèr ab eodem ſubjecto diſtinguitur. Dificultas tamen eſt: an relatio diſtinguatur entitativè à fundamento, ſivè fundamentum ſit diſtinctum à ſubjecto, ſivè ſit idem cum ſubjecto relationis.

Et in hac difficultate ſententiam negativam tenentur communitèr AA. extra Scolam D. Th. & etiam aliqui Thomiſtæ ſequuntur. Affirmativam verò docent Thomiſtæ communitèr cum quibus.

§. II.

Noſtra concluſio.

DOcuit illam Doct. Ang. 4. contrag. *cap.* 14. & *q.* 8. de Potent. *art.* 2. per ea verba: *Subſtantia creata non poteſt identificare ſibi relationem, quia eſt diffinita ad tale genus, in quo differt à ſubſtantia Dei, quæ cum infinita ſit, & ſuper omnia genera, poteſt alia ſibi identificare.* & ne videatur D. Th. ſolum loqui de relatione, quæ fundatur in ſubſtantia, non tamen de quacumque relatione, habere verba ipſius 1. *p. quæſt.* 28. *art.* 2. quæ talia ſunt: *quod invenitur in creatura præter id quod continetur ſub ſignificatione nominis relativi, eſt alia res; in Deo autem non eſt alia res.* Sed quod invenitur in creatura, præter illud, quod continetur ſub ſignificatione nominis relativi, eſt fundamentum, tàm proximum, quàm remotum: ergo omne fundamentum creatum diſtinguitur à relatione.

Reſpondebis: In his, & alijs locis docere D. Th. relationem eſſe accidens, & inhærere ſubjecto, & diſtingui realitèr à ſubſtantia, & ita relationes, quæ fundantur immediatè in ſubſtantia realitèr à fundamento diſtingui; non tamen loqui D. Th. de relationibus, quæ fundantur in ſubſtantia mediatè, & immediatè fundantur in aliquo accidente; nec de his docere, realitèr à fundamento immediato diſtingui, quamvis omnes realitèr diſtinguantur à ſubſtantia.

Sed contra: Nam dum docet D. Th. relationem à fundamento diſtingui, conſtituit diſcrimen inter relationes creatas, & Divinas relationes: ergò loquitur de omni relatione creata, ſivè fundetur in ſubſtantia, ſivè in alio realitèr à ſubſtantia diſtincto.

Secundo: Nam D. Thom. pro

probat ſubſtantiam creatam non poſſe identificare relationem, quia eſt diffinita ad tale genus; ſed omne fundamentum relationis eſt diffinitum ad tale genus, vèl ad genus determinatum: ergo ſentit D. Thom. omne fundamentum eſſe realitèr à relatione diſtinctum.

Tertio: quodcumque fundamentum eſt aliquid non contentum ſub ſignificatione nominis relativi; ſed hoc ipſo eſt alia res à relatione diſtincta, ut docet D. Th. in ſecunda authorit. relata: ergo omne fundamentum eſt alia res à relatione diſtincta.

Ratione vero concluſionem noſtram probant aliqui: quia fundamentum, & relatio pertinent ad diverſa prædicamenta: ergò realitèr diſtinguuntur. Nam quæ pertinent ad diverſa prædicamenta debent diſtingui realitèr.

Sed hæc ratio efficax eſſe non poteſt: quia Doct. Sanct. 11. Metaph. *lect.* 9. aſſerit: eandem entitatem diverſimode prædicatam pertinere poſſe ad prædicamenta diſtincta. Inſuper etiam: actio pertinet ad prædicamentum actionis, & paſsio ad prædicamentum paſsionis; & tamen identificantur realiter. Falſum: ergo eſt principium ſupradictæ rationis.

Probant alij: Relationem eſſe diſtinctam realitèr à fundamento, quia eſt augeri, quin augeatur fundamentum.

Sed hanc rationem facile reſpondebunt adverſarij, etiam Logicam utentem augeri poſſe quin augeatur Logica utens. ut tenent plures Thomiſtæ: nihilominus aſſerentis, utramque Logicam eſſe eandem entitativè. Melius: ergo, & efficatius.

Probatur concluſio noſtra: Quia implicat eandem entitatem habere totum ſuum eſſe in ordine ad terminum, & non habere illud; nam habere totum eſſe in ordine ad terminum, & non habere illud, opponuntur contradictorie; ſed relatio habet totuum ſuum eſſe in ordine ad terminum, quod tamen non habet fundamentum relationis: ergo realiter entitativè diſtinguuntur.

Reſpondebis: eandem entitatem poſſe habere, & non habere totum eſſe in ordine ad terminum ſecundum formalitates diverſas.

Contra tamen: quia entitas relationis ſecundum nullam formalitatem poteſt non eſſe terminum: ergo ſolutio nulla eſt. Probatur antecedens. Habere totum eſſe in ordine ad terminum eſt totam entitatem adæquatè ſumptam, & ſecundum omnem formalitatem eſſe in ordine ad terminum: eo quod ſi ſecundum aliquam formalitatem

ad

ad terminum non est, non habebit totum esse in ordine ad illum: ergo entitas relationis secundum nullam formalitatem potest ad terminum non esse.

Secundo probatur conclusio: quæ realitèr separantur, realitèr distinguuntur: sed fundamentum, & relatio realitèr separantur: ergo. Probatur min. Destructo termino, non manet relatio, quæ totum esse habet in ordine ad terminum; sed destructo termino, non potest fundamentum manere: siquidem destructo uno albo terminante relationem, potest aliud album manere, cujus albedo est fundamentum relationis ergo fundamentum, & relatio realitèr separantur.

Respondent contrarij: destructo fundamento non manere relationem quantum ad denominationem secundariam referentis; manere tamen quantum ad entitatem, & primariam denominationem ipsius.

Sed contra est: Nam destructa essentia relationis, non manet relationis entitas; sed destructo termino non manet relationis essentia, siquidem non manet ad aliud, in quo relationis essentia consistit: ergo destructo termino, non manet entitas relationis.

Secundo: deficiente denominatione primaria non manet entitas relationis; sed deficiente termino deficit primaria denominatio relationis, denominatio videlicèt referentis, eoquod termino destructo, relatio non refert subjectum ad terminum; ergo non manet entitas relationis.

Tertio: Sicut conceptus *ab* est proprius actionis, ita conceptus *ad*, vèl denominatio referentis est propria relationis: sed deficiente conceptu *ab* non manet actio entitativè: ergo deficiente *ad*, vèl denominatione referentis, non manet entitativè relatio.

§. III.

Argumentis contrariorum occurritur.

COntra conclusionem nostram arguitur primo ex D. Th. *opusc. 48. tract. 5. cap. 2.* ubi ait: Similitudinem non esse aliam rem ab albedine, sed ipsam albedinem; ut se habentem ad aliud. Insuper *3. p. q. 16. art.* affirmat: ea, quæ relative dicuntur, advenire subjecto absque illius mutatione: ergo relatio non est distincta realitèr ab ipsius fundamento, alias esset alia res ab illo, & etiam per adventum relationis subjectum mutaretur, quod negat Ang. Doct.

Respondent aliqui opusc. non esse D. Thomæ, & hoc

constare ex ipso modo loquendi, qui distinctus est ab eo, quem Div. Thom. habet in alijs opusc. quod etiam affirmant aliqui scribentes victam Sanctissimi Præceptoris; idque colligunt ex eo, quod 12. Metaph. *lect.* 4. affirmat: relationem esse remotiorem à substantia, quam alia accidentia. Et 4. contrag. *cap.* 14. relationem causari ex alijs accidentibus; inter causam autem, & effectum debet esse distinctio realis. Quam solutionem improbare non audemus.

Secundo responderi poterat: relationem non esse aliam rem alietate actionis, quia per eandem actionem, qua fit fundamentum producitur ipsa relatio. Et etiam relationem advenire sine mutatione objecti per se primo terminante causalitatem agentis, ad quam mutatio relationis solum secundario consequitur aliter tamen.

Respondetur: Relationem secundum expressum *ad* non inhærere, necesse aliam rem à subjecto, nec ipsum mutare, quia secundum expressum *ad* non facit compositionem cum subjecto, nec ad ipsum comparatur, nec illi inhæret, sed solum comparatur ad terminum, sicut actio ex modo significandi, & secundum expressum *ab* nullam mutationem inducit; non tamen negat. D. Th. relationem entitativè, & quatenus accidens mutare subjectum, & esse alteram rem, quod totum *quæst.* 7. de Potent. *art.* 9. docuit Angel. Doct. per ea verba: *Relatio aliud habet in quantum est accidens, aliud, in quantum est relatio*, quantum enim est accidens, habet, quod sit in subjecto, & ita est aliquid inhærens, licèt non est hoc ipso, quod est relatio, sicut actio ex hoc, quòd est actio consideratur ut ab agente, in quantum vero est accidens, consideratur ut in subjecto, & ideo nihil prohibet quod esse designat hujusmodi accidens sine mutatione ejus in quo est, quia sua ratio non perficitur prout est in subjecto, sed prout transit in aliud.

Secundo arguitur: Si relatio realis esset à fundamento distincta eadem relatio esset in pluribus subjectis; v. gr. relatio numeri ternari esset in tribus unitatibus distinctis; sed hoc dicendum non est: ergo.

Confirmatur: si relatio esset à fundamento distincta, darentur in eodem subjecto infinitæ ferè relationes, quia Petrus albus similis est omni albo, quod in Mundo reperitur; hoc etiam dicendum non est: ergò.

Confirmat. 2 Si relatio à fundamento distinguitur, & ab ipso dimanat, posito fundamento poterit Deus impedire resultantiam relationis; quia si

ita contingit, erit relatio effectus secundarius actionis producentis fundamentum, & posito effectu primario potest secundarius impediri; sed hoc dicendum non est, quia albedine existente in Petro, & Paulo implicat utramque non esse similem, quod solum habere possunt per ipsam relationem: ergo.

Respondetur ad argumentum: Relationem numeri solum recipi in ultima unitate, ut supponente cæteras unitates, quia illa dat speciem, & formam numero, & ita numquam sequi, quod idem accidens, sit in pluribus subjectis. Præterquamquod eandem relationem esse in pluribus unitatibus, ut in subjectis inadæquatis implicatorium non est, sicut etiam non implicat, idem accidens esse in duplici subjecto inadæquatè distincto, ut plurimi dicunt de actione asserentes, eam recipi in agente, & in passo: & idem color numero recipitur in pluribus partibus quantitatis.

Ad primam confirmationem respondetur: eundem Magist. eadem relatione respicere omnes discipulos, & eundem Patrem omnes filios, & idem album omnia alba: unde non darentur in Petro tot relationes, sed solum darentur septem, vel octo juxta diversos gradus albedinis, quæ in Petro reperitur.

Ad secundam confirmationem respondetur: Deum posse impedire relationem posito fundamento, in quo casu Petrus, & Paulus solum essent fundamentaliter similes, & non formaliter, quia relatio deficeret, in quo sensu intelligendus est Arist. quando 8 Metaph. cap. 5. affirmat: similia esse, quorum qualitas est una.

Dices: quamlibet albedinem, etiam deficiente relatione, esse alteri similem in virtute producendi relationem ipsam, quia in tali virtute conveniunt; nam ad utrumque potest resultare relatio; sed similitudo prædicta non habetur per relationem quam præcedit: ergo per aliam ab albedine non distinctam.

Urgetur: Ante relationem utraque albedo similis est in carentia relationis; sed hæc similitudo est formalis: ergo habetur per aliam relationem, realiter ab albedine non distinctam. Probatur minor. Similitudo fundamentalis potest fieri formalis per adventum relationis superadditæ, sed prædicta similitudo, quam haberent albedines in carentia relationis, non potest fieri formalis per superaditam relationem, siquidem adveniente relatione; non carerent relatione superaddita, in qua erant antea similes: ergo simi-

li-

litudo ſupradicta non fundamentalis, ſed formalis eſt.

Reſpondetur ad primam: virtutem productivam relationis eſſe ipſam entitatem albedinis, & ita ſicut per ſuas entitates tantum fundamentaliter ſunt ſimiles duæ albedines, ita fundamentaliter tantum aſſimilantur in virtute producendi relationem.

Ad ſecundam, qua urgetur, dicimus: negationem carendi relatione ſuperaddita non poſſe eſſe fundamentum relationis, quæ in negatione fundari non poteſt, & propterea albedines carentes relatione ſuperaddita, ſolum eſſe ſimiles fundamentaliter poſitivè per ordinem ad relationem rationis, quam fundare poſſunt; non tamen comparativè ad relationem realem, quæ fundari non poteſt in carentia ſui ipſius, & ideo prædictæ albedines à parte rei non eſſent formaliter diſſimiles, ſed ſimiles negativè, aut non diſſimiles in carentia ſuperadditæ relationis.

Tertio arguitur: quia ſi relatio eſſet à fundamento diſtincta producta gratia habituali, produceretur in omnibus exiſtentibus ſimul relatio coexiſtentiæ ad gratiam de novo producta; ſed hoc dicendum non eſt, quia illa relatio exigeret gratiæ exiſtentiam, & conſequenter eſſet ſupernaturalis, proindeque daretur in omnibus ſimul exiſtentibus forma ſupernaturalis, quod eſt falſum: ergo.

Confirmatur: Si Petrus ſit albus, & de novo producatur alterum album, Petrus importabit relationem ad ipſum; ſed hæc relatio non producitur de novo; ſed eſt ipſa tantum albedo Petri, ut connotat extrinſecum terminum: ergo relatio non eſt à fundamento diſtincta. Probat. min. Nulla datur cauſa de novo productiva relationis, nam illa, quæ produxit fundamentum, jam non exiſtit, & alia aſſignari non poteſt: ergo relatio ſupradicta non producitur de novo, ſed eſt ipſa albedo Petri, ut connotat extrinſecum terminum, hùc album de novo factum.

Confirmatur ſecundo: Relatio diverſitatis inter hominem, & equum eſt formaliter illorum diſtinctio; ſed diſtinctio illorum nihil importat præter entitates ipſorum, quæ ſe ipſis diſtinguuntur: ergo relatio prædicta non diſtinguitur à fundamento, aut eorum entitate.

Reſpondetur ad argumentum, negando min. non enim relatio illa eſſet ſupernaturalis, ſed ſolum terminator ad gratiam ſecundum rationem communem ſimul coexiſtentis, in quo naturalia, & ſupernaturalia conveniunt: Ratio autem ſimul coexiſtentis ad naturalia, & ſupernaturalia communis, ſuperna

naturalis non est formaliter, sed abstrahit ab utroque, & propterea relatio, quæ ad gratiam terminatur secundum rationem istam, non est supernaturalis, cujus oppositum contingeret, si terminaretur ad gratiam secundum differentiam propriam, quæ formaliter supernaturalis est.

Dices: resultare saltim in alijs rebus relationem diversitatis à gratia; sed hæc relatio terminatur ad gratiam secundum propriam differentiam, qua essentialiter ab omnibus alijs distinguitur: ergò erit in alijs supernaturalis relatio diversitatis terminata ad gratiam secundum propriam differentiam ipsius

Respondetur tamen: relationem diversitas resultare in omnibus alijs, gratia producta, illam tamen non terminari ad gratiam secundum propriam differentiam positivè; sed solum negativè, & quatenus non est aliorum differentia, secundum quam rationem supernaturalis non est, quia non esse aliorum differentiam est commune omni differentiæ, sivè naturalis, sivè supernaturalis sit.

Ad primam confirmationem negatur min. quia licèt causa productiva fundamenti modo non existat formaliter; virtualiter tamen existit in effectu producto, videlicèt in albedine; quod satis est, ut de novo possit resultare relatio, sicut motus lapidis semper tribuitur generanti, quod licèt aliquando non existat formaliter, quando producitur motus, semper tamen in effectu, vèl lapide virtualiter existit.

Ad secundam confirmationem respondetur: neg. maj. Nam homo, & equus formaliter distinguuntur per formas diversæ rationis, referuntur autem formaliter per relationem accidentalem superadditam, & ideò distinctio illorum formalis non est formaliter relatio diversitatis, sed solum fundamentum illius.

Sed instabis: ergo utraque forma hominis, videlicet, & equi est diversa formaliter à relatione diversitatis, quam fundat, sed non per aliam relationem diversitatis, alias ab hac differret per alteram, & idem de alijs, & consequenter, daretur processus in infinitum: ergo utraque forma per se ipsam, & non per aliud distinguitur à relatione diversitatis, quam fundat: cumque hæc diversitas formalis sit relatio prædicamentalis, utraque forma per se ipsam erit relatio, aut à relatione indistincta.

Respondetur distinguendo primum consequens. Formaliter absolutè, & negativè concedo conseq. formaliter relativè, nego conseq. Quia utraque forma est distincta à relatione diversitatis, quam fundat

for-

formalitèr abſolutè, quatenus differentia utriuſque formæ non eſt differentia relationis fundatæ, quæ quia modo non eſt, ſolum negativè diſtinguitur; non tamen utraque forma diſtinguitur à relatione diverſitatis formalitèr relativè: hoc enim ſolum haberi poteſt per ſuperadditam relationem.

Dices: ergo ſuperaddita relatione diverſitatis unius formæ ad alteram formam, altera etiam debet reſultare relatio diverſitatis ad primam relationem, ſiquidem utraque forma nedum ad invicem, verum etiam à prima relatione diverſitatis formalitèr diverſa eſt, & poſito fundamento, & termino debet reſultaret relatio.

Sed negatur conſeq. Quia per eandem relationem diverſitatis, qua utraque forma refertur ad invicem, refertur etiam ex conſequenti ad ipſam relationem diverſitatis, conſideratam ut quod, & ut diverſam ab utraque forma: nam per eandem relationem diverſitatis refertur ſubjectum ad omnia diverſa eſſentialitèr ab ipſo, ſicut per eandem relationem convenientiæ formalis refertur ſubjectum ad omnia formalitèr convenientia.

Quarto arguitur: duæ quantitates æquales eandem habent æqualitatem, quamvis non reſulcet relatio, quia eandem ſemper extenſionem habent: ergo per ſe ipſas referuntur relatione æqualitatis abſque alia ſuperaddita diſtincta, & de novo reſultante.

Confirmatur: Duæ relationes paternitatis ſunt ſimiles formalitèr per ſe ipſas ſecluſa altera relatione ſuperaddita: ergo etiam duæ albedines, & conſequentèr non dabitur relatio ſuperaddita, per quam duæ albedines formalitèr ſint ſimiles, & ad invicem referantur. Probat. anteced. Si duæ relationes paternitatis eſſent ſimiles per ſuperadditam relationem, illa relatio ſuperaddita eſſet diſſimilis alteri per alteram novam, & illa nova eſſet iterum ſimilis alteri ejuſdem rationis per alteram etiam novam, & ita daretur proceſſus in infinitum: ergo duæ relationes paternitatis ſunt ſimiles formalitèr per ſe ipſas independentèr à nova, & ſuperaddita relatione.

Reſpondetur ad argumentum: negando conſeq. Quia duæ quantitates inæquales independentèr à ſuperaddita relatione ſolunt ſunt æquales fundamentalitèr, quatenus eandem extenſionem habent, ſed non formalitèr; nam æqualitas formalis eſt effectus relationis.

Ad confirmationem dicimus: Relationes Paternitatis eſſe ſimiles formalitèr per ſe ipſas, & per ſe ipſas referri independen-

den-

dentèr ab altera relatione, quia fient existentia est ratio, ut subjectum existat, & per se ipsam existit, ita relatio est ratio formalis referendi unum ad aliud, & per se ipsam etiam refertur ad aliam similem relationem.

Sed instabis: Relatio paternitatis non est ratio formalis assimilandi unum alteri, sed solum est ratio referendi Patrem, & Filium: ergo non est similis per se ipsam cum altera relatione paternitatis, sed hoc habere debet ab altera relatione, si semel alia sunt similia per superaditam relationem.

Secundo: Si paternitas per se ipsam est similis alteri paternitati, & dissimilis filiationi, etiam Divina paternitas erit formalitèr dissimilis filiationi, & consequentèr ultra relationes Divinas communitèr assignatas à Theologis, erit altera relatio saltim virtualitèr distincta, quod non videtur dicendum: ergo.

Tertio: defficiente altera paternitate, deficit etiam entitativè relatio primæ paternitatis ad ipsam: sed non deficit prima paternitas: ergo prima paternitas non per se ipsam refertur ad aliam paternitatem.

Quarto instabis: supposito existentiam relationis non esse relativam, sed absolutam, [illegible] relatio non existet ad terminum, sed solum in subjecto existit: quo supposito fit argumentum, quia si duo alba referuntur per superadditam relationem, eiam duæ existentiæ duarum relationem referentur per novam relationem coexistentiæ utriusque, & hujus relationis superadditæ existentia referetur ad præexistentes per alteram relationem, & hæc per aliam utriusque in infinitum: ergo duo alba non referuntur per relationem superadditam, sed per ipsas albedines utriusque.

Respondetur ad primam replicam: Relationem paternitatis non esse rationem formalem assimilandi Patrem ad Filium, sed solum referendi formalitèr per se primo, ex consequenti tamen esse rationem formalem assimilandi unum alteri, & divisificandi unum ab alio, quia ad essentiam Metaphisicam rei consequitur unitas, & convenientia cum aliquibus, & distinctio ipsius ab alijs, & idem ad essentiam paternitatis, quæ est respectus ad Filium consequentur similitudo, & diversitas: qua propter relatio prædicta per se primo est ratio referendi Patrem ad Filium, & ex consequenti ratio assimilandi ad alteram relationem Paternitatis, & diversificandi à relatione

filiationis. Nec inconveniens est unam formam non præstare subjecto alicui unam denominationem, quam alteri præstat, & maximè si utraque denominatio sit ejusdem generis relativi.

Ad secundam respondetur: Paternitatem divinam esse dissimilem filiationi, sed hanc dissimilitudinem non esse relationem à paternitate distinctam, etiam virtualiter, sed eandem paternitatem ut ex consequenti præstantem talem denominationem.

Ad tertiam dicimus: deficiente altera paternitate, deficere relationem primæ paternitatis ad ipsam quantum ad denominationem quidem secundariam, quæ est denominatio similis unius paternitatis ad aliam; non tamen deficere quantum ad denominationem primariam, quæ est denominatio referentis ad filium, & hæc primaria denominatio deficere debebat, ut relatio paternitas entitative deficeret.

Ad quartam: negatur antecedens. Quia sicut existentia relationis se ipsa existit, & reddit existentem relationem, ita relatio est relatio sui, & etiam propriæ existentiæ. Quapropter sicut relatio non indiget altera relatione, ut ad quemcumque terminum referatur, ita existentia relationis ut ad alteram referetur non indiget altera relatione distincta à propria, sed refertur per eandem relationem, quam existere facit.

Tandem arguitur: ergo relatio esset realiter à fundamento distincta, quia potest deficere denominatio relati, quin deficiat fundamentum; sed hoc non probat distinctionem realem fundamenti à relatione: ergo. Probatur minor. Potest deficere denominatio relati, & perseverare relatio: ergo ex quo deficiat denominatio relati, perseverante fundamento, non infertur inter utrumque distinctio. Probatur antecedens. Quando materia separatur à forma deficit denominatio unita; & tamen non deficit entitas, à qua provenit prædicta denominatio, in sententia asserente, unionem inter materiam, & formam, non esse realiter ab utraque distinctam: ergo poterit etiam deficere denominatio relati, & perseverare relatio, à qua provenit prædicta denominatio. Hoc suadent altera exempla, quia potest in Patre deficere denominatio relati ad secundum Filium, & perseverare relatio; & in albedine potest deficere denominatio fundantis relationem, albedine permanente, & quando intellectus obliviscitur alicujus conclusionis Logicæ non denominatur habitus extensus ad conclusionem prædictam, & tamen habitus manet.

Respondetur: negando ultimam

mam conſeq. Quia denominatio unita inter materiam, & formam eſt denominatio ſecundaria, & materialis, nam denominatio primaria in materia eſt denominatio puræ potentiæ: & in forma denominatio actus primi, & poteſt bene deficere ſecundaria denominatio perſeverante entitate: denominatio vero relati eſt denominatio primaria, eoquod relationi ut diſtinctæ formaliter ab omni prædicato abſoluto, nulla alia denominatio præter iſtam poteſt per ſe primo convenire, & ideo non poteſt deficere denominatio hæc, & perſeverare relatio. Hoc idem de alijs dicimus, nam denominatio relati ad ſecundum filium, etiam ſecundaria eſt, terminata ad terminum materialem: terminus quippè formalis ſolum eſt filius ſecundum rationem filij: ſimiliter effectus primarius albedinis eſt facere album: fundare vero relationem eſt denominatio ſecundaria. Denominatio etiam extenſi in habitu Logicæ, vèl in alio ad veritatem determinatam prætèr primam eſt denominatio ſecundaria, & in ordine ad objectum materiale: quod utique paritèr dicendum eſt de denominatione creatoris, & denominatione liberi in actu libero Dei.

Dices: poteſt in aliqua forma dari duplex denominatio primaria, & una defficiente, alteram perſeverare cum entitate formæ, ut conſtat, ſi Deus aſſumeret naturam irrationalem, quam quidem ſubſiſtentia Divina denominaret ſubſiſtentem, & terminatam; & tamen non denominaret perſonam, quamvis perſonam denominare ſit in ſubſiſtentia Divina primaria denominatio, & de facto naturam humanam denominat perſonatam; non tamen relatam, & ù hoc ſecundum, ſit etiam primaria denominatio divinæ ſubſiſtentiæ: ergo pariter poterit in eadem albedine duplex denominatio primaria reperiri, altera faciendi album, & altera referentis; & hæc ſecunda deficere perſeverante entitate.

Reſpondetur: negando conſeq. Quia illud primum eſt verum, quando in ſubjecto non invenitur capacitas ad utramque denominationem, qualiter natura humana eſt incapax, ut denominetur relata, & natura irrationalis, ut denominetur perſona: cæterum ſubjectum eſt capax, ut denominetur relatum, & ideo ſi hæc denominatio primaria eſt, illa deficiente, ſignum eſt, entitatem deficere.

Ulterius admiſſo in formis abſolutis creatis antecedenti, negatur in relativis, in quibus ante denominationem relati non poteſt alia præcedere nam illam, quæ præcederet eſſet denominatio abſoluta, quæ non

poteſt eſſe primaria in entitate relativa, alias entitas illa non eſſet tota in ordine ad terminum, & conſequentèr entitas relativa non eſſet.

Ex dictis colliges: quod naſcente muſca non mutaretur totus orbis per relationem diſtantiæ, vèl diſſimilitudinis, ſimilitudinis, vèl diſſimilitudinis ad muſcam de novo natam, quia alia in orbe exiſtentia, non per novam relationem, ſed per relationem præcedentem coexiſtentiæ, vèl ſimilitudinis reſpiciunt, & extenduntur ad ea, quæ de novo fiunt, ſicut eadem relatio Patris extenditur ad Filium de novo natum.

Secundo colligitur: Relationem habere diſtinctam exiſtentiam ab exiſtentia ſubſtantiæ, & ipſius fundamenti, quia ut ait D. Th. 3. *p. q.* 17. *art.* 2. unum accidens habet diverſum eſſe, nedum à ſubſtantia, ſed etiam ab aliis accidentibus: undè aliud eſt eſſe, quo Sortes eſt albus, & quo Sortes eſt muſicus. Inſuper etiam exiſtentia ſubſtantiæ eſt eſſe per ſe, & exiſtentia cujuſcumque accidentis eſt ſpecialis inhærentia, vèl ſpeciale eſſe in alio: ergo relatio ſpecialem exiſtentiam habet cum importet eſſe in alio, & etiam ſpecialem inhærentiam.

*** *** ***

ARTIC. III.

Vtrùm omnis relatio terminetur ad relativum?

§. I.

Difficultas aperitur.

CUM conſtet ex præcedentibus, relationi mutuæ correſpondere ex parte termini alteram relationem, & relationi mutuam aliam non correſpondere, dificultas inſurgit: an utraque relatio tendat ad terminum ſub utraque alicujus abſoluti, vèl ratione alicujus relativi.

In qua parte Scotiſtæ ſentiunt: omnem relationem terminari ad aliquid abſolutum, ſub ratione talis: quam ſententiam etiam tuentur communiter Recentiores Ieſuitæ. Plures vero Thomiſtæ quibus novitèr adhæret Mag. Lincæ defundunt relationes non mutuas terminari ad abſolutum: mutuas vero terminari ad relativum. Cæteri vero Thomiſtæ frequentius docent, omnem relationem terminari ad relativum, cum quibus.

§. II.

Noſtra concluſio.

ILlam expreſsit Philoſophus cap. de Relatione, & Angel. Præ-

Præcept. pluribus in locis, & maximè, 1. *p. quæst.* 40. *artic* 2. *ad* 4. per ea verba: *Cum dicitur quod relativi esse est ad aliud se habere, per ly aliud intelligitur correlativum, quod non est priùs, sed simùl natura.* In quibus verbis loquitur D. Th. de cuacumque relativo, cum ibi nullam exclusionem faciat, & verba ipsius in omni relativo salvèntur: ergò cuicumque relativo correspondet correlativum, *quod non est priùs, sed simùl natura*: Sed omne absolutum repertum in termino non est simul natura, sed priusquam relativum formalitèr, ut videbimus infra: ergò sentit D. Thom. omnem relationem terminati formalitèr ad aliquid relativum.

Ratione verò conclusionem nostram probant aliqui Thomistæ: Quia omnes relationes creatæ conveniut cum relatione Divina in habendo totum esse in ordiue ad terminum; sed omnis relatio Divina terminatur formalitèr ad aliquid relativum: ergò etiam omnis creata.

Sed hæc ratio adversarios urgere non potest: quia relationes Divinæ non terminatur formalitèr ad aliquid relativum, ex quo habeant totum esse in ordine ad terminum; sed quia relationes Divinæ sunt omnes relationes mutuæ; sed non omnis creata mutua est: ergò ex patitate relationis Divinæ inferri non potest, omnem creatam terminari ad relativum, & ideo aliter.

Conclusio nostra probatur quia in quocumque termino relationis prædicamentalis, ut formaliter terminante, debet dari aliqua relatio: ergò omnis relatio creata terminatur ad relativum. Probatur antecedens. Relativum prædicamentale, & terminus illius consideratus formalitèr, opponuntur relativè, sicut 1. ad Aniceld. 3. *quæst. Vnica, art.* 1. *ad* 3. affirmat Div. Thom. & constat ex eò, quod relativum, & terminus non possunt compati in eodem respectu ejusdem, proindeque aliquam oppositionem habent: quæ quidem cum non sit contraria, contradictoria, vèl privativa, debet esse relativa formalitèr; sed non possunt relativè opponi, nisi in termino formalitèr ut terminante sit aliqua relatio, quæ sit ratio terminandi: ergò in termino relationis prædicamentalis, ut formalitèr terminante, datur aliqua relatio. Probatur minor. Non possunt relativè opponi, nisi in utroque extremo sit forma relativæ oppositionis, sicut non possunt aliqua opponi contrariè, nisi in utroque sit forma contraria, & ideò album, & nigrum contrariè opponuntur, quia in albo re

reperitur albedo, cum nigredine contraria; sed forma, per quam opponuntur relativè, debet esse relatio; nam si relatio non est, non præstabit effectum relativæ oppositionis: ergò non possunt relativè opponi nisi in termino ut formaliter terminante, detur aliqua relatio.

Respondebis: Relativam oppositionem non constituere in eo, quod in utroque extremo detur aliqua relatio, sed in eo, quod unum respiciat, & alterum respiciatur, & hoc secundum haberi posse ratione alicujus absoluti.

Contra tamen est: Quia terminus non potest opponi relativè cum alio extremo, nisi per formam existentem in genere relativo, sicut non potest aliquid opponi contrarie cum albo nisi per formam contrariam; sed prædicatum absolutum non existit in genere relativo formaliter: ergò non potest terminus opponi relativè cum alio ratione alicujus absoluti.

Secundo reijcitur: Forma, quę denominat opposita relativè præstat effectum existentem in genere relativo; sed effectus existens in genere relativo provenire non potest ab aliquo absoluto, ut per se constat: ergò non potest terminus opponi relativè cum alio, nisi in termino sit forma aliqua relativa.

Secundò probatur conclusio: quia relatio prædicamentalis respicit terminum, ut purum terminum, & in hoc à transcendentali distinguitur, quæ respicit terminum, ut causam, vèl ut effectum; sed relatio, quæ terminatur ad aliquid absolutum non respicit terminum, ut purum terminum; eo quod relatio nihil respicit absolutum, nisi ut causam formalem, materialem, vèl efficientem, ut constat per singula discurrendo: ergo una relatio terminatur formaliter ad aliquid absolutum.

Confirmatur, & urgetur ratio prædicta: quia relativum, & terminus prædicamentalis debent esse simul natura, ut expressum est Aristotelis Cap. de Relat. & D. Thom. ibidem, & propterea communiter dicitur, hoc esse proprium quarto modo relativorum prædicamentalium, in quibus terminus respicitur ut purus terminus, & consequenter non est causa, vèl effectus, nec prior, aut posterior relatione, in quo consistit: quod utrumque sit simul natura; sed quidquid absolutum in termino reperitur est prius natura relatione: ergò relatio non terminatur ad aliquid absolutum, sed ad aliquid relativum. Probatur min. ut resultet relatio requiritur necessario præcedere fundamentum, & terminum secundum absolutum, quod habent: undè ortum est proverbium; ad positionem fundamen-

ti

ti, & termini resultat relatio: ergo quidquid absolutum reperitur in termino est prius natura relatione. Qua propter ideo inter duo alba resultat relatio similitudinis, quia in utroque extremo præcedit albedo, & ideo intèr Patrem, & Filium resultat relatio; quia præcedit esse genitum in Filio esse generantem in Patre.

§. III.

Solvitur argumentum contra rationem prædictam.

CONtra rationem prædictam adest argumentum: Relativa videlicèt prædicamentalia non esse simul natura: ergo ratio prædicta nititur principio falso. Probatur antecedens. primò ex D. Th. 1. *p. q.* 13. *artic.* 7. *ad* 6. asserente: *Quod si unum in sui intellectu claudat aliud, & non è converso, non sunt simùl natura, & hoc modo se habent scientia, & scibile*; sed scientia, & scibile relativa prædicamentalia sunt: ergo relativa prædicamentalia non possunt esse simul natura.

Secundò probatur antecedens. Relatio prædicamentalis resultat posito fundamento, & termino, sed fundamentum est prius relatione: ergo terminus non erit simul natura cum illa.

Respondetur ad argumentum: relativa non mutua de quibus loquitur Div. Thom. non esse simul natura quoad munus referendi, quia licèt scientia realitèr referatur ad scibile, & creatura ad creatorem, ex parte tamen termini non correspondet relatio, quoad munus referendi, eo quod objectum non refertur ad scientiam realitèr, nec Deus ad creaturam; correspondet tamen ex parte termini relatio quoad munus terminandi, quæ simul natura est cum relatione, quam terminat.

Ad secundam probationem dicimus: Relationem resultare ad positionem termini fundamentalitèr sumpti, qua ratione est aliquid absolutum; sed formalitèr in ratione terminantis non est prior; sed simul cum relatione.

Instabis: Terminus formalitèr ut talis est causa extrinseca respectu relationis, quia relatio specificatur à termino; sed quæcumque causa præcedit effectum: ergò terminus formalitèr ut talis erit prior relatione.

Respondent aliqui: Relationem specificari à termino, non formalitèr accepto, sed fundamentalitèr sumpto, ex quo tantum sequitur, terminum fundamentalitèr sumptum præcedere relationem.

Sed contra: Quia relatio habet totum suum esse in ordi-

ne ad terminum sumptum formaliter: ergò ab illo sumpto formaliter specificatur.

Secundò: Quia relatio specificatur fundamentaliter à termino fundamentaliter sumpto: ergò specificatur formaliter à termino considerato formaliter.

Tertio: Quia relatio transcendentalis specificatur à termino formaliter sumpto, ut constat in relatione scientiæ, quæ est ad terminum, vel objectum formaliter in esse objecti: ergò dem de relatione prædicamentali dicendum.

Quarto: Sicut relatio est tendentia ad terminum, ita motus est tendentia ad terminum proprium: sed motus specificatur à termino sumpto formaliter: ergò etiam relatio. Quapropter tali solutione relicta.

Respondetur ad primam: Relationem specificari à termino sumpto formaliter, non tamen infertur indè terminum præcedere relationem priori tate naturæ, quia specificatio relationis non est in genere causæ formalis; sed est ad terminum formaliter, ut purum terminum, qua ratione non est causa relationis, sed purè terminat ipsam, & puræ respicitur.

Dices: Relationem habere esse ab aliquo in genere causæ formalis extrinsecæ, cò quod omne respectivum habet esse ab aliquo termino extrinseco, & aliud esse non potest, quam terminus relationis formaliter sumptus: ergò terminus hic acceptus est causa formalis extrinseca relationis.

Secundò: Omne specificativum est causa respectu specificati, nam omne specificativum dat esse; sed terminus formaliter sumptus specificat relationem: ergò causa illius est.

Respondetur ad primam: negando antecedens. Nam cum relatio prædicamentalis respiciat terminum ut purum terminum: Non potest respice ipsum tanquam causam etiam extrinsecum, aliàs non respiceret ipsum tanquam purè terminantem, sed etiam ut influentem, & causantem: undè non omne respectivum habet esse ab aliquo extrinseco ut à causa. Nec omne specificativum est causa specificati licèt omne specificativum det esse, quia specificativum relativum dat esse unicè terminando.

Et si dicas: Dare esse, & non influere per modum causæ contradictionem involvere, quia quidquid dat esse in creaturis, debet esse causa nam causare est dare aliquod esse.

Respondetur: Quod sicut in Divinis propter infinitatem, & carentiam dependentiæ. Pater dat esse Filio, cujus non est propriè

pliè causa, ita in relativis, quia terminans respicitur; ut purus terminus, & consequentèr sine alia qua dependentia, terminus ipse dat esse, quin ob hoc sit verà causa.

§. IV.

Argumentis contra conclusionem occurritur.

COntra conclusionem nostram poterat in primis argui: quod relatio dissimilitudinis, qua refertur album ad nigrum, prædicamentalis est; & tamen terminatur ad aliquid absolutum: ergo non omnis relatio terminatur ad relativum. Probatur min. Relatio prædicta terminatur ad nigrum, quatenus est dissimile albo; sed solum est dissimile ratione nigredinis absolutè, & non ratione relationis dissimilitudinis, quia in relatione dissimilitudinis ambo conveniunt, siquidem utrumque relationem dissimilitudinis habet: ergò relatio prædicta terminatur ad aliquid absolutum.

Respondetur: Negando min. & ad probationem distinguo min. dissimile fundamentalitèr, concedo min. formalitèr, nego min. & conseq. Quia licèt nigrum sit dissimile fundamentalitèr albo ratione nigredinis, formalitèr, ergò est dissimile ratione ipsius relationis.

Nec obstat: Ambo habere relationem dissimilitudinis, & in ea convenire, quia solum conveniunt in ea, considerata ut quod, & quatenus relatio nigri est ejusdem denominationis cum relatione albi, eo quod per propriam relationem utrumque denominatur dissimile: Non tamen conveniunt in relatione dissimilis considerata, ut quo, sed per eam ut sic nigrum sit dissimili albo formalitèr, sicut duo alba fiunt similia formalitèr per relationem in albedine fundatam.

Secundò arguitur: Relativum diffiniri debet per terminum proprium; nam totum esse relationis est in ordine ad terminum; sed diffiniri non potest per terminum, ut relativum formaliter: ergò terminus formalitèr nequid esse relativus. Probatur minor. primò, quia diffinitio debet dari per aliquid notius diffinito; sed unum relativum non est altero notius: ergò diffinitio nequid esse per terminum formalitèr relativum.

Secundò probatur minor: Si unum relativum diffiniretur per alterum relativum, etiam alterum diffiniretur per primum; sed hoc est circulum in diffinitione Commitere; ergò

Ter-

Tertio probatur minor. Quia D. Thom. 1. *part. quæst. 25. artic. 3.* ait: Deum non dici Omnipotentem, quia potest omnia, quæ potest, sed quia potest omnia possibilia, alias daretur circulus in manifestatione Omnipotentiæ sed si unum relativum per alterum, diffinitur erit idem circulus, quia idem est dicere Pater habet Filium, ac dicere Pater habet eum, qui habet Patrem: ergo.

Quarto probatur min. Logico prædicari possiti in diffinitione potest poni diffinitio prædicati, sicut diffinitio animalis potest poni loco illius in diffinitione hominis, ut si diffinias, hominem vivens sensibile rationale; sed in diffinitione unius relativi non potest poni alterius diffinitio, alias fieri diffinitio negatoria, nam idem esset dicere, Pater est, qui refertur ad Filium, ac dicere, Pater est, qui refertur ad eum, qui refertur ad Patrem: ergo.

Respondetur ad argumentum, negando min. & ad primam probationem, distinguo mai. diffinitio, quantum ad intrinseca prædicata, concedo mai. quantum ad extrinseca, nego mai. & concessa min. negatur conseq. Quia quamvis diffinio, quantum ad extrinseca prædicata, debeat esse notior diffinito, non tamen, quantum ad extrinseca prædicata, qualiter se habet unum relativum in ordine ad aliud. Instantia est in termino diffinito per ordinem ad propositionem, & in accidenti per ordinem ab substantiam, & in creatura per ordinem ad Deum; & tamen propositio non est termino notior; nec substantia accidenti; nec Deus notior est, quam creatura.

Ad secundam probationem dicimus: Circulum uniformem semper esse vitiosum; circulum tamen inter relativa esse difformem, quia unum diffinitur in recto per alterum in obliquo, & unum secundum conceptum referentis diffinitur per alterum in ratione terminantis, & ideò unum per alium secundum diversam rationem diffinitur, qui circulus difformis est, & propterea non vitiosus; sicut non est vitiosa circularis denominatio, qua creaturas cognoscimus à priori per creatorem, & ipsum à posteriori per creaturas probamus tanquam per proprios effectus.

Et si dicas: Aristot. 5. Metaph. *cap.* 5. affirmare, visum non posse diffiniri per ordinem ad visibile, & tamen visus est relativum prædicamentale: ergò relativum prædicamentale non potest per alterum diffiniri, sicut in illis, quæ relativa non sunt, unum per alterum diffiniri non potest.

Respondetur: Aristotel. non negare visum diffiniri pos-

se

se per ordinem ad visibile, sic enim diffinitur defectio, sed solum negare posse diffiniri per ordinem ad visum: quia alias bis idem diceretur. Quam solutionem tradit D. Th. ibidem. Nec est simile de rebus absolutis, quæ diffiniuntur per ea, quæ sunt simpliciter priora diffinitio, & idem non potest esse simpliciter prius se ipso, & consequenter non potest unum per alterum diffiniri. Relativa verò sunt simul natura, & ideo dispar est ratio.

Ad tertiam probationem min. principalis respondetur: D. Thom. non docere, Deum non debere dici omnipotentem, quia potest omnia possibilia, quod est Deum explicare per ordinem ad correlativum, sed solum negat, Deum deci Omnipotentem, quia potest omnia, quę potest, quę quidem diffinitio negatoria est. Insuper Omnipotentia non est relativum prædicamentale, & ideo de Omnipotentia non est eadem ratio.

Ad quartam probationem respondetur; loco prædicati intrinseci posse poni illius diffinitionem; sed unum relativum est prædicatum intrinsecum in ordine ad aliud, & ideo loco unius relativi non potest illius diffinitio collocari.

*** *** *** ***
*** ***

§. Ultimus.

Difficile argumentum solvitur.

TAndem contra conclusionem arguitur: Relatio non mutua servitutis, qua creatura refertur ad Deum, & relatio, qua Beatissima Virgo refertur ad Christum, non referuntur ad aliquid relativum: ergò non omnis relatio terminatur ad relativum. Antecedens constat ex eo, quod ex parte termini altera illis non correspondet relatio, alias essent relationes mutuæ: & rursus quia nihil reale intrinsecum potest Deo in tempore advenire, consequenterque nec in Deo ad creaturam nec in supposito Divino Christi poterit esse intrinseca relatio temporalis in ordine ad suam Matrem.

Respondent aliqui: ex parte Christi, & ex parte Dei correspondere relationes rationis terminantes relationem Virginis ad Filium, & relationem servitutis, qua creatura refertur ad Deum, undè relationes in argumento assignatæ terminantur formaliter ad aliquid relativum.

Hæc tamen solutio veritatem continet ea parte, qua esse rit, ex parte termini correspondere relationes rationis, aliam qua Dèus refertur ad creaturam, & alteram, qua Christus refer-

fertur ad ſuam Sanctiſsimam Matrem, & propterea relatio Maternitatis in Virgine ſolum eſt eadem fundamentaliter, cum quacumque alia relatione maternitatis, ſed formaliter diſtincta eſt, quia non habet ſpeciem ab altera relatione formaliter: vel ut alij dicunt ſolum formaliter eadem eſt, quatenus terminatur ad terminum formaliter ut relativum in ratione terminandi, in quod omnes relationes Maternitatis conveniunt formaliter; non verò quia ex parte termini correſpondeat alia relatio realis ſub munere referentis.

Cæterum pro alia parte, qua defendit Chriſtum per relationem rationis terminare relationem ſuæ Matris, & Deum terminare relationem creaturæ, verà eſſe non poteſt, quia terminus relationis realis debet à parte rei reperiri, cum relatio prædicamentalis termini exiſtentiam requirat, & non poſſit exiſtere, quin exiſtat terminus ejus; ſed relatio rationis minimè poteſt à parte rei reperiri: ergò non poſſunt Chriſtus, & Deus per relationem rationis terminare ſupra dictas relationes reales. Quod quidem urgetur ex eò, quod terminus relationis prædicamentalis realis debet exiſtere in illo inſtanti, quo terminat, cum ſit ſimul natura cum relatione ipſa; ſed relatio realis exiſtit à parte rei, & à parte rei non exiſtit relatio rationis: ergò relatio rationis non poteſt eſſe ratio terminandi relationes ſupradictas: quapropter omiſſa ſolutione illa aliter.

Reſpondetur ad argumentum diſtinguendo antecedens; Relativum, ſecundum conceptum referentis, concedo antecedens: relativum extrinſecè, & ſub munere terminantis, nego antecedens, & ſub eadem diſtinctione negatur conſeq. Quia quamvis non detur aliqua relatio realis intrinſeca, per quam Chriſtus referatur ad Matrem, & Deus ad creaturam, datur tamen ex parte utriuſque relatio realis extrinſeca, qua terminent relationem: eò quod à relatione exiſtente in creatura denominatur Deus, quamvis extrinſecè, Dominus; & à relatione Virginis dicitur Chriſtus, quamvis extrinſecè, filius; cumque denominatio prædicta proveniat à forma relativa ipſum terminum conſtitut extrinſecè relativum inadæquatè, & quoad munus terminandi; proindeque terminus relationem ſpecificat, & terminat ut relativus formaliter.

Solutionem prædictam habet Ang. Doct. 1. *p. quæſt.* 13. *artic.* 7. per ea verba: *Nec in*

com-

conveniens, est, quod à relatione existente in re Deus denominetur. Et solutione ad 5. asserit, quod *Deus non secundum rationem tantum, sed realiter est Dominus, eo enim modo dicitur Dominus, quo creatura ei subjecta est.* Et 3. part. quæst. 35. artic. 5. in corpore affirmat de Christo, quod realiter dicitur Filius à relatione maternitatis ad Christum. Sentit ergo ex parte Dei, & Christi correspondere relationem realem non intrinsecam, & referentem, sed extrinsecam terminantem, vèl denominationem extrinsecam relativam, qua terminant relationem.

Sed contra solutionem istam instabis primo: implicat Deum denominari extrinsecè Dominum à relatione servitutis existente in creatura, & idem dicendum de Christo: ergo solutio nititur principio falso. Antecedens probatur. Quia Div. Thom. 2. contra g. *cap.* 13. asserit: quod à relatione non potest aliquid denominari, quasi exterius existente, non enim denominatur aliquis Pater, nisi à paternitate ipsi inhærente. Et in super quia filius non denominatur extrinsecè Filius à relatione existente in Patre, alias bis filius diceretur, & à relatione extrinseca, & ab intrinseca relatione filij, quam in se habet.

Secundo instabis: Prius est Deum terminare relationem creaturæ quam ab illa extrinsecè denominari: ergo non terminat illam per denominationem extrinsecam provenientem ab eadem relatione. Probatur antec. Prius est parietem terminare visionem, quam extrinsecè à visione denominari, ideo namque paries denominatur extrinsecè visus, quia terminat visionem: ergo prius etiam erit. Deum terminare relationem, quam denominari.

Tertio instabis: Terminus relationis prædicamentalis formalitèr consideratus pertinet ad prædicamentum relationis; sed nihil pertinet ad prædicamentum, nisi ratione formæ intrinsecæ, ut infra dicemus: ergo terminus relationis prædictæ nequit constitui per extrinsecam denominationem, & per ipsam terminare.

Quarto instabis: Relativum prædicamentale, & terminus ejus debent opponi formalitèr relativè; sed terminus ratione denominationis extrinsecæ non potest opponi relativè cum subjecto, quod refertur: ergo idem quod priùs. Probat. min. primo: quia oppositio relativa est oppositio respectuum, proindeque salvari nequit, nisi extrema ad invicem referantur: terminus verò per intrinsecam denominationem non refertur ad alium.

Se-

Secundo probatur min. Quia per intrinſecam formam non poteſt unum opponi contrariè cum altero: ergo non poterit etiam relativè opponi.

Inſtabis quinto: ratio formalis terminandi debet eſſe diſtincta à relatione, quam terminat, nam ratio formalis terminandi ſpecificat relationem, & opponitur cum illa, & nihil poteſt cum ſe ipſo opponi, & ſpecificare ſe ipſum; ſed extrinſeca denominatio non eſt diſtincta à relatione: à qua provenit, ſiquidem extrinſeca denominatio non eſt aliud, quam forma intrinſeca ut extrinſecè applicata: ergo denominatio extrinſeca nequit eſſe ratio formalis terminandi relationem.

Hæc verè difficilia ſunt, & probabilitatem oppoſitæ ſententiæ demonſtrat; ſed vera eſſe non poſſunt. Et ad primam inſtantiam reſpondetur: negando antecedens. In relatione namque duplex conceptus invenitur, alius videlicèt referendi, & alius terminandi, inter quos eſt differentia, quod relatio ſecundum conceptum referendi non poteſt denominare ſubjectum, in quo non reperitur extrinſecè: ſecundum vero conceptum terminandi poteſt denominare illud, ad quod extrinſecè terminatur, & D. Thom. ſolum intendit à relatione exterius exiſtente non poſſe denominari ſubjectum ſecundum conceptum referendi.

Ad aliam autem probationem invibitam reſpondetur: Filium quando terminat relationem Patris, habere in ſe ipſo relationem Filij, per quam terminat, & intrinſecè conſtituitur, & ita non poteſt denominari extrinſecè Filius à relatione Patris, quia in præſentia denominationis intrinſecæ ſuperflua eſt extrinſeca denominatio ejuſdem rationis. In Deo autem, & in Chriſto ſuperflua non eſt denominatio extrinſeca à relatione, quam terminant, quia nec in Deo, nec in Chriſto relatio realis, aut denominatio intrinſeca reperitur.

Dices: Creatura eſt intrinſecè ens à propria entitate; & tamen denominatur extrinſecè ens ab entitatè Divina: ergo quamvis Filius ſit intrinſecè Filius poterit tamen extrinſecè Filius denominari, proindeque ſolutio traddita nulla eſt.

Sed negatur conſeq. Quia creatura poteſt conſiderari prout eſt in ſe abſolutè, & quatenus dependet à Deo, & quamvis creatura, prout eſt in ſe, ſit intrinſecè ens, quatenus tamen pendet à Deo, & comparatur ad ipſum, quaſi nihil, non eſt intrinſecè ens; propterea que poteſt extrinſecè ens denominari, ſicut accidens extrinſecè dicitur ens, ut dependet à ſubſtantia;

Fi-

Filius vero in ratione terminantis habet relationem extrinsecam filij, & propterea in ratione terminantis, non potest extrinsecè filius denominari, vèl per extrinsecam denominationem constitui.

Ad secundam replicam negatur antecedens, & ad probationem negatur conseq Quia in termino relationis extrinseca denominatio nihil aliud est, quam denominatio terminantis, & ideo non est prius terminare, quam denominari à relatione, quam terminat. Insuper etiam forma relativa totum esse habet in ordine ad terminum, ut purum terminum absque aliqua dependentia, & ita non est prior, quam denominatio terminantis, nec denominatio terminantis supponit terminare, alias esset prior relatio terminatà, quam terminus in ratione terminantis, ac proinde simul natura non essent: forma vero absoluta non habet totum esse in ordine ad terminum, nec est simul cum illo in ratione terminantis, & ideò prius est terminare visionem, quam ab ea denominari: undè quamvis hæc causalis vera sit in absolutis: ideo denominatur, quia terminat; non tamen in relativis vera est.

Addo: in obiecto terminante visionem absque ullo inconvenient à posse negari esse prius terminari, quam extrinsecè denominari, quia denominatio terminantis visionem, aliud non est, quam extrinseca terminatio, & ideo simul, & idem est extrinsecè terminare, & denominari extrinsecè, sicut ex parte agentis idem est intrinseca denominatio videntis, & intrinseca, vèl ab intrinseco elicentia visionis.

Ad tertiam instantiam respondetur: Terminum relationis non mutuæ, in quo non reperitur intrinseca relatio, pertinere solum ad prædicamentum relationis terminativè, & in obliquo, quo modo ut ad prædicamentum pertineat, sufficit denominatio extrinseca terminantis, quæ à relatione proveniat.

Ad quartam replicam negatur min. Quia ad oppositionem relativam sufficit relatio unius, & terminatio alterius opposita relativa; non tamen requiritur respectus ex parte utriusque extremi: sicut creatura dicitur servus per relationem ad Deum, & Deus, in quantum terminat relationem prædictam, Dominus appellatur: nec simile est de oppositione contraria, nam contraria ab eodem subjecto mutuo se expellunt, & unum totalitèr excludit aliud per sui radicationem totalem, quod esse non potest absque illo

intrinseca inhærentia. Et insuper oppositio contraria non est relativa propriè, proindeque forma opposita unius subjecti non denominat extrinsecè aliud, ratione cuius denominationis possit unum opponi contrariè cum altero.

Ad quintam replicam distinguo min. extrinseca denominatio in abstracto, concedo min. in concreto, nego min. & conseq. Quia licèt denominatio extrinseca, sumpta in abstracto, non distinguatur à forma, à qua provenit; in concreto tamen, & quatenus subjectum includit, realiter ab ea distinguitur, & illam specificare, cum illaque opponi potest.

Et si dicas: prælictam oppositionem provenire à subjecto juxta solutionem datam, & non à forma relativa: ergo Deus, & creatura considerata formaliter, quatenus relativa sunt, oppositionem non habent.

Respondetur negando antecedens. Sed potius prædicta oppositio provenit à forma in concreto, ut denominant subjectum, & propterea dicitur, relationem terminari ad relativum, quod quidem nomen est terminus connotativus, & significat relationem, ut subjectum denominantem.

Aliquid tamen arguere solent: non omnem relationem terminari ad relativum, quia relatio in communi, & abstracta non habet terminum relativum, alias relationi in communi alia corresponderet relatio, quæ quidem esse non potest, nec æqualis, nec inferior, quia si ita esset, daretur duplex relatio in communi, aut una cum altera æqualis, vèl una alteri inferior.

Ad hoc tamen facile respondetur: Relationem abstractam, & in communi habere terminum relativum: non quidem exercitè, sed signate, idest, respicere terminum, non tamen respectu exercendo per ipsam relationem in communi; sed quem exigat in relationibus singularibus, eo quod de essentia relationis in communi est esse id, ratione cujus singularia referuntur, & terminent relationem: quapropter relationi in communi non correspondet relatio æqualis, vèl inferior ex parte termini, sed eadem relatio signatè se habet ex parte utriusque, & est eadem ut quod, diversa tantum ut quo, & quatenus eadem relatio, & est ratio ut singularia referantur, & terminent relationem, & partibilis exercitè in relationem referentem, & relationem terminantem: ex quo solum sequitur in conceptu communi relationis includi distinctionem unius ab alia signatè, & connexivè, secundum quod

quod exigit ; ut omnes relationes particulares ſub ea contentæ realiter diſtinguuntur ; non tamen referi exercite , & aliam relationem , exercite diſtinctam requirere.

Ex dictis colliges : Relationem ſecundum conceptum proprium implicare entitatem realem , ſiquidem eſt unum ex decem prædicamentis dividentibus ens reale ; non tamen explicare entitatem , aut realitatem, eo quod entitas , & realitas dicuntur per ordinem adeſſe , & relatio ſecundum expræſum *ad* ſolum eſt reſpectus ad terminum : & propterea in genere relationis dantur relationes rationis, quæ non æquivocè , ſed vere , propriè ſunt relationes , ad differentiam quantitatis , & qualitatis , & aliorum, quæ ſi ſint tantum rationis non ſunt vere quantitates , ſed æquivocè ſolum quantitates , & qualitates dicuntur , ſicut prati amenitas æquivocè dicitur riſus: quod intendit Div. Thom. dum aliquando aſſerit , in genere relationis dari aliqua ſecundum rationem tantum.

Mac. Freylam

QUÆST. IV.

De prædicamento qualitatis.

ARTIC. UNICUS.

De natura , & propaietatibus qunlitatis ?

§. I.

Diffinitio qualitatis exprimitur;

NON loquimur in præſenti de qualitate latè ſumpta pro quacumque forma determinante , aut modificante ſubjectum , in quo ſenſu omnia accidentia modificant ſubſtantiam , & poſſunt qualitates appellari; ſed tantum in præſenti diſputamus de qualitate ſtrictè conſiderata , & quatenus eſt , modus quidem præſtans ornatum ſubſtantiæ ; & determinans in differentiam illius , per quam reſpondetur ad quæſtionem , qualis ſit ? Sicut inquirenti qualis res ſit ? Reſpondemus bona , vèl mala , ægra , vèl ſana , alba , vèl nigra.

Et in hac acceptione conſtituit qualitas ſpeciale prædicamentum , & diffinitur *ſecundum quam quales eſſe dicimur* : in qua deſcriptione explicatur effectus

primarius qualitatis, videlicèt, qualificare ſubjectum, qui quidem effectus, licèt ſecundum ſe non ſit notior qualitate, quoad nos tamen notior eſt, eo quod effectus formalis formæ quoad nos notior eſt, quam ipſa forma, & ita per quale in concreto bene qualitas diffinitur, & diffinitio prædicta qualitate notior eſt.

Hæc autem qualitas tres proprietates habet, videlicèt habere contrariam rigoroſum, & verum, quod competit ſoli qualitati, non tamen omni, quia contraria ſub eodem genere maximè diſtant, & ideò fuſco colori, nihil eſt contrarium ſtrictum, nam quamvis illi opponatur flavum, non tamen maximè diſtant, cum non ſint extrema coloris.

Secunda proprietas eſt: Qualitatem ſuſcipere magis, & minus, quod etiam non convenit omni, nam ſanitas, & circulus non ſuſcipiunt magis, & minus.

Tertia propietas eſt: quod ſecundum qualitatem dicamur aliqua ſimilia, vèl diſſimilia, ſicut homines dicuntur ſimiles ratione albedinis, vel alterius formæ ſe habentis ad modum qualitatis.

§. II.

Statuitur qualitatis diviſio.

Dividitur tamen qualitas in quatuor ſpecies: videlicèt in habitum, & diſpoſitionem; potentiam, & impotentiam: paſſionem, & paſſibilem qualitatem: formam, & figuram: inter quas prima ſpecies prout abſtrahit ab habitu, & diſpoſitione dicitur qualitas benè, vel male diſponens ſubjectum in ordine ad ſuam naturam, ſicut habitus virtutis bene diſponit, & habitus vitij diſponit hominem, ut ſecundum naturam ſuam male ſe habeat.

Dividitur autem qualitas iſta in diſpoſitionem, & habitum: habitus eſt qualitas difficile mobilis ab intrinſeco, ſicut habitus ſcientiæ eſt difficile mobilis, quatenus ab intrinſeco habet cauſas firmas veritatis; diſpoſitio verò eſt qualitas facile mobilis ab intrinſeco, ſicut ſanitas, & ægritudo, & alia huiuſmodi, quæ proveniunt ex cauſis ab intrinſeco non habentibus firmitatem, & permanentiam.

Differunt: ergò habitus, & diſpoſitio eſſentialitèr, eo quod habent principia eſſentialitèr diverſa, cum habitus ſit ab intrinſeco difficile mobilis, & diſpoſitio facile mobilis, quæ etiam prædicata virtualiter, & mediate contradictorie opponuntur.

Dices: Habitus aliquando eſt facile mobilis, & in aliquibus ſubjectis facile amittitur, ut conſtat in pluribus, qui facile dimoventur à fide: ergò non diſtinguitur eſſentialiter à diſpoſitione.

Sed

Sed respondetur: Habitum ab intrinseco semper esse difficile mobilem, & si aliquando facile movetur, hoc per accidens contingere, & ab extrinseco, quatenus videlicet repetitur in *subjecto* incapaci ad habitum conservandum.

Sed instabis: Habitum erroris, & habitum vitij ex propria natura, & ab intrinseco esse facile moviles, quia vitium est contra naturam rationalem, & error inclinat ad falsum, quibus omnibus natura rationalis resistit.

Respondetur aliqui: habitum erroris, & vitij esse propriè dispositienes; quod tamen falsum est, cum habitus in communi essentialiter dividatur in habitum scientificum, & in habitum vitij, & erroris, & in habitum virtutis, & propterea aliter.

Respondetur: Habitum erroris convincere intellectum de apparentia veritatis, & habitum opinativum de probabilitate convincere, & habitum vitij esse difficile mobilem propter naturam sensitivam, quæ ex vi originalis peccati propensa manet in malum: & propter hoc omnes habitus supradictos esse difficile mobiles, sicut resistentia naturæ sensitivæ ad rationalem, & alij effectus originalis peccati difficile mobilis sunt.

Tandem poterat instari: Visionem beatam esse inamissibilem ab intrinseco, ut docet Sanctus Doct. & tamen non esse habitum: ergò diffinitio tradita habitus convenit alijs; ac proinde bona non est.

Respondetur: Visionem esse inamissibilem ab intrinseco, & propterea non esse difficile mobilem, sed immobilem totaliter; nam esse difficilè mobilem exponitur per esse mobilem, sed difficile.

Poterat etiam dici: Habitum diffiniri contra positivè ad dispositionem naturalem, quam solam Arist. cognovit, & inter dispositiones naturales nullam dari immovilem ab intrinseco.

Secunda species qualitatis est naturalis potentia, & impotentia; nomine potentiæ intelligitur qualitas, quæ est principium operationis, sicut potentia generativa, vèl alicujus habentis modum operationis, sicut potentia, quam habet durum ad resistendum, & molle ad aliquam resistentiam: nomine vero impotentiæ non intelligitur potentiæ privatio, sed solum potentia debilis, & infirma, ut potentia generativa in frigido, & potentia visiva in sene; unde potentia, & impotentia solum differunt penes perfectum, & imperfectum, quæ differentia accidentalis est.

Cæterum: quia potentia, & impotentia per se primo comparantur ad operationem, præsen-

cindendo à convenientia, vèl disconvenientia subjecti; eo quod intellectus æqualiter se habet ad veram, & erroneam intellectionem, & voluntas ad actum pravum, & honestum propterea quæ potentia, & impotentia essentialiter differunt à prima qualitatis specie.

Tertia species qualitatis est passio, & passibilis qualitas: passio dicitur illa, quæ resultat ex alteratione brevi, & facile transeunte, sicut rubor causatus ex verecundia, & pavor ex metu: passibilis autem qualitas resultat ex alteratione permanente, sicut color naturalis palidus, vèl ruvicundus, & ideo qualitates istæ distinguuntur accidentaliter penes permanentiam, & non permanentiam à subjecto provenientem. Ad hanc tamen speciem reducuntur plures qualitates primæ speciei, sicut calor, & frigus, dulce, & amarum, quæ pertinent ad primam speciem secundum quod bene, vèl male disponunt, & ad tertiam pertinent, secundum quod terminant alterationem.

Quarta species qualitatis est forma, & figura: Figura dicitur terminus quantitatis, præscindendo à bona, vèl mala dispositione partium; sed forma dicitur, quæ terminat quantitatem secundum bonam, vèl malam dispositionem, & includit alia accidentia, quibus subjectum aparet ad extra bene, vèl male dispositum.

Divisio quidem in quatuor assignatas species adæquata est, quia præter istas nulla alia assignari potest, quæ non reducatur ad eas, ut per singula discurrenti constabit.

QUÆST. V.

De actione, & passione, & in ea.

ARTIC. UNICUS.

Quid sit tàm actio, quàm passio?

§. I.

Explicatur utriusque natura.

QUintum: ergò prædicamentum est actio, qua agens constituitur in actu secundo causans, aut aliquem effectum producens:

Actio tamen in communi, in actionem transeuntem, & immanentem dividitur: actio immanens non exit extra subjectum, sed in ipso manet, sicut intellectio, & volitio, & operatio cujuscumque sensus, nec actiones prædictæ; ordinantur ad Physicam mutationem exterioris materiæ, & ita illis non correspon-

pondet passio prædicamentalis; propteraque actionis istæ vere non pertinent ad prædicamentum accionis, sed magis ad prædicamentum qualitatis.

Ratio autem traditæ doctrinę ea est, quia sicut substantia prædicamentalis est vera substantia, & idem de alijs prędicamentis; ita actio prædicamentalis est vera actio, quod tamen non habet actio immanens, eo quod veræ actioni, vera correspondet passio, & actioni immanenti vera passio non correspondet, alias quando objectum intelligitur vere mutaretur, verèque diceretur pariens, quod absurdum est.

Actio vero transiens illa est, quæ subjectum extrinsecè mutat, & ad hunc effectum ex propria natura ordinatur, sicut calefactio, & fecatio ligni, quæ ideo transeuntes dicuntur, quia ad aliud mutandum transeunt, & hæc accio sola verè prædicamentalis est, & communitèr diffinitur: *Forma secundum quam agens denominatur agere in materiam exteriorem sibi subditam*: Sicut ignis mediante calefactione mutat lignum, & in eo calorem introducit.

Actioni autem transeunti correspondet ex parte termini vera passio, quę est aliud prædicamentum, & si describitur: *Receptio effectus, qui producitur per actionem transeuntem*; ut cum ignis calefacit lignum, actio ignis, quatenus egreditur ab illo, dicitur actio, passio verò dicitur, quatenus in ligno recipitur, & ab ea lignum pariens denominatur.

Ex quo constat, actionem, & passionem prædicamentalem distingui formaliter, quia diversas formalitates importans; realiter tamen non distingui, eo quod utraque identificatur cum motu, & consequenter sunt eadem interse, unde eadem entitas ut egreditur ab agente dicitur actio, & ut via ad terminum, vèl effectum, dicitur motus, & ut in subjecto patiente recipitur, passio nominatur.

§. II.

Breve diluitur argumentum.

INstabis contra prædicta quod causalitas materiæ, & formę non constituit prædicamentum speciale: ergo actio supradicta non constituit etiam speciale prædicamentum.

Respondetur; causalitatem materiæ, & formæ non esse veras actiones, sicut illam, de quæ supra: & insuper esse causalitates subjecti imcompleti, & propterea non constituere speciale prædicamentum, nam prædicamenta distinguuntur secundum accidentia diversa, quæ diversa subjecta completa afficere possunt.

Dices: Causalitatem finis

afficere ſubjectum completum; & tamen non conſtituere ſpeciale prædicamentum: ergo idem de actione ſuperadicta dicendum.

Reſpondetur: Cauſalitatem finis non eſſe actionem propriam, nec verè Phyſicam, ſed Metaphoricam, & intentionalem tantum poſſeque convenire enti non exiſtenti in re, ſed ſolum in aprehenſione, & propterea non conſtituere ſpeciale prædicamentum.

QUÆST. VI.

De quatuor prædicamentis, & in ea.

ARTIC. UNICUS.

Quid ſint, & eorum proprietates?

§. I.

De prædicamentis quando, & ubi.

QUANDO prædicamentale communiter explicatur: eſſe *id quod reſultat in re temporali ex adjacientia temporis*: Sicut ex quo res menſuretur tempore, reſultat in ea accidens intrinſecum, dicens reſpectum ad tempus, & tale accidens dicitur quando.

Species tamen huius prædicamenti ſunt præſens, præteritum, & futurum, *quando* præſens reſultat, ex quo res tempore præſenti menſuretur, & idem de alijs proportionabiliter dicendum, & ſpecies iſtæ dividuntur in horam, menſem, & anum.

Proprietates vero ſunt non habere contrarium, nec ſuſcipere magis, & minus, quia eſſe heri, & hodie, quamvis incompatibilia ſint propter ſucceſſionem temporis, non tamen vere contraria, nec aliquid eſt magis, vèl minus heri, & hodie. Et tandem eſt proprietas huius prædicamenti, quod ſolum conveniat rei temporali, nam ſolum iſta tempore menſuratur; non tamen Deus, & Angeli.

Prædicamentum ubi eſt accidens, quod reſultat in corpore ex eo, quod ſit in loco modo diviſibili, & circunſcriptivo, quo corpus dicitur circunſcriptum, & contentum à loco Diffinitur verò circunſcriptio paſsiva corporis à circunſcriptione activa loci proveniens, & tale accidens per motum localem adquiritur, quando corpus de uno loco ad alterum tranſit.

Species prædicamenti huius ſunt eſſe ſurſum, vel deorſum: ante, & retro, juxta differentiam motus; & proprietas quarto modo eſt, quod ſolum competat corpori quanto, quod tantum circunſcribitur à loco.

§. II.

§. III.

De prædicamentis situs, & habitus.

PRædicamentum situs est accidens, quod resultat ex eo quod partes corporis sint in loco cum speciali dispositione v. gr. ex quo homo sit sedens, vèl jacens, curvus, aut rectus: & ita tale prædicamentum describitur: *Dispositio partium in ordine ad locum.* Est tamen duplex, naturale, videlicèt, & voluntarium: naturale est, quod corpus habet ex natura sua, sicut homo habet pedes in parte inferiori, & caput in superiori loco, voluntarium est, quod quilibet habet ex voluntate propria, sicut sedere, vèl jacere, aut pedes ponere supra caput.

Species hujus prædicamenti sunt dispositio naturalis, vèl præternaturalis, aut voluntaria, sicut iacere, vèl stare; aspera, aut lenis. Proprietas verò est, quod solum competat corpori quanto.

Prędicamentum habitus est quoddam accidens resultans in corpore, ex quo habeat aliquid, aut vestem, aut arma, & alia huiusmodi: quod quidem accidens non consistit in corpore vestito, nec in ipsa veste, nec in actione, qua vestitur, sed resultat ex coniunctione corporis ad vestem, & ita describitur: quod sit *corporum, vel eorum, quæ circa corpus sunt adjacentia.*

Species istius prædicamenti distinguuntur tantum juxta diversa genera vestimentorum, sicut habitus vestis, armorum habitus, & alia huiusmodi. Et hæc omnia prædicamenta sunt intrinseca, ut vidimus, nam si solum essent denominationes extrinsecæ non constituerent tot, & tanta prædicamenta, eo quod extrinseca denominatio pertinet ad idem prædicamentum, ad quod pertinet intrinseca forma. Sunt insuper intrinseca respectiva, non quidem prædicamentalia; sed solum transcendentalia, qiatenus ad locum, tempus, aut vestem relationem transcendentalem important.

§. III.

De post prædicamenti natura.

AD omina relata post prædicamenta sequuntur, quæ sunt modi incompleti, & ad nullum prædicamentum pertinent determinate, sed per omnia divagantur: quinque autem ab Arist. numerantur, videlicèt, oppositio, prioritas simultas motus, & modus habendi. Oppositio verò non propositionum, de qua in dialectica disputatur, sed ipsarum rerum, & diffinitur *repugnantia rerum inter*

ſe; Quæ quidem eſt quadruplex ſcilicèt relativa, contraria, privativa, & contradictoria, de quibus ſatis conſtat ex dictis.

Secundum poſt prædicamentum eſt prioritas, quæ etiam alia eſt temporis, ſicut, quando unum præcedit tempore aliud; alia eſt prioritas ſubſiſtendi conſequentia, ut quando unum alterum infert, non tamen ècontra quomodo animal eſt prius homine, quia ex homine infertur anima, & non ècontra homo infertur ex animali. Tertia eſt prioritas ordinis, ſicut quando unum præcedit ordine aliud, ut primus inter ſedentes, & idem de reliquis, qui ſequuntur. Quarta eſt prioritas dignitatis, ſicut res alios indignitate præcedit. Et alia eſt prioritas naturæ inter ea, videlicèt, quæ ſunt ſimul tempore, ſed unum eſt cauſa alterius, ſicut ſol præcedit illuminationem, & materia, & forma ſe invicem præcedunt in diverſo genere cauſæ.

Tertium poſt prædicamentum eſt ſimultas, & alia eſt temporis, alia naturæ, ſicut inter relativa, quæ ſunt ſimul natura; alia eſt diviſionis, quę ſimul dividunt genus: alia dignitatis inter ea, quæ ſunt æqualia: alia conſequentię, inter ea, quæ mutuo ſe inferunt, ut inter relativa, vèl invicem connexa.

Quartum poſt prædicamentum eſt motus, qui eſt via, & tendentia ad terminum, & contrariè opponitur cum alijs poſitivis; privativè verò cum quiete opponitur.

Quintum poſt prędicamentum eſt habitus, vèl modus habendi, non quidem habitus, qui eſt prima ſpecies qualitatis, nec accidens reſolutas ex adjacentia corporis ad rem habitam, ſed modus quidem incompletus, quo una res dicitur ab alia haberi, aut per inhæſentiam, ut anima habet gratiam, aut per continentiam, ſicut corpus habet ſanguinem, aut per poſſeſsionem, ſicut homo habet pecunias, aut per relationem, ſicut Pater habet Filium, & potentia habet objectum, aut per juxta poſitionem, ſicut dicitur, unum locum habere alterum locum.

LIBER OCTAVUS.

DE POSTERIORIBUS, ET IN EO quæstio prima,

DE DEMONSTRATIONE, ET NECESsarijs ad illam.

ARTICULUS I.

Quidem ad demonstrationem necessarium sit?

§. I.

Exordiam Arist. explicaturi

POST ea, quæ ad primam, & secundam intellectus pertinet operationem, de illis, quæ ad tertiam dirigendam spectant, Aristoteles disputavit, & ad effectum prædictum duplicem librum instituit, alium quidem de priori analysi, vèl de priori resolutione appellavit, in quo examinatur resolutio ex parte formæ, an videlicèt syllogismus rectè sit dispositus in forma, & figura, ipsum reducendo ostensivè, vèl per impossibile ad syllogismum perfectum: alium vero librum perfecit, quem de posteriori analysi, vèl de posteriori resolutione nominavit, in quo resolutio traditur ex parte materiæ probando præmissas per alia priora principia usque quo deveniatur ad primum principium in demonstrabile, quod est causa veritatis.

In principio tamen prædicti libri celebre axioma pronunciavit, quod videlicet: *Omnis doctrina, omnisque disciplina intellectiva ex præexistente fit cognitione:* quæ duo in eo differunt, quod doctrina est cognitio, vèl notitia propria industria comparata, disciplina vero est cognitio, vèl notitia ab aliquo accepta Præceptore, quæ ut à Præceptore procedit dicitur doctrina, quatenus tamen in discipulo recipitur, disciplina nominatur.

Determinat: ergo Philosophus ad omnem cognitionem præ-

præxiſtentem cognitionem requiri, ſed intelligitur de cognitione diſcurſiva inadæquate accepta pro ea ſcilicet, quæ ad concluſionem ſcientifice terminatur, quia cognitio ſcientifica terminata ad concluſionem ex cognitione præmiſſarum cauſatur, & pro ea, quæ oppinative, vèl probabilitèr terminatur ad concluſionem, nam hæc etiam ex cognitione præmiſſarum procedit.

Quod inſuper ex eo ſuadetur, quod Ariſtoteles in præſenti procedebat contra Platonem negantem ſcientiam adquiri per demonſtrationem, & diſcurſum, & affirmantem cognitionem ſcientificam concluſionis, non cauſari ex cognitione præmiſſarum, & ut Platonem impugnaret prædictum axioma inſtituit. Intelligitur: ergo de cognitione diſcurſiva ſumpta inadæquate, ut ad concluſionem terminata.

Dictum autem Platonis erat ſcientiam de novo non comparari, ſed eam eſſe nobis à natura inditam, impeditam tamen aſſenſibus, ſtudio, & exercito indigere, ut ſe explicaret in actu, unde afferebat ſcire noſtrum non eſſe, niſi quodam reminiſci, & rationem aſsignabat, quia videlicèt ſi ea, quæ ſcientificè cognoſcimus, etiam antecedenter non eſſent cognita, non poſſemus deſiderare illa cognoſcere, vèl ſcire, nam deſiderare non poſſumus cognoſcere ea, quorum nullam notitiam habemus.

Sed prædictum effactum, chymera eſt, ut per ſe conſtat ex pluribus, quæ dicta manent; nec ratio inducta aliquid valet, quia in primis principijs, quæ lumine naturali cognoſcimus continentur implicite, & confuſe concluſiones ſcientię, & dum talia principia cognoſcimus, implicitè, & in confuſo concluſiones attingimus, & inde oritur in nobis deſiderium illas explicitè, & in particulari cognoſcendi, quod labore, & ſtudio conſequimur.

§. II.

Præcognita declarantur.

AD diſcurſum autem, & veram demonſtrationem aliqua præcognoſci debent, quæ propterea præcognita, ideſt prius cognita nominantur, & tria ſunt principium videlicèt, aut præmiſſæ, & ſubjectum, & paſsio, quæ quidem prius debere cognoſci, ſuadet ratio, nam ad cognoſcendam ſcientificè concluſionem, debent cognoſci præmiſſæ, quæ ſunt concluſionis principia per quæ concluſio cognoſcitur, ſed præmiſſæ cognoſci non poſſunt, niſi cognoſcantur ſubjectum, & paſsio, quæ ſunt extremitates præmiſſarum: ergò tria aſſignata, videlicèt præmiſſæ, ſubjec-

jectum, & paſsio debent eſſe præcognita, aut prius cognita ante ſcientificum concluſionis aſſenſum.

Sed inſtabis primo: Præter aſsignata præcognita requiritur quod cognoſcatur bonitas conſequentiæ, quia non poteſt quis cognoſcere ſcientifice concluſionem, niſi cognoſcat præmiſſas bene concluſionem inferre: ergo non bene aſsignantur præcognita.

Secundo inſtabis: etiam medium debet prius cognoſci ad concluſionem ſcientifice cognoſcendam, quia ex vi connexionis, quam extremitates habent cum medio cognoſcitur in concluſione eſſe ad invicem connexas: ergo idem, quod prius.

Reſpondetur ad primam bonitatem conſequentiæ pertinere ad formam demonſtrationis, & eſſe præcognitum prioriſticum, & ideo illam in præſenti non ponimus, ubi ſolum præcognita poſterioriſtica aſsignamus.

Ad ſecundam dicimus: medium eſſe præcognitum; ſed non eſſe præcognitum diſtinctum à præmiſsis, cum quibus non ponit in numero.

Sed inſtabis primo: de præmiſsis, ut habentibus rationem præcogniti, debet cognoſci an ſint veræ; ſed de medio non poteſt cognoſci an ſit verum: ergò medium eſt diſtinctum præcognitum à præmiſsis: probat. min. ſignificare verum: vèl falſum eſt proprium totius enuntiativi, ſed medium non eſt propoſitio, vèl enuntiatio, ſed aliquid ſimplex; ergò de illo non poteſt cognoſci an ſit verum.

Secundo inſtabis: Sicut præmiſſæ includunt medium, ita etiam includunt ſubjectum, & paſsionem, quæ ſunt extremitates præmiſſarum: ergo ſi ſubjectum, & paſsio in ratione præcogniti ponunt in numero cum præmiſsis, hoc idem habebit medium.

Reſpondetur ad primam diſtinguendo minorem, verum, ut quod, conced. min. ut quo, neg. min. & conſeq. quia licet medium non ſit propoſitio, & ita non ſit verum, ut quod, eſt tamen verum, ut quo; ideſt, ratione cujus præmiſſæ habent veritatem illativam, ſiquidem non inferunt concluſionem, niſi quatenus cum medio connectuntur: unde de medio præcognoſcitur an ſit verum, ut quo.

Ad ſecundam negatur conſequentia; quia ſicut copula verbalis in propoſitionem non ponit in numero cum propoſitione ipſa, ita etiam medium, quod eſt copula poſterioriſtica, & cum illo connectuntur extremitates non ponit in numero cum illis; ſubjectum verò, & paſsio ſe habent, ut materia comparative ad præmiſſas, & ita ponunt in numero cum præmiſsis.

Et ſi dicas: quod ſicut forma rei non ponit in numero cum materia, ita materia non ponit in numero cum forma; ſed ſubjectum, & paſsio ſunt materia præmiſſarum, ſicut medium eſt forma: ergo ſicut medium non ponit in numero, ita etiam ſubjectum, & paſsio non ponunt in numero cum præmiſsis.

Reſpondetur: diſtinguendo conſequens, cum præmiſsis in eſſe rei, & abſolute, concedo conſequentiam, in actione præcogniti, nego conſequentiam. Sicut enim forma, non ponit in numero cum re abſolute, & in eſſe rei, ita etiam non ponit in numero cum re illius materia; ex quo ſolum ſequitur, nec medium, nec ſubjectum, & paſsionem abſolute, & in eſſe rei ponere in numero cum præmiſsis; cæterum in ratione præcogniti ſubjectum, & paſsio ponunt in numero neceſſario cum præmiſsis, quia de præmiſsis ſolum præcognoſcitur an ſint veræ, de ſubjecto verò debet præcognoſci qui ſit, & an ſit poſsibile, de paſsione verò debet præcognoſci quid ſignificet; de medio verò ſolum præcognoſcitur an ſit verum, ſicut de præmiſsis cognoſcitur, & ideo ſolum medium in ratione præcogniti non ponit in numero cum præmiſsis.

§. III.

De præcognitionibus.

DE his ergo præcognitis debent etiam aliqua cognoſci quæ propterea præcognitiones appellantur, & hæc ſunt an ſit, & quid ſit, de præmiſsis namque debet præcognoſci an ſint veræ, eo quod cognitio veritatis concluſionis cauſatur ex cognitione veritatis præmiſſarum; non tamen debet præcognoſci de præmiſsis, quid ſint, quia complexa non habent definitionem in rigore, & quid verum ſit media diffinitione cognoſcitur.

Dices: de aliquo principio demonſtratur quod ſit verum: ergo de principijs, vèl de præmiſsis non debet, præcognoſci an habeant veritatem, quia omnium eadem ratio eſt: probatur antec. propoſitio, quæ eſt principium unius concluſionis, poteſt eſſe concluſio reſpectu alterius ſicut tertia paſsio eſt principium quartæ, & concluſio reſpectu ſecundæ: ergò de aliquo principio demonſtratur, quod ſit verum.

Reſpondetur: quod aliquando demonſtratur de principio, quod ſit verum, ſed non demonſtratur de illo formaliter, ut eſt principium, ſed ſolum de illo quatenus concluſio eſt; ut conſtat in exemplo in replica

fas

facto, & ideo de principio formaliter, ut tali bene potest præcognosci an verum sit.

De alio vero præcognito videlicet de subjecto debet præcognosci an sit, non tamen an sit existens, quia scientia abstrahit ab existentia, sed tolum an sit possibile. Similiter etiam debet præcognosci de illo quid sit, aut quàm habeat essentiam, eo quod essentia subjecti non probatur à priori, sed potius ex illa procedit intellectus ad passiones demonstrando.

Dices: Theologia probat existentiam sui objecti: ergò an est objecti, vèl subjecti non debet præcognosci, sed per ipsam demonstrationem probari potest, probatur anteced. Theologia probat Deum existere, sed Deus est objectum illius: ergò probat existentiam sui objecti.

Respondetur: Theologiam probare existentiam sui objecti, non tamen ex propriis, sed ex principijs Metaphisicæ, & ideo prædicta demonstratio procedit à Theologia imperativè, sed elicitivè tantum à Metaphisica procedit; unde ad demonstrationem propriam Theologiæ supponitur præcognita existentia sui objecti.

De tertio tandem præcognito videlicet de passione, debet præcognosci, non quidem an sit, vèl conveniat subjecto hoc enim per demonstrationem concludi-tur, sed solum debet præcognosci quid sit, idest quid significet nomenn passionis, quia si intellectus ignorat quit significat nomen, non poterit rem per nomen significatam attribuere subjecto, proindeque conclusionem, vèl passionem convenire probare non poterit.

§. IV.

Quid, & quotuplex sit propositio immediata, & per se nota.

CUm demonstratio constare debeat ex propositionibus immediatis, & notoribus, causisque conclusionis ex earum notitia pendet etiam notitia demostrationis, & ideo.

Præcalis habendum est aliquas esse propositiones in quibus prædicatum convenit subjecto absque aliquo medio, ut in hac homo est animal rationale, &c. alias etiam esse in quibus inter prædicatum, & subjectum mediat aliquid realitèr ab utroque distinctum, ut in hac homo est risibilis, in qua inter prædicatum, & subjectum mediat admirativum realiter distinctum ab utroque, & in his propositionibus secundi generis potest prædicatum vere de subjecto demonstrari.

Propositio tamen in quâ prædicatum convenit immediate subjecto, appellatur immediata, & dicitur esse illam,

quæ non est altera prior; hæc autem est duplex, universalis scilicet, & particularis. Universalis ea est, quæ ad omnem scientiam supponitur, & constat terminis communissimis, sicut quod licet est, vel non est, quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se, & hæc etiam dignitas appellatur, eo quod propter sui claritatem digna est, ut sine discursu, illi præbetur assensus. Alia utique est propositio immediata particularis, quæ in scientia particulari se habet, ut primum principium indemonstrabile, ut in quacumque scientia talis est propositio in qua definitio de subjecto proprio scientiæ prædicatur, & hæc solet appellari *positio*, & quandoque in ipsa scientia explicatur, sed vere non probatur intra illam, quin potius ut vera ponitur, & supponitur, ut talis, & propter hoc fortasse positio nominatur.

Dices: Una definitio potest per aliam probari, sicut ista: domus est ædificium factum ex parietibus, & recto probatur, quia domus ordinatur ad protegendum nos à temporis calamitate: ergò debet esse composita ex parietibus, & recto, ubi prima definitio quæ est per causam materialem probatur per secundam, quæ fit per causam finalem; sed propositio in qua prædicatur definitio de subjecto est propositio immediata; ergo propositio immediata potest per aliud probari.

Respondetur: propositionem immediatam non posse probari per aliam ejusdem ordinis, posse tamen per aliam diversi ordinis probari, & in diverso genere causæ, ut contingit in exemplo, quod in argumento refertur, nec nos hoc in præsenti negamus, sed solum primum asserimus.

Ex his constat propositionem per se notam esse illam quæ non per aliud medium cognoscitur, sed cognita significatione terminorum statim innotescit, sicut hæc homo est animal rationale: unde idem est propositionem esse immediatam, & esse per se notam, solumque differunt ex modo significandi quatenus esse immediatam est qua si causa essendi per se notam, & ideo propositio est per se nota, quia est immediata, consequenterque una per aliam potest bene quoad explicatum probari.

Notandum tamen propositionem per se notam, aliam esse per se notam secundum se, in qua videlicet prædicatum est de essentia subjecti, & non per se notam quoad nos, qui non bene percipimus naturam subjecti, sicut contingit in hac propositione Deus existit, quæ secundum se est per se nota, non tamen nobis, qui Deum existere per creaturas cognoscimus, & pro-

probamus. Altera insuper est propositio per se nota secundum se, & quoad nos, quæ nec secundum se, nec quoad nos habet medium probativum, ut hæc homo est animali rationale.

Sed instabilis contra doctrinam prædictam: quia hæc propositio nix est alba est per se nota; & tamen probari potest per aliquod medium videlicet per temperamentum vivis: ergò non omnis propositio per se nota immediata est.

Respondetur: Illam propositionem esse per se notam quoad sensum, non tamen quoad intellectum, & ideo mirum non est intellectum libere medium per quod illam probare possit.

Dices: Intellectus est perfectior in cognoscendo, quam sensus: ergò si illa propositio est per se nota respectu sensus melius hoc habebit in ordine ad intellectum.

Respond. ex perfectione intellectus provenire, quod ipse intellectus inveniat causam, & medium per quod illam probare possit; sensus autem propter sui imperfectionem non cognoscit tale medium, sed solum existentiam coloris albi exterius apparentis in nive.

Secundo arguitur: Nam hæc propositio homo est admirativus est per se nota; & tamen habet medium per quod probari possit: ergò non omnis propositio per se nota, immediata est. Prob. min. inter admirativum, & hominem mediat hominis diffinitio, quæ est vera causa respectu primæ passionis, & est natura rei est notior, quam ipsa passio: ergò prædicta propositio habet medium per quod probari possit.

In solutione hujus argumenti in oppositas sententias Thomistæ dividuntur, nam aliqui cum Cajetano affirmant, prædictam propositionem esse per se notam. Alij verò cum Capreolo defendunt, nec per se notam, nec immediatam esse, qui quidem, negant argumenti majorem, & hæc sententia videtur Aristotelis 4. Physicorum *text.* 31. & D. Thomæ primo posteriorum *lectione* 13.

Ad hanc sententiam tuendam memovet primo authoritas D. Thomæ, eadem convincit probatio minoris. Insuper etiam efficaciter me in eam inclinat ratio, quæ sequitur: propositio secundum se demonstrabilis, nequit esse immediata, & per se nota; sed propositio prædicta verè demonstrabilis est: ergò non est immediata, & per se nota; major cum conseq. tenet, & prob. min. propositio secundum se scibilis, secundum se demonstrabilis est, ut per se patet; sed ea propositio

est

est per se scibilis: ergò vere demonstrabilis est prob. min. illud est per se scibile, quod est cognoscibile per causam; nam scire est rem per causam cognoscere; sed prima passio est cognoscibilis per causam, siquidem diffinitio subjecti est vera causa, à qua prima passio vere dimanat: ergò ea propositio in qua prima passio prædicatur de subjecto, vere scibilis est.

Respond. prima passionem esse immediate connexam cum definitione subjecti, cujus oppositum erat necessarium, ut vere demonstraretur per diffinitionem ipsam.

Sed contra: quia prima passio immediate connectitur cum secunda, ut intellectus cum voluntate, & intelligibilitas cum immaterialitate; & tamen secunda passio verè demonstratur per primam, & intellectus per voluntatem, & intelligibilitas per immaterialitatem: ergo connexio immediata primæ passionis cum diffinitione subjecti, non tollit quod per illam demonstretur.

Respondetur secundo: quia licet diffinitio immediate connectatur cum prima passione, est tamen vera illius causa: ergò vere prima passio per diffinitionem poterit demonstrari, quia demonstrare: est rem per causam probare.

Secundo probatur hæc nostra sententia: quia propositio immediata ea est, in qua prædicatum est de intrinseca ratione subjecti, sent. 1. *post. lect.* 5. docet Div. Thomas; sed prima passio non est de intrinseca ratione subjecti, cum non sit illi essentialis: ergò prædicta propositio non est immediata, & consequenter per se nota non est.

Dices: D. Thomam 1 *post. lect.* 36. affirmare propositionem illam in qua prima passio prædicatur de subjecto, esse in demonstrabilem, sicut, & aliam in qua genus prædicatur de proxima specie: ergò doctrina nostra contra D. Th. procedit.

Respond. D. Thomam in loco citato solum affirmare esse in demonstrabilem propositionem illam, in qua prima passio, prædicatur de subjecto proximo, quod est diffinitio subjecti; ex quo solum sequitur primam passionem non posse demonstrari de diffinitione subjecti, non tamen demonstrari non posse de subjecto per ejus diffinitionem, quod nos tantum affirmamus.

Dices secundo: probare per diffinitionem esse fallaciam petitionis principij: ergo prima passio non est demonstrabilis mediante diffinitione.

Sed revera fallacia petitionis principij consistit in eo, quod petamus concedi nobis convenire diffinitioni, quod negatur con-

convenire definitio, quod quidem impossibile est: illud autem, quod argumentum asserit, nullus Philosophorum affirmat, sed maximum delirium est.

Dices tandem: Inter primam passionem, & subjectum non mediare aliquid, quod sit medium secundum se, nam diffinitio solum est medium quoad nos, & solum quoad nos à subjecto distincta: ergò prædicta propositio est immediata secundum se.

Respondetur: quod licet diffinitio tantum penes implicitum, & explicitum distinguatur à subjecto, est tamen vera causa respectu primæ passionis, & ideo non solum quoad nos, sed etiam secundum se est medium respectu illius, sicut una passio entis est medium secundum se respectu alterius, & tamen passiones entis identificantur inter se, & cum ente, & sola ratione differunt.

Poterat etiam responderi: Propositionem non dici mediatam secundum se, quia inter ipsam, & subjectum mediet aliquid à subjecto diversum, sed ex eo quod mediet aliquid penes implicitum, & explicitum distinctum à subjecto realiter tamen, vèl objective distinctione excludentis, & exclusi à passione diversum, quod totum in ordine ad primam passionem habet vere diffinitio.

Mag. Froylan.

§. V.

De propositione de omni, de modis per se, & de prædicato universali.

ULtra omnia supradicta necessarium est ea scire, quæ in §. numerantur, & in primis notandum est, esse discrimen inter dici de omni prioristicum, & dici de omni posterioristicum, nam dici de omni prioristicum est, quod nihil sit subsumere sub subjecto sive vere, sive falso, sive contingenter, sive necessario, de quo non dicatur prædicatum, unde propositio de omni prioristico est propositio de termino communi distributo, sivè vera, sivè falsa, in qua quidquid dicitur de subjecto prædicatur de omni, quod sub subjecto continetur.

Dicè verò de omni posterioristicum, consistit in eo, quod nihil sit subsumere sub subjecto, de quo vere, & necessario, non dicatur prædicatum, sivè subjectum distributum, vèl non distributum sit: sicut in his propositionibus homo est rationalis, homo est risibilis, in quibus propter connexionem necessariam semper, & in omni tempore convenit subjecto prædicatum, & ideo propositio necessaria semper est de omni posterioristico, &

omnis propoſitio de omni poſterioriſtico, ſemper neceſſaria eſt.

Sed inſtabis: Iſtæ propoſitiones in omni vere ſunt tonitrua, & ſol oritur, ſunt de omni poſteriori ſtico, quia de illis datur ſcientia, quæ ſolum eſt de neceſſarijs; & tamen prædicatum non ſemper convenit ſubjecto, nam ſol veſpere non oritur, & aliquando in vere tonitrua non ſunt: ergò.

Reſpondetur: propoſitiones illas non eſſe neceſſarias abſolute in re, ſed ſolum regulariter, & eo modo quo intelliguntur à nobis, nam in omni vere eſſe regulariter tronitrua eſt propoſitio neceſſaria; alia etiam neceſſaria eſt tempra pro determinato tempore pro mane videlicet in quo ſemper oritur ſol, & in hoc ſenſu per ſcientiam demonſtratur.

Sed inſtabis: illa propoſitio in omni vere ſunt tonitrua, non eſt ita neceſſaria, ſicut, & altera homo eſt animal rationale; ſed ſi intelligatur de exiſtentia tonitrui in vere, & in plurimum, & regulariter, ita neceſſaria eſt: ergò non eſt ita intelligenda patet min. Quia naturaliter loquendo in omni vere eſſe tonitrua regulariter, & ut in plurimum deficere non poteſt, & eſt ita verum, ſicut homo eſt animal rationale.

Reſp. diſtinguendo maj. abſolute, concedo maj. intellecta, ut expilcavimus, nego maj. quia licet illa propoſitio conſiderata abſolute non ſit ita neceſſaria, eo quod abſolute poteſt prædicatum ſubjecto deficere; conſiderata tamen, & intellectiva de exiſtentia tonitrui naturaliter loquendo, & regulariter, vèl ut in plurimum, ita neceſſaria eſt, nam veritas per ſcientiam attacta, formaliter, ut talis aliter ſe habere non poteſt.

Circa ſecundam propoſiti partem, quatuor modos per ſe Ariſtoteles aſsignavit, quorum primus eſt quando prædicatum eſt de eſſentia ſubjecti. Secundus, quando propria paſsio prædicatur de ſubjecto, vèl ſubjectum eſt de diffinitione prædicati, ut in hac homo eſt riſibilis, & quando ſubjectum prædicatur de paſsione propria, ſicut in hac riſibile eſt homo, quia ſubjectum eſt pars diffinitionis, & prædicatum eſſentiale reſpectu propriæ paſsionis conſideratę in concreto.

Dices: propoſitio in qua accidens commune prædicatur de ſubjecto, eſt accidentalis; & tamen ſubjectum eſt de diffinitione prædicati, ſiquidem omne accidens diffinitur per ordinem ad ſubjectum: ergò non omnis propoſitio in qua ſubjectum eſt de diffinitione prædicati, eſt in ſecundo modo dicendi per ſe.

Reſp. ad ſecundum modum dicendi per ſe pertinere por-

propoſitionem in qua ſubjectum eſt de diffinitione prædicati, & inſuper prædicatum dimanat ab eſſentia ſubjecti, quod accidens commune non habet.

Reſpond. ſecundo accidens commune non dicere ordinem ad ſubjectum determinatum, & ideo ſubjectum determinatum non eſt de illius diffinitione, ſed potius de illo accidentaliter prædicatur.

Tertius modus per ſe eſt quando aliquid exiſtit per ſe, & non in alio, ſicut ſubſtantia. Et quartus modus, eſt quando de cauſa per ſe prædicatur ejus effectus, ſicut in hac ædificator ædificat, & duo modi priores ſunt modi per ſe prædicandi, propoſitioneſque in illis conſtitutæ ſunt neceſſariç, & ideò demonſtrationi deſerviunt. Tertius verò modus eſt modus per ſe eſſendi, & quartus per ſe cauſandi, & propoſitiones in illis conſtitutç abſolute accidentales, ut ſubſtantia exiſtit ædificator ædificat, & ſic acceptæ non ſerviunt demonſtrationi, & tandem hi duo modi poſſunt aliquando coincidere cum aliquo ex primis modis, quia etiam ſubjectum eſt cauſa primæ paſſionis, ſed materialiter coincidunt, quia prima paſſio naturaliter connectitur cum ſubjecto, & ſubjectum eſt de illius diffinitione, propterea-que ſemper in ſecundo modo de ſubjecto prædicatur.

De ultimo tamen quod inquirebamus, aſſerimus propoſitionem de prædicato univerſali eſſe illam *in qua prædicatum convenit ſubjecto per ſe, & ſecundum quod ipſum.* Ideſt ſecundum quod tale ſicut in hac homo eſt rationalis, vèl in hac homo eſt riſibilis in quibus prædicatum convenit homini, ſecundum quod homo eſt hæc tamen propoſitio homo eſt ſenſibilis, quamvis ſit de omni, & per ſe, non tamen eſt de prædicato univerſali, quia ſenſibile non convenit homini ſecundum quod homo, ſed ſecundum quod animal eſt: Ad ſcientiam, verò non requiritur neceſſario demonſtrationem conſtare propoſitionibus de prædicato univerſali, ſed ſatis eſt, quod ex propoſitionibus de omni, & per ſe ſive neceſſarijs fiat.

ARTIC. II.

Quid, & quotuplex ſit demonſtratio?

§. I.

Diffinitio demonſtrationis traditur.

EXplicatis iam omnibus illis, quæ ad demonſtrationem requiruntur, neceſſarium eſt ipſam demonſtrationem exponere. quæ quidem eſt artefactum quoddam compoſitum ex propoſitionibus, ut materia, & ex diſpoſitio-

ne syllogistica tanquam forma.

Demonstrationem autem dupliciter Aristoteles diffinivit, primo quidem in ordine ad effectum dicendo: *Demonstratio est syllogismus faciens scire.* Quod si intelligatur de scientia actuali, aut assensu scientifico, convenit demonstrationi in adæquatè sumptæ secundum solas præmissas: si vero accipiatur scire pro scientia habituali, sic demonstratio sumpta adæquate, & quatenus etiam conclusionem includit causat scientiam, nam habitus scientiæ per assensum conclusionis generatur. Bene tamen diffinitur demonstratio in ordine ad talem effectum proprium, quia quodlibet artefactum bene diffinitur in ordine ad proprium finem, sicut domus diffinitur bene per ordinem ad finem defendendi nos à temporis tempestate.

Secundo: demonstrationem diffinivit Aristoteles ex parte materiæ proximæ per ea verba: *Est syllogismus procedens ex primis, veris, & immediatis, notioribus, prioribus, causisque conclusionis.* In qua diffinitione syllogismus ponitur loco generis, & aliæ particulæ loco differentiæ pununtur.

Insuper etiam particulas explicamus, *primis* denotat principia ex quibus fit demonstratio esse in demonstrabilia, & quibus non sint alia priora, vèl si alia priora sint, in ea utique resolvantur principia demonstrationis; & in eodem sensu dicitur illa esse immediata, vèl quia carent medio, vèl reducuntur ad alia, quæ medio carent; unde sunt immediata virtualiter quatenus continentur in principijs immediatis, & ad ea reducuntur, & nullus per principia mediata scientiam adquirit, nisi sciat illa ad principia immediata resolvere.

Alia particula *veris* intelligitur de propositionibus veris non veritate contingente, sed necessaria; nam præmissæ debent esse propositiones de omni, & per se, eo quod scientia attingit conclusiones infallibiliter veras, quæ non sequuntur ex principio contingenti.

Et si dicas: quod bene valet homo ridet: ergò est risibilis; & tamen antecedens est contingens: ergò ex principio contingenti potest sequi infallibilis conclusio.

Respondetur conclusionem prælictam ex vi principij solum esse infallibiliter veram veritate consequentiæ, quatenus infertur infallibiliter; non tamen esse infallibiliter veram veritate consequentis, quia sicut antecedens potest aliter se habere, ita consequens absolute aliter se habere potest; conclusio vero in demonstratione non potest etiam absolute aliter se habere.

Aliæ

Aliæ verò particulæ *prioribus, & notioribus, causisque conclusionis*: Facile intelliguntur, præmisse namque relativè ad conclusionem priores sunt, & similitèr conclusionem causant, & inferunt.

Dices: Si præmissæ sunt causæ conclusionis erunt etiam priores, quia causa in quantum causa prior est: ergò particula prioribus redundanter in diffinitione ponitur.

Resp. particulam prædictam poni ad majorem explicationem, quia ptioritas, & antecedentia respectu concluficuis, expressius per istam particulam, quam per alteram explicatur.

Dices secundo: unum attributum Dei per alterum demonstrari, sicut voluntas per intellectum, & per immutabilitatem æternitas, & simplicitas per rationem actus puri, & tamen unum atributum altetius causa non est: ergò demonstratio non debet constare ex causis.

Respond. particulam illam non intelligi de causa rigurosa, sed de causa rigurosa, vèl de ratione à priori, & unum attributum divinum, quamvis non sit causa alterius. est tamen ratio illius à priori, sicut una passio entis vere per alteram demonstratur, & tamen una non est alterius causa, sed solum ratio à ptiori, cum sint realitèr idem.

Alia tandem particula *notioribus* rectè ponitur, quia propter præmissas est nobis nota conclusio: ergò præmisse debent esse notiores, & certiores conclusione, nam *propter quod unumquodque tale, & illud magis*: Sicut 1. *post cap.* 2. Arist. affirmat.

Dices contra veritatem principij: quod sanguis minuitur propter sanitatem, & tamen sanitas non magis minuitur, quia sanitas in indivisibili consistit. Terra etiam est calida propter solem, & tamen sol non est magis calidus. Conclusio etiam scitur propter principia, & tamen principia non magis sciuntur, quia potius principia non cognoscuntur per scientiam, sed lumino naturali. Paries similiter est alba propter abedinem, & tamen albedo non est magis alba, & animal est risibile propter hominem, qui non est magis risibilis, & filius est homo propter Patrem generantem, & Pater non est magis homo, sicut Pater in Divinis non magis spirat, quamvis filius spiret propter Patrem: ergò principium in quo fundatur veritas explicationis verum non est.

Verum tamen principium verisimum est, quia in eo triplex conditio sub intelligi debet: prima, quod effectus, & causa conveniant in eadem denominatione, & prædicarum conveniat utrique formaliter, & unum sit tale, quia alterum est

tale: defectu cujus primæ instantiæ non verificantur, quia sol non est formaliter, calidus sicut terra, nec principia sciuntur, nec albedo dicitur alba nec sanguis ideo minuitur, quia sanitas minuatur.

Secunda conditio est, quod forma denominans utrumque suscipiat magis, & minus, & ideò quamvis filius sit homo propter Patrem, non ideò Pater est magis homo, quia ratio hominis non suscipit magis, & minus, & idem de sanguine, & sanitate, nam etiam sanitas magis, & minus non suscipit.

Tertia conditio est, quod non sit eadem forma in utroque ratione cujus non valent cæterę instantiæ, quæ in Patre, & Filio in divinis est eadem forma, & eadem virtus spirativa, & in homine, & animali eadem risibilitas est. Cœterum esse certum convenit formaliter præmissis, & conclusioni, & præmissæ sunt conclusionis causa, & non est eadem certitudo in utroque, & tandem certitudo suscipit magis, & minus, ac proinde nihil deficit, ut proverbium in præmissis, & conclusione verum sit.

Statuta ergo veritate principij contra veritatem traditæ explicationis adhuc manet argumentum, quia prędmissę non possunt excedere in certitudine conclusionem, nec in ratione magis not: ergò non possunt esse certiores, & notiores conclusione: Probatur antec. Quia causa naturalis, influit secundum totam virtutem, & ultimum posse; sed præmissæ sunt causa naturalis conclusionis: ergò quidquid habent, communicant conclusioni, & non possunt illam excedere in certitudine, & ratione magis noti.

Secundo probatur anteced. in demonstratione Theologica conclusio semper est supernaturalis, & aliqua præmissarum aliquando est naturalis; sed prędmissa naturalis non potest in certitudine excedere supernaturalem conclusionem: ergo.

Tertio probaturant: probabilis est sententia, quod ex prędmissis cognitis evidenter moraliter potest inferri conclusio Metaphisicè certa; sed certitudo moralis non adæquat Metaphisicam certitudinem: ergò.

Quarto probatur ant. intellectus æqualiter adhæret præmissis, & conclusioni, & in vi ejusdem principij, scilicet ratione illius, quæ sunt eadem uniterio sunt eadem inter se; sed in adhæsione intellectus ad rem consistit certitudo: ergò.

Quinto prob. ant. Si præmissæ haberent major. certitudinem, quàm conclusio, excederent primam conclusionem, & prima conclusio secundam, & sic de singulis usque ad ultimam:

mam : ergò ultima nullam fe-re certitudinem haberet, quod admitendum non eſt.

Reſp. ad argumentum, negando antecedens, & ad primam probationem dicimus præmiſſas eſſe cauſas naturales, ſed æquivocas concluſionis, & ideo non influere totam perfectionem, & certitudinem in concluſionem ipſam, quia cauſa æquivoca non comunicat omnem perfectionem, quam habet.

Ad ſecundam probationem dicimus præmiſſam naturalem ſolum, ut elevatam in concluſionem influere, ſive elevatio fiat per entitatem ſupernaturalem, ſive per aliquem modum, & ſic elevatam poſſe excedere concluſionem. Præterquam quod utraque præmiſſa ſimul ſumpta concluſionem excedit, quod ſufficit ad intentum, quia concluſio non eſt certa ſolum propter præmiſſam naturalem, ſed propter utramque ſimul.

Ad tertiam reſpond. illam ſententiam non eſſe valde probabilem, ut infra dicemus, ſed illa admiſſa, aſſerimus quod licèt certitudo præmiſſarum moralis ſit, eſt tamen ratio aſſentiendi concluſioni firmiter, & abſque ulla formidine, & ita æquivalenter eſt Metaphiſica, & major certitudine concluſionis.

Ad quartam reſp. connexionem extremitatum cum medio eſſe motivum formale eſſentiendi per ſe primo præmiſſis, & ex conſequenti movere ad aſſenſum concluſionis, & ideo certitudo præmiſſarum major eſt.

Ad quintam reſp. exceſſum unius concluſionis ſupra alteram non eſſe Ariſmeticum, aut æqualitatis, & per partes determinatas, ſed eſſe exceſſum Geometricum, aut proportionalitatis, ita ut exceſſus primæ veritatis major ſit, & exceſſus ſecundæ comparativè ad tertiam, & ſic de alijs, numquam tamen deveniatur ad concluſionem ſcientificam, quæcumque illa ſit, in qua non reperiatur Metaphiſica certitudo.

§. II.

Diviſio demonſtrationis explicatur.

CUM omne medium infallibiliter cum veritate connexum, probet infallibiliter veritatem, ſivè medium ſit cauſa, ſivè effectus veritatis, ſivè cauſa provima, ſive remota ſit, per quod cumque ex his poteſt intellectus demonſtrare veritatem, & quamvis effectus in eſſe rei non ſit cauſa veritatis, ſi tamen veritatem infallibiliter oſtendit; in ordine ad intellectum erit cauſa in cognoſcendo, ſiquidem intellectus eo utitur tanquam medio cognoſcendi veritatem.

Propter iſtam tamen di-

verſitatem medij ad veritatem cognoſcendam : dividitur demoſtratio in demonſtrationem *quia*, & demonſtrationem *propter quid* : demonſtratio propter quid ea eſt, quæ veritatem probat per cauſam proximam, & immediatam illius, & cum quis voluntatem probat per intellectum, riſibile per rationale ; unde talis demonſtratio diverſa eſt juxta cauſæ diverſitatem. Alia namque eſt per cauſam virtualem, vèl rationem à priori, ut cum quis probat. Deum eſſe æternum, quia immutabilis eſt: Alia per cauſam materialem, ut cum quis probat omne corpus eſſe quantum, quia materiale eſt. Alia per cauſam formalem, & cum quis probat riſibile per rationale : Alia vero per efficientem, ut ſi dicas omnem creaturam eſſe bonam, quia fit à Deo.

Demonſtratio autem, *quia* ea eſt, quæ veritatem probat per cauſam remotam, vèl effectum, vèl aſsigno, aut per extremum aliquod cum veritate connexum, ſicut probamus Deum exiſtere per creaturas, quæ ſunt effectus illius, vèl lapidem non reſpirare, quia non eſt animal, quamvis namque non omne animal reſpiret, ut patet in piſcibus, nihil tamen refert, quod animal non ſit: aut quando probamus unum relativum per alterum, ut cum dicemus; eſt pater; ergò filius, & è contra, quamvis unum relativum non ſit cauſa, vèl effectus alterius.

Ex quo habes: omnem demonſtrationem *propter quid* eſſe à priori, non tamen è contra, eo quod demonſtratio per cauſam remotam eſt à priori, & non eſt propter quid. Et ſimiliter omnem demonſtrationem à poſteriori eſſe demonſtrationem quia, ſed non è contra, nam demonſtratio per cauſam remotam eſt quia, & tamen à poſteriori non eſt.

Habes etiam eodem modo in negativis diſcurrendum eſſe; quia ſi negatio effectus probatur per negationem cauſæ proxime, & immediatæ, erit demoſtratio propter quid, & talis etiam erit : quando impoſsibilitas effectus probatur per impoſsibilitatem cauſæ proximæ, ut ſi probes implicare equum riſibilem, quia equus rationalis implicat. Et omnis alia demonſtratio erit demonſtratio quia.

Quapropter diviſio demonſtrationibus in quia, & propter quid eſt adæquata diviſio, nam datur per extrema contradictoria, quia ſi probatio fit per cauſam immediatam, & proximam erit demonſtratio propter quid, & ſi ita non fiat erit demonſtratio quia, & nulla eſt aſsignabilis demonſtratio: de qua non ſit verum affirmare eſſe

per

per cauſam proximam, vèl non eſſe.

Inſuper etiam prædicta diviſio univoca eſt: quia habitus ſcientiæ productus per demonſtrationem quia eſt ſimpliciter ſcientia, ſicut habitus, qui producitur per demonſtrationem propter quid: ergò utraque demoſtratio in faciendo ſcire habet univocam convenientiam, & ſimpliciter talis eſt.

Reſpondebis: Demonſtrationem quia non producere veram ſcientiam, ſed imperfectè tantum ad intelligentiam veritatis intellectum perducere.

Contra tamen eſt: quia viatores de Dei exiſtentia veram ſcientiam habemus, & tamen talis ſcientia unice producitur per demonſtrationem quia, nam Deum exiſtere ſolum per effectus creatos cognoſcimus evidenter: ergò demonſtratio quia veram ſcientiam producit.

Secundo reijcitur: Nam demonſtratio quia vere convincit intellectum: ergò veram ſcientiam producit. Probatur antec. Demonſtratio quia procedit per cauſam remotam infallibiliter cum effectu connexam, vèl per ſignum, vèl effectum, vèl aliud extremum connexum infallibiliter cum veritate probata; ſed medium infallibiliter cum veritate connexum, ſemel evidenter cognitum, intellectum convincit in ordine ad veritatem, nec ipſum liberum relinquit, ut poſſit veritati diſſentire: ergò demonſtratio quia vere intellectum convincit.

Sed inſtabis: Demonſtrationem quia non quietare intellectum, ſiquidem non oſtendit propriam cauſam, & radicem veritatis, quo deficiente manet intellectus in quietus: ergò non vere convincit, alias vere quietaret.

Reſp. ex argumento ſolum ſequi demonſtrationem quia, non quietare intellectum quantud ad quid eſt, eo quod non oſtendit cauſam propriam, & radicem veritatis: non tamen non quietare intellectum quantum ad an eſt, vèl exiſtentiam veritatis, nam veritatem exiſtere evidenter convincit oſtendendo medium infallibiliter connexum cum exiſtentia veritatis.

§. Ultimus.

Corollaria ex dictis.

EX dictis in articuli diſcurſu colligitur primo diviſionem in demonſtrationem quia, & propter quid eſſe generis in ſpecies, quia omnia diviſio eſſentialis, vèl analoga eſt, vèl generis in ſpecies; ſed diviſio prædicta non eſt analoga, ut probatum relinquimus; &

& alioqui eſſentialis eſt : ergò generis in ſpecies. Probatur min. nam demonſtratio quia, & demonſtratio propter quid procedunt per media diverſa, ut vidimus : ergò diviſio in utramque eſſentialis eſt.

Quod inſuper conſtat ex eo, quod differentia propria utriuſque demonſtrationis eſt intranea diviſo, aut intra lineam demonſtrationis. Sed differentia propria unius non eſt differentia propria alterius : ergò diviſio eſſentialis eſt ; nam quando diviſio datur per intraneas differentias, quarum una non eſt alia ſemper eſt eſſentialis diviſio.

Secundo ex dictis colligitur : Demonſtrationem circularem contingere, quando principia probantur per concluſiones, & concluſiones per ipſa principia ; ſed circulus aliquando eſt difformis, aut diverſus, aliquando verò uniformis eſt.

Circulus difformis tunc invenitur, quando unum per alterum probatur, & è contra, ſed ſub ratione, aut formalitate diverſa, ſicut quando concluſio per principia probatur, & principia per concluſionem ſub diverſa cauſalitate, aut alio modo cognitam, & probatam à medio, quo probantur ipſa principia, quem circulum numquam eſſe defectuoſum conſtat ex doctrina Ariſtotelis 2. *poſt cap.* 13. aſſerentis pluviam ex abundantia vaporum, & abundantiam vaporum ex pluvia, & ſtelas eſſe immoviles, quia habent figuram ſphæricam, & habere talem figuram, quia ſunt immobiles, & nos paſſim per effectus, quos experimur demonſtramus cauſam, per quam etiam à priori probamus effectus, & in diverſo genere cauſæ duo ad invicem probamus, ſicut ſanitatem per laborem tanquam cauſam efficientem, & laborem per ſanitatem, ut veram cauſam finalem, quæ omnes demonſtrationes fiunt per diverſa genera cauſæ, & ſub ratione diverſa.

Circulus autem uniformis invenitur etiam, quando ex duobus unum per alterum probatur in eodem genere cauſæ, vèl ſub eadem ratione, & circulus iſte ſemper vitioſus eſt, eo quod principium probativum ſemper eſt prius, & notius, conſequenterque, ſi idem per idem probatur ſub eadem ratione, & in eodem genere cauſæ, idem reſpectu ſui ipſius erit notius, & ignotius, nec non prius, & poſterius.

Dices: quod in aſcenſu, & deſcenſu fit circulatio uniformis ; nam ex ſingularibus procedimus ad univerſalem, ex qua iterum ad ſingularia procedimus, & tamen circulatio prædicta vitioſa non eſt : ergò non omnis circulatio uniformis eſt vitioſa.

Reſ-

Respond. tamen: circulationem prædictam non esse uniformem, quia singularia probantur per universalem, ut principium universale in quo omnia singularia implicite continentur, & iterum universalis ipsa probatur per singularia, ut exprimentaliter cognita, aut altero modo, & ut inferiora sibi quod est idem per idem sub ratione diversa probare.

Scio alios respondere: quod licet quantum ad modum loquendi, vèl in voce supradicta probatio circularis appareat, revera tamen circularis non est, quia tàm per ascensum, quàm per descensum eadem universalis probatur, per descensum quidem falsitas ejus, & per ascensum probatur veritas; unde singularia semper, ut notiora assumuntur.

Et si dicas; in descensu singularia esse consequens, & in ascensu antecedens: ergò singularia non semper ut notiora assumuntur.

Resp. singularia quoad modum loquendi esse consequens in ipso descensu, revera tamen semper esse antecedens, quia etiam in ipso descensu per singularia experta probamus falsitatem universalis, & ideo in re habent rationem antecedentis, quamvis in modo loquendi ea pro consequenti inferamus.

ARTIC. III.

Utrum assensus præmissarum concurrat efficienter ad assensum conclusionis?

§. I.
Difficultas apperitur.

IN præsenti sermo non est de præmissis objectivè consideratis, sic enim sunt causa materialis conclusionis, quatenus materia præmissarum illio modo disposita est materia conclusionis, aut sunt causa formalis, quatenus se habent, ut radix à qua conclusio dimanat: qua propter solum loquimur in præsenti de præmissis formalibus, de illo videlicet actu, quo intellectus assentitur præmissis, de quo quærimus, an simul cum intellectu concurrat efficienter ad conclusionis assensum? Pro cujus intelligentia.

Præmittendum est primo assensum præmissarum in aliquo genere causæ ad assensum conclusionis concurrere, nam ut antea vidimus omnis cognitio discursiva, per quàm attingitur conclusio, ex præexistente cognitione procedit; sed ly *ex* aliquam dependentiam causalitatis importat: ergò assensus præmissarum in aliquo genere causæ concurrit ad assensum conclusionis.

Dein-

Deinde probatur aſſumptum: quia diſcurſus non conſiſtit in eo, quod unum poſt alterum ſucceſſione temporis, vèl naturæ cognoſcatur, quod in Angelis reperitur, in quibus diſcurſus non datur; ſed in eo debet diſcurſus conſiſtere, quod primus actus videlicet aſſenſus præmiſſarum cauſet concluſionis aſſenſum.

Quod utique verum eſſe conſtat ex eo, quod intellectus propter præmiſſas aſſentitur concluſioni, & ex illarum aſſenſu movetur, ut concluſioni aſſentiatur, quod totum diffinitio demonſtrationis oſtendit, in qua dicitur præmiſſas eſſe cauſas concluſionis.

Secundo præmittendum eſt: aſſenſum præmiſſarum non concurrere in genere cauſæ materialis, ſiquidem aſſenſus concluſionis non componitur, ut ex materia ex aſſenſu præmiſſarum: nec etiam concurrere poſſe in genere cauſæ finalis, quia licet aſſenſus præmiſſarum ordinetur ad aſſenſum concluſionis, hic tamen non ordinatur ad aſſenſum præmiſſarum.

Et ideo ſolum difficultas relinquitur de cauſalitate formali, aut de cauſalitate efficiente. Primum plures Jeſuitæ defendunt, ſecundum verò Thomiſtæ cum Angel. Doct. qui 1. *poſt. lect.* 3. in principio, aſſirmante, *in demonſtrationibus principia ſe habere ad concluſionem, ſicut in naturalibus ſe habent cauſæ ad effectus*: ubi de cauſa efficiente loquitur, ut cuicumque textum conſideranti conſtabit. Rurſus etiam 1. *p. quæſt.* 24. *art.* 3. aſſerit diſcurſum demonſtrativum eſſe diſcurſum ſecundum cauſalitatem, in quo loco etiam de cauſalitate efficiente procedit, & ideo hæc ſententia ſit.

§. II.

Noſtra Concluſio.

CConcluſio noſtra poterat probari primo, quia aſſenſus præmiſſarum determinat intellectum ad aſſenſum concluſionis: ergò ſimul cum intellectu concurrit efficienter ad ipſum, ſicut voluntas efficienter concurrit ad actus aliarum potentiarum, quia determinat alias potentias ad agendum, & applicat ad ſuos actus, & ſpecies efficienter concurrit ad intellectionem, applicando intellectum ad illam, & cauſa prima per concurſum prævium determinando cauſam ſecunpam ad effectum efficienter etiam concurrit ad ipſum.

Urgeri poterat ex doctrina D. Thomæ ſæpè aſſerentis quod ſicut finis ſe habet in practicis, & ita principia ſe habent in ſpeculativis; ſed intentio formalis ſimul cum voluntate concurrit

rit efficienter ad electionem mediorum : ergò assensus præmissarum simul sum intellectu concurrit efficienter ad conclusionis assensum.

Ulterius probatur conclusio nostra ratione : nam quidquid constituit potentiam in actu primo ad productionem effectus, concurrit efficienter ad effectum producendum, qua ratione habitus scientificus concurrit efficienter ad cognitionem scientificam ; sed assensus præmissarum constituit intellectum in actu primo potentem ad assensum conclusionis : ergò concurrit efficienter ad conclusionis assensum : probat. min. assensus scientificus conclusionis terminatur ad eam, ut illatam ex præmissis ; sed intellectus independenter ab assensu præmissarum, non est potens attingere conclusionem, ut illatam ex præmissis : ergo per assensum prædictum constituitur in actu primo potens ad assensum conclusionis. Prob. min. intellectus non est potens ad attingendam conclusionem, ut illatam ex præmissis, nisi per actum illum, quo cognoscit præmissas continere conclusionem, sicut non est potens ad cognoscendum effectum, ut talem à priori, nisi per illum actum, quod cognoscit causam contienere talem effectum ; sed actus quo intellectus cognoscit præmissas continere conclusionem, est assensus præmissarum : ergò independenter ab assensu præmissarum non est potens ad attingendam conclusionem, ut illatam ex præmissis.

§. III.

Occurritur aliquibus replicis contra rationem prædictam.

COntra rationem instabis assensus præmissarum non constituit intellectum in actu primo potentem ad assensum conclusionis : ergò ratio conclusionis nititur principio falso. Prob. ant. intellectus per habitum scientiæ constituitur in actu primo potens ad assensum conclusionis, nam per habitum scientiæ habet intellectus virtutem, ut assentiatur scientificè conclusioni : ergò assensus præmissarum non constituit intellectum in actu primo potentem ad conclusionis assensum.

Respondent aliqui : habitum scientificum solum præstare virtutem ad conclusionem absolutè cognoscendam, non tamen ad illam, ut illatam ex præmissis, sed hoc tantum præstari ab assensu præmissarum.

Sed contra est : quia habitus scientificus inclinat ad veritatem scientificè cognoscendam ; sed conclusio scientificè cognosci non potest, nisi etiam cognoscatur, ut ex præmissis illata,

eo quod ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere, & cognoſcere præmiſſas eſſe cauſas concluſionis; ergò habitus prædictus conſtituit intellectum potentem in actu primo, ad concluſionem, ut illatam ex præmiſſis.

Inſuper: Habitus ſcientiæ dat virtutem ad veritates mediatas; ſed concluſio non eſt veritas mediata, niſi, ut illata ex præmiſſis, abſolute namque, & ut res, quædam eſt, non eſt veritas mediata: ergò habitus prædictus conſtituit intellectum potentem ad attingendam concluſionem, ut illatam ex præmiſſis; & ideo hac ſolutione relicta.

Reſp. habitum ſcientificum præſtare virtutem ad cognoſcendam concluſionem, ut illatam ex præmiſſis; non tamen dare virtutem ultimam, & completam, ſed hanc haberi per aſſenſum præmiſſarum, & propterea quamvis intellectus conſtituatur in actu primo per habitum ſcientiæ incomplete, ultimo tamen per aſſenſum præmiſſarum conſtituitur.

Dices: habitum præſtare facilitatem ad omnes concluſiones ſcientiæ, ut illatas ex præmiſſis, nam facilitare, eſt effectus formalis habitus: ergò dat completam virtutem ad aſſenſum concluſionis, nam intellectus non poteſt eſſe faciles ad actum, ſine completa virtute.

Reſpond. habitum ſcientiæ præſtare facilitatem non ultimam, & incompletam, completam vero facilitatem haberi per aſſenſum concluſionis ſicut intellectus per ſecundam demonſtrationem majorem facilitatem adquirit, quam per primam haberet, & habitum productum per illam, & bene poteſt diverſa facilitas per habitum, & aſſenſum præſtari.

Secundo contra rationes arguitur: quia apprehenſio, qua bonum voluntati proponitur, determinat voluntatem ad amandum: & tamen apprehenſio non concurrit efficienter ad amorem: ergò ex quo aſſenſus præmiſſarum determinet intellectum ad aſſenſum concluſionis non bene infertur efficienter concurrere ad concluſionis aſſenſum.

Reſponderi poterat apprehenſionem objecti efficienter concurrere ad actum, quo voluntas objectum proſequitur, quæ ſententia eſt Cajetani 1. 2. *quæſt.* 9. ſed illam non approbamus, & alibi ſatis impugnatam habemus: unde.

Reſponderur ad argumentum: apprehenſionem intellectus ſolum extrinſece determinare voluntatem ad actum proponendo illi objectum, aut ſolum determinare oſtenſive, & per modum cauſæ formalis regulantis, & dirigentis: aſſenſum vero præmiſſarum determinare intel-

lec-

lectum ad assensum conclusionis intrinsece, & subjective complendo activitatem illius, & ipsum quasi impelendo, sicut intentio finis ad electionem mediorum quasi imppellit voluntatem. Et propterea efficienter concurrit ad assensum conclusionis.

Et si dicas: quod sicut assensus conclusionis supponit assensum præmissarum, ita actus voluntatis supponit apprehensionem intellectus, quia nihil volitum, quin præcognitum: ergò si apprehensio non concurrit efficienter, nec etiam præmissarum assensus.

Sed negatur consequentia propter diversum modum, quo supponitur apprehensio ad actum voluntatis, ad quem præcisse supponitur in genere causæ formalis per modum proponentis dirigentis, & regulantis: verum assensus præmissarum supponitur per modum determinantis, & complentis virtutem intellectivam ad assensum conclusionis, & ideo debet efficienter concurrere ad conclusionis assensum, sicut existentia præsupponitur ad agendum, & tamen non concurrit efficienter ad actum, quia nolam dat virtutem operativam ad ipsum.

§. IV.

Cæteris argumentis occurritur.

ARguitur primo contra conclusionem nostram: quod assensus præmissarum non est causa univoca assensus conclusionis, eo quod non est ejusdem speciei cum illo, & causa univoca est ejusdem speciei cum effectu. Insuper etiam non est causa æquivoca illius, quia causa universalis non est, & causa æquivoca debet esse universalis determinabilis per alias causas inferiores: ergò assensus præmissarum non concurrit efficienter ad assensum conclusionis.

Confirmatur: quia nullus actus est principium effectivum alterius, cum principium effectivum sit de linea actus primi, non autem de linea actus secundi; sed assensus præmissarum est verè actus secundus respectu intellectus: ergò.

Respondetur ad argumentum: ad rationem causæ æquivocæ sufficere, quod specie distinguatur ab effectu, quod tamen sit universalis, & per alias determinabilis necessarium non est, ut constat in calore animalis, qui est causa æquivoca respectu sanguinis, & tamen causa universalis non est.

Ad confirmationem argumenti respondetur: actum secundum non posse esse principium

pium elicitivum alterius, posse tamen esse effectivum principium, si compleat virtutem potentiæ, & determinet illam ad alterum actum comparative, ad quem habebit rationem actus primi, quamvis in ordine ad potentiam sit actus secundus: quod contingit in assensu præmissarum in ordine ad assensum conclusionis. Instantia est in intentione finis, quæ propter eandem rationem concurrit efficienter ad electionem mediorum, & tamen respectu voluntatis est verè actus secundus.

Dices primo: Si unus actus esset principium alterius, specificaretur ab alio, & ad ipsum, ut finem ordinaretur; sed hoc esse non potest, alias primus actus non esset verè ultima actualitas potentiæ: ergò.

Dices secundo: Si unus actus efficienter ad alium concurreret, illi subordinaretur; sed una ultima actualitas alteri subordinari non potest, sicut una existentia non potest alteri subordinari: ergò.

Respondetur ad primam negando maj. ut constat in intentione, quæ est principium effectivum electionis, & tamen non specificatur ab illa, nec ad ipsam ut ad finem ordinatur.

Ad secundam respondetur: omissa majori negando min. Si sit actualitas ultima de linea operativa, quia operationes respiciunt objecta extrinseca, & ordinantur ad illa; eumque objecta possint esse subordinata inter se, sicut inter se subordinantur objectum conclusionis, & objectum præmissarum, consequens sit etiam posse operationes inter se subordinari.

Dices: quod sicut actus respicit objectum, ita existentia respicit essentiam, & tamen quamvis possint dari essentiæ subordinatę, sicut essentiæ materiæ, & formę, adhuc tamen una existentia non potest ad alteram ordinari: ergò idem de operatione dicendum.

Respondetur tamen: Materiam ordinari ad formam tanquam ad compartem, ex qua simul cum materia resultet unum per se, quod esse non posset, si in materia daretur existentia ad existentiam formæ ordinata, nam ex duobus entibus in actu non potest unum per se resultare, & ideo impossibilis est existentia materiæ ad existentiam formæ ordinata; sed una operatio non sic ordinatur ad aliam, & ideo dispar est ratio.

Secundo arguitur: In causa efficiente, ut agat necessaria est existentia, nam unumquodque operatur in quantum est in actu; sed quando intellectus assentitur conclusioni, iam non existit præmissarum assensus, sed transivit, cum, discursus involvat successionem actum: er-

ergo assensus præmissarum non concurrit efficienter ad assensum conclusionis.

Respondent nostri communiter assensum præmissarum non existere in eodem instanti naturæ cum assensu conclusionis, quia omnis causa natura præcedit effectum, existere tamen assensum præmissarum in eodem temporis instanti, quod sufficit ad causandum conclusionis assensum, nec necessarium est ipsum tempore præcedere, sicut sol non præcedit tempore illuminationem, sed simul ac est illuminat, & tamen efficienter illuminationem producit.

Sed instabis: quod intellectus non potest simul diversa objecta intelligere, sicut 1. *p. quæst.* 58. *artic.* 2. docet Angel. Doct. Sed objectum conclusionis est diversum ab objecto præmissarum: ergo assensus præmissarum non est simul tempore cum assensu conclusionis, consequenterque nequit ipsum efficienter producere.

Respondetur: intellectum in eodem instanti non posse per eandem cognitionem attingere objecta diversa, posse tamen in eodem temporis instanti per cognitiones distinctas diversa objecta percipere, & primum, non autem secundum negare D. Thom.

Et si dicas: intellectum in eodem temporis instanti non posse simul actuari duplici ultima actualitatate, sicut quantitas non potest simul habere duplicem figuram, nec natura simul terminari per duplicem existentiam: ergo intellectus in eodem temporis instanti non potest diversas operationes habere.

Respondet, non posse intellectum habere in eodem temporis instanti plures cognitiones disparatas, & sine ordine se habentes, posse tamen habere plures cognitiones ordinatas, qualiter assensus conclusionis: subordinatur ad assensum præmissarum. Anima quippe Christi D. simul habebat cognitionem scientiæ infusæ, scientiæ adquisitæ, & beatæ, & in Angelo simul inveniuntur cognitio matutina, & cognitio vespertina.

Secundo ad argumentum principale responderemus, quando intellectus assentitur conclusioni, non existere præmissarum assensum formaliter in se ipso, existere tamen virtualiter in effectu, videlicet in determinatione, quam intellectus adquisivit per assensum præmissarum, quæ quidem determinatio perseverat etiam adhuc in illo instanti naturæ, quo intellectus assentitur conclusioni, & hæc virtualis perseverantia sufficit, ut assensus præmissarum possit efficienter producere conclusionis assensum, sicut quar-

quamvis intentio finis non existat in se ipsa, & formaliter, quando elicitur electio, quia tamen virtualiter existit in determinatione voluntatis antecedenter causata per intentionem, & modo perseverante, concurrit efficienter intentio ad electionem mediorum.

ARTIC. IV.

Vtrùm assensus præmissarum necessitet intellectum ad assensum conclusionis?

§. I.

Facilior doctrina præmittitur.

DUplex necessitas potest in potentia reperiri, alia quidem quoad speciem, quando potentia ad speciem determinatam actus necessitata est, ut intellectus ad assensum, vèl dissensum determinatè, & voluntas ad amorem, aut odium: Alia insuper necessitas in potentia reperiri valet, quantum ad exercitium videlicèt, ut quando potentia non potest actum suspendere, vèl ab exercitio cessare.

Sed faciliùs præmittendum est, scilicèt intellectum ex assensu præmissarum necessitari quantum ad speciem ad assensum conclusionis; ita ut suppositio assensu præmissarum non possit intellectus dissentire conclusioni, quod probamus; quia intellectus, qui cognoscit præmissas esse veras, & rectè dispositas, cognoscit etiam evidenter conclusionem ex illis illatam esse necessariam, & veram; nam ex præmissis, & veris, & rectè dispositis non potest sequi evidenter conclusio, quæ vera, & necessaria non sit, eoquod ex vero non potest sequi nisi verum; sed intellectus circa verum necessitatur quoad speciem, ita ut illi assentiatur, si semèl eliceat actum, & illi dissentire non possit, sicut voluntas circa bonum propositum, ut tale. Si eliceat actum non potest non elicere amorem, & odium elicere nequit: ergo intellectus ex assensu præmissarum necessitatur quoad speciem ad assensum conclusionis, ita ut conclusioni dissentire non possit.

Dices: posito assensu præmissarum intellectum indifferentem manere ad inferendam conclusionem directam, vèl indirectam, nam utraque ex præmissis infertur: ergo ad assensum conclusionis determinatæ necessitatus non est.

Confirmatur: nam intellectus cognitis præmissis potest non cognoscere in præmissis conclusionem: ergo non potest assentire conclusioni. Prob. ant. cognitis præmissis potest negare conclusionem, & propterea ad probandam conclusionem, quam

quam aliquis negat in syllogismo perfecto, inventa est ars syllogistica reducendi bonitatem consequentiæ syllogismi perfecti ad universalia principia v. g. dicide omni, &c. & quę sunt eadem inter tio sunt eadem inter se: ergo cognitis præmissis, potest non cognoscere in præmissis conclusionem.

Respondetur ad argumentum negando antecedens. Quia sola conclusio directa per se primo, & immediatè ex præmissis infertur, & ideo intellectus necessitatur ex assensu præmissarum ad inferendam conclusionem prædictam, quamvis postea per liberam applicationem possit inferre conclusionem in directam.

Præterquamquod in præsenti non asserimus intellectum necessitari ad unam, vèl alteram conclusionem, sed solum necessitari ad assensum alicujus conclusionis, quæ inferatur evidenter ex præmissis.

Ad confirmationem: negatur antecedens, nec probatio oppositum persuadet, nam intellectus benè dispositus, & qui cognoscit conclusionem contineri in præmissis (de quo solum loquimur in præsenti) potest conclusionem ad extra pertinacitèr negare, sed apud se, & ad intra illam negare non potest, sed illi debet assentiri necessario.

Dices: Quia intellectus bene dispositus necessitatur quoad speciem ad prima principia, non indiget medio ad illa probanda, sed intellectus indiget medio ad probandam conclusionem, eamque probat per præmissas: ergo necessitatus non est ad assensum conclusionis.

Respond. prima principia esse lumine naturali nota, & statim cognosci explicatis terminis eorum, & propterea intellectum non indigere medio ad illa probanda; non tamen, quia ad ipsa necessitatus sit: conclusionem vero explicatis terminis non statim cognosci.

Præterquamquod intellectus non indiget medio ad principia probanda, quia ad illa necessitatur absolutè, sed ad conclusionem non necessitatur absolutè, sed solum supposito præmissarum assensu. Quo prælibato.

§. II.

Statuitur conclusio.

Intellectus ex assensu præmissarum necessitatur quantum ad exercitium ad assensum conclusionis.

CConclusionem istam expressit D. Thomas 1. 2. *quæst.* 17. *art.* 6. & 1 *p. quæst.* 82. *art.* 2. ubi asserit: quod intellectus ex necessitate assentitur cog-

nita connexione necessaria conclusionis,

Respondebis: D. Thom. loqui de necessitate quantum ad speciem actus, non tamen; de necessitate quad exercitium ad actum.

Sed D. Thom. loco citato comparat necessitarem intellectus in ordine ad conclusionem; cum necessitate, quam habet voluntas beati ad amorem beatificum; sed necessitas voluntatis beati ad amorem beatificum, est quantum ad exercitium: ergo ibi de necessitate quoad exercitium loquitur D. Thom.

Ratione vero probatur conclusio nostra: intellectus supposito præmissarum assensu non potest assensum conclusioni suspendere; sed in hoc necessitas quoad exercitium consistit; ergo necessitatur quantum ad exercitium ad assensum conclusionis. Probat. maj. Potentia naturalis debitè applicata ad objectum proportionatum, non potest exercitium suspendere circa ipsum, & ideo potentia visiva debitè applicata ad objectum non potest ipsum non videre, sed intellectus per assensum præmissarum debitè applicatur ad conclusionem formaliter cognoscendam, & aliunde est potentia naturalis: ergo non potest assensum conclusionis suspendere. Probat. min. Per assensum præmissarum cognoscit intellectus præmissas esse rectè dispositas, & evidenter conclusionem inferre: ergo per assensum prædictum debitæ applicatur ad conclusionem formaliter cognoscendam.

Confirmatur, & urgetur: Supposito assensu præmissarum cognoscit intellectus conclusionem aliter se habere non posse siquidem cognoscit esse necessario connexam cum præmissis, & ipsas præmissas non posse aliter se habere: ergo necessitatur ad eliciendum conclusionis assensum.

§. III.

Argumentis contra conclusionem occurritur.

COntra conclusionem nostram arguitur primo: quod supposito assensu præmissarum potest voluntas divertere intellectum ad alia objecta diversa ab objecto conclusionis: ergo potest intellectus non elicere conclusionis assensum.

Confirmatur: Intellectus quoad exercitium dependet à motione voluntatis; sed supposito præmissarum assensu potest voluntas non movere intellectum ad assensum conclusionis, eo quod motio prædicta est bonum particulare, & voluntas à bo-

bono particulari quoad exercitium necessitari non potest in doctrina D. Th. ergo supposito præmissarum assensu potest voluntas non movere intellectum ad assensum conclusionis.

Urgetur efficaciter ex dictis articulo præcedenti: nam ibi diximus: assensum præmissarum præstare intellectui virtutem ad assensum conclusionis, & se tenere ex parte actus primi in ordine ad conclusionis assensum; sed quod se tenet ex parte actus primi non necessitat potentiam: ergo.

Respondetur ad argumentum: voluntatem absolutè posse divertere intellectum ipsum non applicando ad assensum præmissarum, in hoc enim libera est: ex suppositione tamen, quod intellectum applicet ad assensum præmissarum, non posse illum divertere ab assensu conclusionis propter connexionem necessariam utriusque.

Ad confirmationem vero dicimus: voluntatem absolutè necessitari non posse à bono particulari, posse tamen necessitari ex suppositione libera sibi, qualitèr ipsa voluntas divina ex suppositione, quod producat materiam debet producere formam, & si semèl dat concursum prævium, debet dare simultaneum concursum; eodem ergo modo proportionabilitèr creata voluntas ex suppositione, quod moveat ad assensum præmissarum, debet etiam movere ad conclusionis assensum.

Ad illud autem, quo urgetur, & quidem efficaciter argumentum: respondetur distinguendo minor. ex parte actus primi per modum præcissè dantis virtutem, concedo min. per modum determinantis, & applicantis ad actum, nego min. & conseq. Quia assensus præmissarum non se tenet vnicè ex parte actus primi per modum dantis virtutem, sed etiam per modum applicantis, & quasi impellentis, vereque determinantis, & quod ita se habet, potest necessitare potentiam.

Et si dicas: quod juxta solutionem istam etiam si Physica prædeterminatio se haberet ex parte actus primi, non necessitaret ad actum cujus oppositum docent Thomistæ communitèr: ergo data solutio admittenda non est.

Respond. negando antec. quia Physica prædeterminatio est principium in auferibile per voluntatem creatam, & ideo si ex parte actus primi se haberet, necessitaret potentiam, & tolleret libertatem; assensus vero præmissarum est principium auferibile per voluntatem creatam, & propterea non necessitat absolutè, sed potius absolutè potest voluntas creata tollere ipsum, & quod sequitur ex illo, quapropter

ter solum ex suppositione necessitat, & ita, necessitate non obstat, quamvis ex parte principij se habeat.

Secundo arguitur: assensus præmissarum probabilium non necessitat intellectum ad assensum conclusionis: ergo etiam assensus præmissarum evidentium necessitare non debent, quia sicut præmissæ evidentes continent evidenter conclusionem evidentem, ita probabiles continent probabiliter.

Respondetur negando conseq. Quia in præmissis evidentibus, & cognitis evidenter, etiam evidenter apparet veritas conclusionis, & ideo ex assensu harum præmissarum necessitatur intellectus ad assensum conclusionis: in præmissis vero probabilibus non repræsentatur evidenter veritas conclusionis, nec connexio necessaria conclusionis, cum præmissis, sed sola connexio probabilis, & contingens, quæ potest ita non esse, & propterea ex assensu illarum non necessitatur intellectus.

Sed instabis: Veritatem conclusionis non repræsentari evidenter, & clarè, nisi quando repræsentatur formaliter, & expresse; sed in præmissis evidentibus, & cognitis evidenter non repræsentatur formaliter, & explicitè veritas conclusionis, sed solum virtualiter, & implicitè, eo quod conclusio solum implicitè continetur in præmissis: ergo in præmissis evidentibus, & cognitis evidenter non repræsentatur veritas conclusionis evidenter, & clarè.

Respondet. distinguendo maj. evidenter, & clarè immediatè, & in se ipsa, concedo maj. mediatè, & in alio, neg. maj. & sub eadem distinctione min. negat. conseq. Quia licèt veritas conclusionis solum repræsentetur evidenter, & clarè immediatè, & in se ipsa quando repræsentatur formaliter, & expressè, mediatè tamen, & in alio potest repræsentari evidenter, & clarè, quamvis non repræsentetur explicitè, & ita repræsentatur in præmissis evidentibus, & infallibiliter in illa connexis, quod satis est, ut ex assensu præmissarum habentium connexionem prædictam necessitetur intellectus cognita connexione, qualiter illam cognoscit, dum præmissas cognoscit evidenter, & illis ut evidenter inferentibus, evidenter assentitur.

Et si dicas: posse cognosci evidenter principium infallibiliter cum conclusione connexum, quin ipsa conclusio etiam mediatè, & in alio cognoscatur evidenter, nam in sententia probabili Thomistarum, potest quis habere evidentiam divinæ revelationis, quin habeat evidentiam veritatis revelatæ: ergo idem in præsenti.

Res-

Respond. Illud esse verum quando principium extrinsecum est, quia tale principium non ostendit evidenter connexionem intrinsecam prædicati cum subjecto, quæ infertur pro conclusione: sed talem conexionem relinquit obscuram, & credibilem per fidem, & propterea posse haberi evidentiam Divinæ revelationis, quin habeatur evidentia veritatis revelatæ, quatenus revelatio divina est medium putæ extrinsecum veritatis revelatæ; non tamen esse verum quando principium intrinsecum est, aut causa, vèl effectus conclusionis, tunc enim evidenter ostendit connexionem intrinsecam prædicati cum subjecto conclusionis, & de tali principio solum procedit nostra conclusio.

Tertio arguitur: Supposito assensu præmissarum, indiget intellectus habitu scientiæ ad assensum conclusionis: ergo non necessitatur ad illum, alias habitu non indigeret, sicut sensus externi non indigent habitu ad attingentia propria objecta, quia necessario feruntur ad illa.

Respondetur quod ex quo intellectus indigeat habitu ad assensum conclusionis solum infertur prædictum habitum esse in intellectu necessarium supposito præmissarum assensu: sed revera habitus scientiæ non requiritur post assensum præmissarum, sed potius ante præmissarum assensum, & ut intellectus per talem habitum possit cognoscere præmissas benè inferre conclusionem, & ipsam conclusionem tanquam veritatem mediatam, & illatam ex præmissis.

Etsi dicas habitum scientiæ non esse necessarium ad præmissas, quia præmissæ, vèl principia sunt veritates immediatæ, & ita pertinere non possunt ad scientiam, sed ad lumen principiorum.

Respond. veritates immediatas absolutè, & ut quod non pertinere ad scientiam, sed ad lumen principiorum; ut quo tamen, & quatenus inferentes veritates mediatas, non ad lumen principiorum, sed ad scientiam pertinere, quia ita consideratę sunt causę veritatis, & causam veritatis, vt causam cognoscere verè pertinet ad scientiam, quę rem per causam demonstrat.

QUÆST. II.

De Scientia, & in ea.

ARTIC. I.

Quid sit scientia, & qualitèr dividatur?

§. I.

Diffinitio scientiæ traditur.

SCientiam actualem Aristoteles in præsenti diffinivit dicens: *Scire est rem per*

causam cognoscere, & quoniam illius est causa, & quod aliter se habere non potest; quod idem est, ac dicere, quod scire est cognoscere conclusionem per principia, & principia esse causas conclusionis, & conclusionem ipsam aliter se habere non posse quia scientia est de incorruptibilibus, perpetuis, & necessarijs, quæ non possunt aliter se habere. Et in diffinitione prædicta nomine causæ intelligitur, tàm causa in essendo; quam illa, quæ solum est causa in cognoscendo ut scire à posteriori, & per effectum, & scire à priori comprehendat.

Scientiam habitualem diffinire possumus per esse *habitum facilitantem, & proximè inclinantem ad assensum scientificum*. Aut per causam efficientem dicendo: *est habitus certus, & evidens per demonstrationem adquisitus*. In qua diffinitione illa particula *habitus* ponitur loco generis, quia omnem habitum comprehendit.

Et si dicas: Bonam diffinitionem constare genere proximo, & genus proximum scientiæ non esse solum habitum, sed habitum intellectualem: ergo diffinitio tradita bona non est.

Respond. particulam prædictam intelligi de habitu intellectuali, qui est genus proximum, vèl secundo dicimus diffinitionem constantem genere remoto, esse bonam, quando ex positione prædicti generis nulla sequitur confusio, qualis in præsenti non sequitur.

Alia vero particula *certus* distinguit habitum scientiæ à fide humana, ab oppinione, & errore, quia certitudo est firma adhæsio intellectus ad rem, quam adhæsionem firmam non habet intellectus per fidem humanam, aut habitum opinionis, & erroris, eo quod fides humana nititur hominum testimonio, quod fallibile est, & habitus oppinativus inclinat ad probabilia, quæ possunt non esse vera, habitus autem erroris determinatè ad falsum inclinat, & per eandem etiam particulam excluditur suspitio, quæ est determinatio ad unam partem propter levia fundamenta. Et adjungi poterat dubitatio, quæ est cogitatio sine assensu, & solertia etiam, quæ est promptitudo quædam ad utendum medio probabili, & ad ipsum inveniendum.

Per aliam denique particulam *evidens* distinguitur à fide divina, quæ licèt sit infallibilis non tamen evidens, sed obscura est.

Et si dicas: Theologiam esse verè scientiam, & tamen non esse evidentem, quia nititur in principijs fidei, quæ quidem non cognoscit evidenter: ergo scientia non est habitus evidens.

Res-

Reſpondere poteramus: Tocologiam non eſſe obſcuram ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco, & ratione ſtatus, quatenus videlicèt reperitur in viatoribus, qui principia fidei non cognoſcunt evidenter: ab extrinſeco tamen, & exactivè eſſe evidentem, eo quod ab intrinſeco petit principia fidei videre viſione clara habita per lumen gloriæ, cui per ſe lumen gloriæ ſubordinatur.

Secundo reſpondetur in diffinitione ſupra dicta tantum diffiniri ſcientiam naturalem: non vero ſcientiam ſupernaturalem entitativè, vèl connexivè, qualis debet eſſe Theologia, eo quod Ariſtoteles ſupernaturalia non cognovit.

Dices: non eſt aſſignabilis ratio quare ſcientiæ naturales debeant eſſe evidentes: ergo non omni ſcientiæ etiam naturali debet evidentia convenire.

Reſpondetur rationem eſſe, quia ſcientiæ naturales non poſſunt cognoſcere concluſionem aliter ſe habere non poſſe, niſi habeant evidentiam principiorum, eo quod ſi principia non cognoſcunt evidenter, ſolum ea cognoſcunt, vèl per medium fidei humanæ, vèl aliud medium probabile, & conſequenter non cognoſcunt ea certo, & infallibiliter, proindeque non certo cognoſcunt concluſionem aliter ſe habere non poſſe, cumque hæc certitudo requiratur ad ſcientiam conſequens ſit, quod ad ſcientiam naturalem etiam evidentia requiratur.

Per ultimam denique particulam, diſtinguitur ſcientia à prudentia, & arte, quæ ſunt de ſingularibus, quæ non poſſunt demonſtrari, proindeque prudentia, & ars per demonſtrationem non adquiruntur. Undè *ars eſt recta ratio factibilium*, & prudentia *eſt recta ratio agibilium*: per eandem etiam diſtinguitur à lumine principiorum, nam habitus principiorum, eſt proprietas, aut quaſi proprietas conſequens rationalem naturam, dependens tamen ab extrinſeco videlicèt ab abſtractione ſpecierum, & cognitione terminorum, quibus poſitis reſultat prædictus habitus, & in aliorum ſententia eſt ipſa potentia naturalis, quæ actuata ſpeciebus, & notitia terminorum lumen principiorum appellatur.

Diſtinguitur etiam per particulam iſtam à ſcientia Dei, & Angelorum, in quibus unus actus non eſt alterius cauſa, nec ſcientia per demonſtrationem adquiritur, ſed eam habent Angeli à principio conditionis.

§. II.

Scientiæ divisio.

SCientia vero habitualis in subalternantem, & subalternatam dividitur quantum ad præsens attinet, subalternans ea est, quæ habet existentiam principiorum. Subalternata autem est illa, quæ accipit a superiori scientia principia quantum ad certitudinem, & illorum evidentiam, ipsa namque solum evidenter probantur in scientia subalternante. Et propterea scientia prædicta dicitur subalternata ideſt subaltera contenta, aut nata.

Ad subalternationem vero tres conditiones requiruntur, prima est, quod objectum utriusque scientiæ sit distinctum formaliter, aliàs non erit duplex, sed unica scientia.

Secunda conditio est, quod objectum scientiæ subalternatæ superaddat differentiam accidentalem ad objectum subalternantis, ratione cujus radicet speciales proprietates demonstrabiles in scientia subalternata, sicut numerus sonorus superaddit rationem sonori ad numerum, qui est objectum arismeticæ, & propterea musica arismeticæ subalternatur, & è contra scientia de ente naturali particulari, v. g. de Cœlo non subalternatur scientiæ, quæ agit de ente naturali in communi, quia differentia, quam Cœlum superaddit non est extranea, & accidentalis, sed extranea, & essentialis, & eadem ratione nulla scientia subalternatur Metaphisicæ, quia ejus objecto, videlicèt enti, nihil extraneum, & accidentale advenire potest.

Tertia conditio est, quod principia scientiæ subalternatæ non possint evidenter ab illa cognosci, sed solum à scientia subalternante, in qua evidenter probantur.

ARTIC. II.

Vtrùm scientia subalternata in absentia subalternantis sit verè scientia?

§. I.

Quibusdam prælibatis statuitur conclusio.

AD articuli præsentis intelligentiam brevitèr premittendum est, non posse aliquam conclusionem evidenter cognosci per scientiam naturalem, absque evidente cognitione principiorum, nam intellectus cognoscere nequit conclusionem aliter se habere non posse, nisi principia non posse aliter se habere cognoscat, eo quod

quod verè cognoscat, eo quod propter principia assentitur conclusioni.

Secundo notandum est, principia scientiæ subalternatæ esse conclusiones demonstratas in scientia subalternante, & propterea scientiam subalternatam in absentia subalternantis non posse habere evidentiam principiorum.

Tertio præmittendum est, quod si scientia subalternata conjuncta sit cum essentia subalternante, ipsa subalternata erit verè scientia, undè difficultas solum est, an in eo qui caret scientia subalternante, scientia subalternata sit verè scientia quantum ad substantiam, & speciem, quamvis non habeat statum, & accidentalem perfectionem, quæ quidem esse non valet absque cognitione evidenti principiorum, in qua parte affirmant plures Thomistæ, & alij plurimi negant, cum quibus.

§. II.

Conclusio nostra etiam negativa est.

SEntentiam nostram habet Angelic. Doct. pluribus in locis, de quibus alij Thomistæ, sed præcipuè *quæst.* 14. de Veritate *artic.* 9. In quo asserit expresse ad rationem essentialem scientiæ necessario requiri, quod procedat ex principijs per se notis, sicut contingit in scientijs superioribus, vèl ex principijs notis ipsi cognoscenti per aliam demonstrationem, sicut quando conclusio deducitur ex propositionibus demonstratis; sed scientia subalternata in absentia subalternantis non procedit ex principijs per se notis, ut patet, nec etiam notis cognoscenti per aliam demonstrationem, cum supponatur illum non habere scientiam subalternantem, in qua demonstrantur principia subalternatæ: ergo scientia subalternata in absentia subalternantis, etiam quantum ad substantiam, verè scientia non est.

Ratione tamen efficaci conclusio nostra probatur: quia ad scientiam necessario requiritur certitudo Metaphisica principiorum; sed certitudo principiorum scientiæ subalternatæ in absentia subalternantis, non Metaphisica, sed moralis est, siquidem in humano testimonio fundatur, quod solum potest esse certum; & infallibile moraliter: ergo scientia subalternata in absentia subalternantis vera scientia non est, etiam quantum ad substantiam. Probatur maj. ad scientiam necessario requiritur major certitudo principiorum, quam sit certitudo conclusionis, quia præmissæ sunt certiores conclusione iuxta illud: *Prop-*

tèr

ter quo id unumquodque tale, & illud magis; sed certitudo conclusionis in quacumque scientia, est Metaphisica certitudo: ergo ad scientiam requiritur etiam certitudo Metaphisica principiorum, alias conclusio erit certior, quam præmissæ.

Respondebis: certitudinem moralem principiorum scientiæ subalternatæ formaliter esse minorem certitudine conclusionis; æquivalenter tamen esse majorem, quod ex dicendis infra constrabit.

Sed contra est, quia certitudo fallibilis æquivalere non potest infallibili certitudini, quæ deficere non potest; sed certitudo moralis est ab intrinseco defectibilis, & potest admittere falsum consequenterque fallibilis est, certitudo vero Metaphisica est infallibilis, & deficere non potest: ergo certitudo moralis principiorum nedum excedere, verum nec adæquare potest certitudinem Methaphisicam conclusionis.

Secundo reijcitur: nam quando motivum certitudinis alteri non æquivalet, certitudo etiam in ipso fundata non potest æquivalere certitudini fundatæ in superiori motivo; sed motivum certitudinis moralis æquivalere non potest motivo certitudinis Metaphisicæ: ergo nec ipsa certitudo poterit Metaphisicæ certitudini æquivalere. Prob. min. Motivum certitudinis moralis potest absolute subinduere falsum, motivum vero Metaphisicæ certitudinis non potest falsum subinduere, etiam de potentia absoluta: ergo motivum certitudinis moralis æquivalere non potest motivo Metaphisicæ certitudinis, sed semper ad ipsum debet inferiùs manere.

Tertio reijcitur: æquivalere idem est, ac æqualiter valere; sed certitudo tantum moralis æqualiter valere non potest cum certitudine Metaphisica, siquidem certitudo tantum moralis potest non valere saltim de potentia absoluta, cujus oppositum certitudo Metaphisica habet: ergo.

Quarto reijcitur: Certitudo essentialiter fallibilis, nequit adæquatè certitudinem infallibilem essentialiter, nisi etiam prædicta certitudo fallibilis fiat essentialiter infallibilis; nam dum manet essentialiter fallibilis, necessario manet inferior, nequit autem fieri essentialiter infallibilis, aliàs transiret ad alteram essentialem differentiam, & ad alteram speciem; sed certitudo moralis essentialiter fallibilis est, Metaphisica vero certitudo essentialiter infallilibilis: ergo nunquam potest prima certitudo hanc secundam adæquare, nec unquam æquivalere.

Secundo probatur conclusio nostra, ratione: nam ad scien-

ſcientiam neceſſaria eſt certitudo principiorum, ita firma, ut omnem formidinem, & hæſitationem excludat, quia ſi hæc certitudo deficiat, aſſenſus concluſionis erit opinionis, & non ſcientiæ, ſed certitudo principiorum ſcientiæ ſubalternatæ in abſentia ſubalternantis non omnem formidinem, & hæſitationem excludit: ergo ſcientia ſubalternata in abſentia ſubalternantis vera ſcientia eſſe non poteſt. Probatur min. principia ſcientiæ ſubalternatæ, in abſentia ſubalternantis, ſolum cognoſcuntur per fidem humanam, & propter teſtimonium plurimorum ſapientium aſſerentium talia principia eſſe vere demonſtrata in ſcientia ſubalternante; ſed fides humana non omnem formidinem, & hæſitationem excludit cum ſit fallibilis juxta illud omnis homo mendax: ergo certitudo principiorum ſcientiæ ſubalternatæ in abſentia ſubalternantis non omnem formidinem, & hæſitationem excludit.

Reſpondent contrarij: certitudinem principiorum habitam in abſentia ſcientiæ ſubalternantis, non inniti in teſtimonio particulari hujus, vèl alterius hominis; ſed in univerſali teſtimonio Sapientium in ſcientia ſubalternante, & unanimitèr aſſerentium principia ſcientiæ ſubalternatæ eſſe verè demonſtrata, & certitudo in talli teſtimonio fundata excludit omnem formidinem, quia impoſsibile eſt omnes illos homines doctos poſſe fallere, aut falli.

Hæc tamen ſolutio vera eſſe non poteſt, quia ut certitudo principiorum omnem formidinem, & hæſitationem excludat, neceſſarium eſt, quod principia, vèl immediatè in ſe ipſis, vèl mediatè in cauſa aliqua, vèl in aliquo effectu videantur; propter quod plurimarum veritatum infallibilium, quas nec in ſe nec in alio videmus, non habemus certitudinem excludentem omnem formidinem; ſed intellectus in abſentia ſcientiæ ſubalternantis non videt principia ſubalternata in ſe ipſis, cum non ſint per ſe nota, nec in aliquo alio, eo quod talia principia ſolum probantur per aliud in ſcientia ſubalternante: ergo certitudo talium principiorum non poterit in abſentia ſcientiæ ſubalternantis excludere omnem formidinem, & omnem hæſitationem.

Secundo impugnatur tradita ſolutio: nam certitudo in teſtimonio uniformi omnium illorum Doctorum fundata, non eſt major, quam certitudo moralis; ſed certitudo moralis ad veram ſcientiam non ſufficit, ut antecedenter vidimus: ergo certitudo ſupradic-

ta principiorum insufficiens est, ut scientia subalterna in absentia subalternantis sit vera scientia.

Tertio reijcitur: quia testimonium omnium illorum est ab intrinseco defectibile, quando quidem est testimonium humanum: ergo nequit in illo fundari certitudo, quæ omnem formidinem, & hæcceitatem excludat.

Respondebis testimonium illud esse defectibile quatenus procedit ab illis, ut homines sunt, esse tamen indefectibile, quatenus ab illis, ut doctis, & scientia, & virtute prædictis, procedit.

Sed contra: quia non est dabile principium: unde cognoscamus illos homines nobis loqui veritatem, quam scientificè cognoscant, nec unde probemus illos esse verè scientificos: ergo testimonium omnium illorum comparativè ad evidentem semper defectibile est.

Et si dicas: intellectum hoc posse cognoscere, quia omnes illud affirmant.

In contra est: quia etiam testimonium, quod id affirmat est humanum, & defectibile Metaphisicè loquendo: ergo non omnem formidinem, & hæcceitatem excludit.

Secundo: quia possunt omnes homines prædicti reputari scientifici, & ut tales in mundo haberi; & tamen non habere veram scientiam, quod Metaphisicè impossibile non est: ergo non est dabile principium ad cognoscendum illos homines ut verè scientificos nobis loqui.

§. III.

Argumentis contra conclusionem occurritur.

ARguitur primo contra conclusionem nostram ex D. Thoma 1. *part. quæst. 2. artic. 2.* asserente: *Quod sicut musica credit principia traddita sibi ab Arismethica, ita doctrina sacra credit principia revelata sibi à Deo*; quia doctrina probat ibi Theologiam esse vere scientiam in absentia scientiæ beatæ: ergo sentit Div. Thomas scientiam subalternatam etiam naturalem esse vere scientiam in absentia subalternantis, alias non probaret Theologiam esse verè scientiam per hoc, quod credit principia à Deo revelata, sicut musica credit principia, quæ ab Arismethica traduntur, si semèl musica, quamvis talia principia credat, vera scientia non est.

Respondetur ad argumentum explicando antecedens, ly *sicut* parificante in ratione communi credendi, concedo antec. in

in ratione particulari, & quantum ad modum credendi, nego antecedens, & conseq. quia Div. Thomas solum intendit Theologiam convenire cum musica, & quacumque alia scientia subalternata naturali in ratione communi credendi principia, ex quibus proprias inferat conclusiones, non tamen convenire in modo credendi, aut in ratione particulari, quia scientia subalternata naturalis solum credit principia per fidem humanam, quæ ab intrinseco fallibilis est, & potest aliter se habere; & propterea ex principijs, ita creditis non potest inferre scientificas conclusiones, & quæ aliter se habere non possunt: Theologia vero propria principia credit per fidem divinam, quæ Metaphisicè, & totaliter infallibili est, & ideo ex principijs, ita creditis bene potest inferre conclusiones scientificas, & infallibilis Metaphisicè, & quæ non possint aliter se habere, quam solutionem esse mentem Divi Thomæ textum legenti constabit.

Secundo respondetur Div. Thomam in loco citato loqui de scientia subalternata accepta secundum se, & idem est, ac si diceret, quod sicut non obstante, quod musica secundum se, aut secundum proprium conceptum considerata accipiat principia ab Arismetica, est vere scientia; ita etiam Theologia secundum se erit verè scientia quamvis principia credat, aut accipiat illa à scientia clara beatorum, ut scientia subalternante: ex quo solum concluditur scientiam subalternatam secundum se quoad substantiam esse verè scientiam quamvis accipiat principia, quod quidem est de illius essentia, non tamen scientiam verè semper, & in omni eventu, & quando sola invenitur in absentia subalternantis.

Dices primo: ex prædicta solatione inferri Theologiam secundum se sumptam esse verè scientiam, non tamen prout in nobis; sed D. Th. probat ibi illam etiam prout in nobis esse verè scientiam: ergo solutio admittenda non est.

Dices secundo: Div. Thomas loquitur de eo, qui credit principia; sed solum credit principia, qui scientiam subalternantem non habet, nam qui illa habet non credit principia, sed ea evidenter cognoscit: ergo loquitur de scientia subalternata in absentia subalternantis.

Respondet. ad primam negando maj quia quamvis D. Th. loquatur de scientia subalternata secundum se, & ideo per consequentiam immediatam tam-

tantum probet Theologiam secundum se esse verè scientiam; per consequentiam tamen mediatam probat etiam esse verè scientiam prout in nobis viatoribus reperitur. Nam semèl probato secundum se esse verè scientiam, non est undè possit impediri quare in nobis vera scientia non sit; nam principia propria credit per fidem divinam totaliter infallibilem; & ideo ratione fidei, qua credit non impeditur, ut ex principijs inferat infallibiles conclusiones, quæ non possint aliter se habere.

Ad secundam instantiam disting. maj. credulitate latè accepta, concedo maj. rigurosè sumpta, nego maj & sub eadem distinctione, nego min. & conseq. Quia Div. Thomas loquitur de eo, qui credit credulitate latè sumpta pro eodem, quod est accipere ab alio principia, quod quidem est de essentia scientiæ subalternatè: sicut 6. *Ethic. lect.* 3. asserit, quod principia per aliquem modum esse credita requiritur ad scientiam, ubi loquitur de scientia abstrahente à quacumque scientia particulari, & propterea verba prædicta non possunt intelligi de rigurosa credulitate.

Secundo poterat argui contra nostram conclusionem, quod sine scientia subalternante possunt principia subalternatæ cognosci, vèl per demonstrationem à posteriori, aut per experientiam ipsam, sicut experientia cognoscimus hoc principium perspectivæ *corpora à longè visa apparent minora*, consequenterque sine scientia subalternante potest haberi certitudo principiorum in scientia subalternata: ergo absente subalternante, potest subalternata esse verè scientia.

Respondetur: Conclusionem nostram solum affirmare scientiam subalternatam, non habere substantiam, & essentiam scientiæ in absentia subalternantis, per hoc quod principia alterius credat per fidem humanam, & testimonium plurimorum unanimitèr asserentium alia principia esse vere demonstrata in scientia subalternante, nam in tali eventu solum datur moralis certitudo principiorum, quæ potest subinduere falsum; non tamen negare scientiam subalternatam esse vere scientiam, quando principia per experientiam, aut à posteriori cognoscit evidenter; nam certitudo hæc, vèl cognitio, ipsi scientiæ subalternanti æquivalet.

Tertio poterat argui: quod sicut scientiæ pendent à principijs, ita virtutes pendent ab ultimo fine; nam sicut finis se habet in practicis, ita principia se habent in speculativis; sed virtu-

tutes reperiri possunt in non habente verum ultimum finem, ut constat in peccatore, & in infidelibus, in quibus non est verus ultimus finis, & tamen dantur naturales virtutes: ergo potest etiam dari scientia sine cognitione evidenti.

Sed hoc argumentum, si probat, convincit etiam dari posse scientiam sine principijs, sicut virtutes dantur sine ultimo fine virtutis, quod tamen non potest argumentum intendere; & ideo.

Respondetur ad argumentum, disting. maj. ab ultimo fine virtualiter attacto, concedo maj. ab ultimo expresse cognito, & attacto formaliter, nego maj. & disting. min. formaliter, conc. min. virtualiter, nego min. quia non requiritur ad virtutem formaliter attingere finem, quod solum habetur per relationem claritatis, & hæc solum reperitur in fidelibus, & justis. Unde solum dependent virtutes ab ultimo fine virtualiter attacto, quod quidem semper cum virtute invenitur, eo quod actus virtutis respicit semper objectum bonum, & cum hoc virtualiter ordinetur ad ultimum finem, semper virtus habet ultimum finem virtualiter attractum.

Quarto poterat argui: quod ille, qui evidenter cognoscit se aliquando demonstrasse principia scientiæ subalternatæ, & modo oblitus est medij, per quod illa demonstravit, potest ex prædictis principijs inferre conclusiones scientificas, siquidem evidenter cognoscit, talia principia esse vera, & aliter se habere non posse: ergo etiam ille, qui caret scientia subalternante poterit scientificè cognoscere, & evidenter, inferre conclusiones in scientia subalternata.

Poterat responderi hominem semel oblitum medij demonstrationis non habere cognitionem scientificam conclusionis, eo quod nescit resolvere illam usque ad prima principia; quæ resolutio ad scientiam necessaria est, & hæc doctrina valdè probabilis est via Sanctissimi Præcept.

Cæterum non gravamur in hoc, sed omisso antec. negamus conseq. quia ille de quo argumentum procedit, evidenter recordatur se demonstrasse talia principia scientiæ subalternatæ, & evidenter cognoscit talia principia esse vera, & non posse aliter se habere, & ideo ex illis, ita cognitis potest evidenter deducere conclusiones scientificas, & quæ non possint aliter se habere: ille vero qui scientiam subalternantem non habet solum habet de principijs certitudinem moralem, quæ potest aliter se habere, & ideo dispar est ratio.

Quinto arguitur: Scientiæ naturales subalternantur Me-

taphiſicæ, ſiquidem ab alia accipiunt ſua principia; & tamem ſine illa, adquiruntur verè quantum ad ſubſtantiam: ergo ſcientia ſubalternata, abſente ſubalternante, eſt vere ſcientia.

Reſpondetur negand. maj. Quia ſcientiæ naturales ſolum accipiunt à Metaphiſica principia remota, videlicèt, quodlibet eſt, vèl non eſt, & alia principia entis, non tamen principia proxima, & propria cujuſcumque ſcientiæ, & propterea illi non ſubalternantur.

Et ſi dicas: Metaphiſicam demonſtrare principia proxima, & propria cujuſcumque ſcientiæ, & ea inferre pro concluſione: ergo omnes aliæ ſcientiæ accipiunt à Metaphiſica principia propria, & illi ſubalternantur.

Reſpondetur: Metaphiſicam non demonſtrare à priori principia proxima aliarum ſcientiarum per cauſam illorum propriam, ſed tantum ea probare quaſi à poſteriori illa explicando, & reddúcendo ad impoſsibile ex quibus primum erat neceſſarium, ut aliæ ſcientiæ illi ſubalternarentur.

Sexto arguitur: poteſt quis aſſentire concluſioni ſcientiæ ſubalternatæ ſine habitu talis ſcientiæ, ut conſtat in prima demonſtratione, in qua ſine habitu aſſentitur concluſioni, eo quod habitus per illum aſſenſum producitur: ergo poterit etiam quis aſſentire concluſioni ſcientiæ ſubalternatæ abſque habitu ſubalternantis, patet conſeq. quia aſſenſus concluſionis ſcientiæ ſubalternatæ, majorem dependentiam habet ab habitu proprio ſcientiæ, cujus attingit rationem formalem ſpecificativam, quam ab habitu ſcientiæ ſubalternantis, cujus rationem formalem non attingit.

Sed negatur conſeq. Quia primus aſſenſus ſcientiæ ſubalternatæ eſt cauſa ipſius habitus, & ita non dependet ab habitu præcedente, ſed potius habitus dependet ab aſſenſu prædicto: eſt tamen prædictus aſſenſus effectus ipſius habitus ſcientiæ ſubalternantis, & propterea ab habitu ſubalternantis neceſſario dependet.

Sed inſtabis: habitus ſcientiæ ſubalternantis non cauſat primum aſſenſum in ſcientia ſubalternata: ergo ſolutio tradita nulla eſt. Probatur antecedens: habitus ſcientiæ ſubalternantis non attingit rationem formalem ſcientiæ ſubalternatæ: ergo non cauſat primum aſſenſum in ſcientia ſubalternata, ſicut habitus Phyſicæ non cauſat habitum Theologiæ, aut Metaphiſicæ, quia rationem formalem illius non attingit.

Reſp. diſting. ant. non cauſat immediatè, concedo ant. mediatè, neg. ant. Quia habitus ſcientiæ ſub-

ſubalternantis cauſat primum aſſenſum in ſcientia ſubalternata probando evidenter principia ſubalternatę, & ad primum aſſenſum in ſcientia ſubalternata, talis probatio neceſſaria eſt, nam ut aſſenſus in ſcientia ſubalternata ſit evidens præhaberi debet cognitio evidens principiorum, quæ ſolum habetur per habitum ſubalternantis, ad eum modum, quo habitus ſcientiæ pendet ab habitu luminis principiorum, quatenus pendet à principijs per ſe notis, quæ per lumen principiorum evidenter attinguntur.

Septimo arguitur: Scientia ſubalternata æqualitèr dependet à Logica, & a ſcientia ſubalternante, nan æqualitèr dependet à bonitate conſequentiæ, quæ per Logicam cognoſcitur, ſicut à principijs, quæ cognoſcuntur per ſcientiam. Subalternantem; ſed ſcientia ſubalternata poteſt haberi ſine Logica, ſicut, & quælibet alia ſcientia: ergo etiam haberi poteſt ſine ſcientia ſubalternante.

Confirmatur, & urgetur: Ad ſcientiam neceſſaria non eſt actualis evidentia, ſed ſufficit evidentia radicalis, vèl exigentia evidentiæ; ſed ſcientia ſubalternata exigit evidentiam principiorum, ſiquidem petit conjungi cum ſcientia ſubalternante, eo quod procedit ex principijs in illa manifeſtatis: ergo vera ſcientia eſt abſente ſubalternante.

Reſpondetur ad argumentum, neg. mai. quia licet ſcientia ſubalternata cilencialitèr dependeat à bonitate conſequentiæ, predicta tamen bonitas poteſt ſine Logica cognoſci ſolo lumine naturali, eo quod bonitas conſequentiæ eſt de eſſentia conſequentiæ: principia vero ſcientię ſubalternatę non poſſunt evidenter ſine ſubalternante cognoſci, aut altera cognitione illi æquivalente, ut antecedenter diximus.

Etſi dicas: Bonitatem conſeq. eſſe demonſtrabilem in Logica, ſicut principia ſubalternatæ demonſtrantur in ſcientia ſubalternante: ergo ſi poteſt bonitas ſine Logica cognoſci modo ſufficienti ad ſcientiam poterunt etiam principia ſubalternatæ ſine ſubalternante cognoſci modo ſufficienti ad ſcientiam ſubalternatam.

Reſpondetur diſtiguendo antec. ſignatè, & ut quod, concedo ant. exercitè, nego antec. quia bonitas conſeq. ſignatè, & formalitèr ut quod eſt demonſtrabilis per Logicam, omiſſo quod ſit paſsio conſequentiæ, & ideo prout ſic ſine Logica cognoſci non poteſt; exercitè tamen, aut virtualitèr poteſt benè ſine Logica cognoſci, nam eo ipſo quod lumen naturale videat principia continere aliquā ſaltim immediatam concluſionē, virtualitèr etiam, & exercitè cognoſcit

conclusionem benè inferri, & consequentiam esse bonam, quod ad scientiam sufficit: principia vero ad assensum conclusionis debent cognosci signatè, quia discursus importat successionem actuum, quorum unus est causa alterius, & terminatur ad principia, vèl ad causam signatè, alter vero terminatur ad conclusionem, & principia scientiæ subalternatæ non possunt evidenter cognosci sine scientia subalternante signatè, ut quod, siquidem prout sic in subalternante probantur.

Ad confirmationem vero argumenti principalis omissa maiori, disting. min. Scientia subalternata accepta secundum se, conced. min. absente subalternante, neg. min. & conseq. quia absente subalternante procedit tantum ex principijs cognitis per fidem humanam, & ideo est habitus opinativus, consequentèrque etiam radicalitèr, & exactivè evidentiam non habet, habitus quippè opinativus, nec radicalitèr potest habere evidentiam in quo distinguitur etiam scientia subalternata naturalis à Theologia, quæ propria principia accipit per fidem divinam totaliter infallibilem, & propterea non est habitus opinativus, sed radicalitèr exigit evidentiam.

Etsi dicas: Cognitionem prædictam non esse opinativam, quia opinio terminatur ad veritatem contingentem, & conclusiones illæ sunt necessariæ alias non possent demonstrari per scientiam subalternantem.

Respondetur: illas conclusiones esse necessarias secundum se, & demonstrabiles, sed ut inferuntur ex principij certis moraliter, sunt contingentes, & possunt aliter se habere.

Secundo respondetur ad confirmationem, neg. maior. si sermo fiat de scientia naturali ad quam necessario requiritur actualis evidentia, eo quod intellectus non potest certo, & infallibiliter in naturalibus cognoscere veritatem, nisi illam videat in se, aut in aliqua causa, vèl in aliquo effectu viso, quod est evidenter actualiter cognoscere veritatem.

Etsi dicas: Habitum scientiæ naturalis per exigentiam evidentiæ ab habitu opinativo, & omnibus alijs distingui: ergo ad scientiam naturalem, sufficit radicalis evidentia.

Respondetur distinguendo antecedens, & modo repugnanti concedimus, modo debito negamus, nam si scientia naturalis careret evidentia actuali, & solum haberet radicalem evidentiam, esset, & non esset scientia, & modo impossibili solum distingueretur ab habitu opinativo, & omnibus alijs, vèl incompletè, & initiativè distingueretur, sed non perfectè, & completè, quod ar-

gu-

gumentum contrarij ſolverè debent, nam etiam per exigentiam certitudinis diſtingueretur ſcientia naturalis ab habitu opinativo, & animal per exigentiam rationalitatis differret ab omni alio, ſicut notitia intuitiva per exigentiam præſentiæ ab abſtractiva differret: & tamen non datur animal ſine rationalitate actuali, aut oppoſita differentia, nec ſcientia ſalvatur abſque actuali certitudine, nec notitia intuitiva ſine actuali præſentia.

Tandem arguitur: Seclusa ſcientia ſubalternante datur certitudo principiorum ſcientiæ ſubalternatæ, quæ omnem formidinem, & hęſitationem excludit: ergò ſcientia ſubalternata abſente ſubalternante eſt vere ſcientia. Prob. ant. Certitudo qua omnes, vèl ferè omnes docti in ſcientia ſubalternante affirmant principia ſubalternatæ eſſe vere demonſtrata, eſt certitudo moralis, quæ omnem formidinem, & hæſitationem excludit, ſiquidem ſcientia moralis dictat omnes illos homines non poſſe fallere, nec falli, ſed prædicta certitudo reperitur ſine ſcientia ſubalternante: ergo abſente ſcientia ſubalternante datur certitudo principiorum, quæ omnem formidinem, dubitationem, & hæſitationem, excludit.

Reſp. neg. antec. & ad probationem negatur maior, quia certitudo moralis, eſt falibis Metaphiſicè, & ideò Metaphiſicè non excludit omnem formidinem, quod neceſſario ad veram ſcientiam requiritur, nam concluſio ſcientifica etiam Metaphiſice aliter ſe habere non poteſt, cujus oppoſitum contingeret, ſi certitudo principiorum Metaphiſice poſſet deficere: & quamvis ſcientia moralis dicter omnes illos homines doctos non poſſe fallere, aut falli moralitèr quod ſemper eſt verum, ſicut ſemper verum eſt in omni verè eſſe tonitrua regulariter, non tamen dictat ſcientia moralis non poſſe omnes illos homines fallere, aut falli Metaphiſicè loquendo, & hoc erat neceſſarium, ut in vi teſtimonij eorum haberetur certitudo principiorum, quæ ad ſcientiam ſufficere.

Inſtantia argumenti adeſt in uno, & altero Sacerdote de quibus moralitèr certum eſt eſſe ritè ordinatos, & in uno, & altero homine, de quibus moralitèr certum eſt eſſe baptizatos: & tamen certitudo iſta moralis Metaphiſicè loquendo non excludit omnem formidinem, nec ad ſcientiam generandam ſufficit.

Sed inſtabis primo: quia certitudo moralis principiorum omne formidinem, & hæſitationem excludit: ergò nulla eſt data ſolutio: probatur antec. de hac propoſitione, Roma eſt, tantum habetur certitudo moralis: & tamen

men certitudo ista omnem dubitationem, & formidinem excludit; quia nullus dubitat an Roma sit: ergo etiam certitudo moralis principiorum omnem formidinem, & hæsitationem excludit.

Secundo instabis: quia certitudo moralis principiorum sufficit ad conclusionem scientificè cognoscendam: ergò sola certitudine morali principiorum possumus scientiam veram conclusionis habere. Probat. ant. Nam ideò Theologi 1. *part quæst.* 12. *artic.* 1. probant possibilem esse visionem beatam, quia omnes homines saltim inefficacitèr appetunt illam, & est impossibile moralitèr talem appetitum in omni homine frustari: ergo certitudo moralis principiorum sufficit ad conclusionem scientifice cognoscendam.

Respondetur ad primam, negando antec. & ad probationem, negatur min. quia licèt certitudo moralis de hæc propositione, Roma est, excludat moralitèr omnem formidinem, Metaphisicè tamen omnem formidinem non excludit, sed alitèr se habere potest, & Romam esse potest Metaphisicè alitèr se habere.

Ad secundam instantiam, neg. ant. & ad probationem dicimus rationem illam Theologorum esse tantum congruentiam probabilem, non tamen rationem demonstrativam, & ideo ex replica non infertur certitudinem moralem principiorum sufficere ad conclusionem scientificè cognoscendam.

FINIS.

IN-

INDEX

QUÆSTIONUM, ET ARTICULORUM, quæ in opere continentur.

LIBER I.

QUÆSTIO I.

Proœmialis.

ARticulus 1. Utrùm in homine detur appetitus naturalis ad Logicam? Pagin. 3.

Art. 2. Utrùm Logica ſit ad alias ſcientias ſimpliciter neceſſaria? Pag. 23.

QUÆSTIO II.

Proœmialis.

De natura Logicæ, & ejus quidditate.

Art. 1. Utrùm Logica ſit ſimpliciter ſcientia? Pag. 54.

Art. 2. Utrùm Logica ſit ſimpliciter ſpeculativa, vèl practica? Pag. 61.

Art. 3. Utrùm habitus Logicæ docentis, & utentis realiter diſtinguantur? Pag. 76.

Art. 4. Ad idem. Pag. 90.

Art. 5. Utrùm Logica ſit una ſcientia ſpecie? Pag. 104.

Art. 6. Utrùm Logica ſit ſimplex qualitas? Pag. 110.

Art. 7. Utrùm objectum Logicæ ſit ens rationis? Pag. 135.

LIBER II.

QUÆSTIO I.

De ente rationis.

Art. 1. An dentur entia rationis? Pag. 165.

Art. 2. Utrùm ens rationis dividatur adæquatè in negationem, privationem, & relationem? Pag. 178.

Art. 3. Utrùm ens rationis in denominatione extrinſeca conſiſtat? Pag. 187.

Art. 4. Utrùm ens rationis conſiſtat in aggregato ex rebus realibus, & cognitione intellectus? Pag. 192.

Art.

Art. 5. Utrùm ens rationis consistat in aliquo ficto realitèr impossibili, & ab omni possibili, condistincto? Pag. 203.

Art. 6. Utrùm ens rationis possit existere existentia fundamenti? Pag. 214.

QUÆSTIO II.

De causa efficientis entis rationis.

Art. 1. Utrùm solus intellectus possit facere entia rationis? Pag. 224.

Art. 2. Utrùm intellectus divinus possit facere entia rationis? Pag. 236.

LIBER III.

QUÆSTIO I.

De universali.

Art. 1. Utrum universalia dentur in rebus? Pag. 261.

Art. 2. Utrùm à parte rei detur unitas formalis, minor unitate numerica? Pag. 277.

Art. 3. Utrùm detur distinctio realis formalis, aut ex natura rei inter gradus Metaphisicos? Pag. 222.

Art. 4. Utrùm inter prædicata supra dicta detur præcisio objectiva? Pag. 312.

Art. 5. Utrùm à parte rei detur natura universalis formalitèr? Pag. 337.

QUÆSTIO II.

De causa Universalis.

Art. unicus. Per quam actionem intellectus fiat universale formalitèr? Pag. 357.

LIBER IV.

QUÆSTIO I.

De Prædicabilibus.

Art. 1. Utrùm universale dividatur adæquatè in quinque prædicabilia? Pag. 377.

Art. 2. Utrùm universale sit genus ad quinque prædicabilia? Pag. 385.

QUÆSTIO II.

De Genere primo prædicabili.

Art. 1. Utrùm diffinitio generis bona sit? Pag. 392.

Art. 2. Quod sit diffinitum in diffinitione generis? Pag. 397.

QUÆSTIO III.

De Specie.

Art. 1. Utrùm diffinitiones speciei prædicabilis, & subijcibilis bonæ sint? Pag. 413.

Art. 2. Utrùm natura Angelicat sit species prædicabilis? Pag. 419.

QUÆSTIO IV.

De Individuo.

Art. unicus. Circa quidditatem individui? Pag. 443.

QUÆS-

QUÆSTIO V.

De differentia.

Art. 1. De diffinitione differentiæ, & illius divisione? Pag. 447.

Art. 2. Utrùm differentia constituatur in ratione universalis per ordinem ad speciem? Pag. 453.

QUÆSTIO VI.

De duobus ultimis prædicabilibus.

Art. 1. Utrùm diffinitio proprij bona sit? Pag 457

Art. 2. Utrùm rectè traddatur accidentis diffinitio? Pag. 460.

LIBER V.

De prædicationibus, doctrinę generalis. Pag. 465.

LIBER VI.

De Anteprædicamentis.

QUÆSTIO I.

Art. 1. Utrùm univoca æquivoca, & denominativa rectè diffiniantur? Pag. 473.

Art. 2 Utrùm regulæ prædicamentales sint verè, & divisiones bonæ? Pag. 476.

QUÆSTIO II.

De Analogis.

Art. 1. Utrùm diffinitiones Analogorum rectè traddantur? Pag. 479.

Art. 2. Quæ nam sint causæ analogiæ? Pag. 486.

Art. 3. Utrùm ens sit analogum ad inferiora sua? Pag. 491.

Art. 4. Utrùm detur conceptus entis perfectè præcisus ab inferioribus suis? Pag. 496.

LIBER VII.

De Prædicamentis.

QUÆSTIO I.

De Prædicamento substantiæ.

Art. 1. Quid sit constitutivum substantæ? Pag. 518.

Art. 2. De Divisione, & proprietate substantiæ. Pag. 523.

Art. 3. Utrùm Deus ponatur in Prædicamento substantiæ? Pag. 526.

QUÆSTIO II.

De Prædicamento quantitatis.

Art. 1. Quod nam sit constitutivum quantitatis? Pag. 537.

Art. 2. de divisionibus quantitatis. Pag. 540.

Art. 3. Utrùm substantia corporea pro priori ad quantitatem habeat partes actualitèr distinctas? Pag. 545.

QUÆSTIO III.

De Prædicamento relationis.

Art. 1. Quid sit relatio prædicamentalis, & quas habeat proprietates? Pag. 563.

Art. 2. Utrùm relatio realiter entitativè à fundamento distinguatur? Pag. 568.

Art. 3. Utrùm omnis relatio terminetur ad relativum? Pag. 589.

QUÆS-

QVÆSTIO IV.
De Prædicamento qualitatis.
Art. unicus. De naturâ, & qualitatis proprietatibus. Pag. 593.

QVÆSTIO V.
De Actione, & Passione.
Art. unicus. Quid sit tàm actio, quàm passio? Pag. 596.

QVÆSTIO VI.
De Quatuor Prædicamentis.
Art. unicus. Quid sint, & eorum proprietates? Pag. 598.

LIBER VIII.

De Posterioribus.
QVÆSTIO I.
De Demonstratione, & necessarijs ad illam.
Art. 1. Quidnam ad demonstrationem necessarium sit? Pag. 601.

Art. 2. Quid, & quotuplex sit demonstratio? Pag. 611.

Art. 3. Utrùm assensus præmissarum concurrat efficienter ad assensum conclusionis? Pag. 619.

Art. 4. Utrùm assensus præmissarum necessitet intellectum ad assensum conclusionis? Pag. 626.

QVÆSTIO II.

De Scientia.
Art. 1. Quid sit scientia, & qualitèr dividatur? Pag. 631.

Art. 2. Vtrùm scientia subalternata, in absentia subalternantis sit verè scientia? Pagin. 634

LAUS DEO.

Firma del S.r Presente ieri



ANT
759